33899/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543307_0001

33892/E

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI,

ARCHIATR. CAESAR.

NERIVM

Sive

RHODODAPHNE

VETERVM et RECENTIORVM,

qua

NEREI ET NEREIDVM MYTHOLOGIA, AMYCI LAVRVS, Saccharum Al-haſchar, et Ventus ac Planta Badſamur aliaque explicantur, ac diverſis Sacrae Scripturae locis lux affunditur.

Accedit

DAFNE CONSTANTINIANA.

NORIMBERGAE,
Apud Haeredes JO. HOFFMANNI.
Anno 1716.

58700 (B)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

NErii, *quod hic cernis, has ſcribendi cauſas accipe, B. Lector, et occaſionem. Obtulerat hortulanus ſoſtri loco floridulas* Nerii *plantulas, quibus hortulum in aedibus meis penſilem, aliis floſculis nitentem, exornaret. Domum redux attentis eas oculis intuens, Errant, ajebam, qui inamoenam te et minus amabilem plantam vocant, et Grajae originis Nerion a* νη *particula negandi et* ἔραμαι *amo, dictam volunt, cum ex aliorum mente Dii marini Deaeque nomen tibi impoſuerint. Obviabant menti, quicquid olim hac de planta lectum mihi collectumque, quum erudita cum Muſis eſſent otia. Deſtinabam huic plantae a plurimis neglectae, ad* πικρίαν *animi fallendam, hoc, quod nunc cernis, ſchediasma; tempus tamen deerat mihi, tot practicis diſtracto curis, tot praepedito negotiis clinicis moleſtiisque domeſticis, ſtrepente inſuper aegrorum multitudine, clangente, dum in aedibus haereo, ſingulis momentis campanula, aegrorum advolantium praenuntia. Diſtuli autem usque dum me ruſticantem haberet villa mea Humelſteinenſis, quae tum valetudinis, tum animi laxandi gratia me verno tempore, aeſtateque aliquoties recipit, et a curis ſollicitudinibusque longiſſime retinet. Hic aliqua curarum omnium vacuitas, et aegritudinis cun-*

)( )(*ctae*

ctae ſilentium, non niſi ſuaviſſimo dulciſſimoque avicularum concentu, neſcio interruptum, an continuatum dicam. Pacatisſimus hic loci genius, tranquilla animi quiete connexus, nil aliud quam Muſas, quam literas inſpirat. Dum igitur nemini in Vrbe noſtra domi eſſem, dulcisſimo interim genero, aegrorum meorum valetudini indefeſſo ſtudio invigilante, in praedioli mei deliteſcens otio, lectioni collectionique meae vacans, has de Nerio corraſi plagulas, nec enim deraſis quid unguibus elaborandi, otium debitum ſuppetit ingeniique mei permittit imbecillitas, ſpe firma fretus voluntatem publico inſerviendi fore acceptam, licet vires operi rite et ad guſtum ſeculi exequendo defuerint. Quod ſi minus diſplicuerint, hae negotioſi mei otii Humelſteinenſis primitiae, plures expectabis hujus veteris botanici ſtudii diſſertatiunculas et cum Hiſtoria Medicorum ex nummis et ſtatuis illuſtrata, Aſclepiadeas Antiquitates. Vale, B. L. et aequiori facilique cenſura fac, ut mei laboris me ne poeniteat.


NATURÆ
CÆSAREO-LEOPOLD. CAROL.
CURIOSORUM ACADEMIÆ
NUN-QUAM OTIOSUS
CLEMENTISS. CÆSAR. PRIVILEG.
IMPRESS


Tab. VII. pag. 89.
Garſu m
Netimdava
Axiopolis
Sucidana
Tenſy
Dafne
Tromariſca
Danu: fl.
Duroſtrorum
legio prima Italica
Odyſſus
Trimanium
Danubius fl.
Dauſdana
Nouæ
PROVIDENTIA AVGG
PTR
CONSTANTINVS AVG
CONSTANTINIANA DAFNE
CONS
CONSTANTINVS MAX AVG
Conſtantiniani Daſnenſes Baliſtarii Daſnenſes.

Cap. I.

CVm ex ingenua *Plinii* Hiſt. Nat. libr. 24. cap. 11. confeſſione, *Nerion ne nomen quidem Latinum invenerit*, aliunde ejus natales eruendos credidere, quibus hoc ſtudii genus curae cordique. Sunt, qui ex Graeca; ſunt, qui ex Ebraea accerſant lingua, impari quidem conatu, pari tamen ſucceſſu; quippe, quod in Graecia quaerunt, id Ebraeis in fontibus reperiunt. Νηρὸν *humidum* natales Nerii nonnullis ſuggerit; ſuppeditat hoc נר ac נהר quo Ebraei, Aramaei et Arabes *fluvium* deſignant; et Phoenicibus pariter, teſte Excell. Clerico in Heſiodi Theogon. נהרא *fluvius*, et Chaldaicum plurale faemininum נְהָרוֹת *Neharoth*, *Flumina*, ſignificant. Sic Grajae Nerii origines, ex orientalibus ſcaturiunt. Hinc antiquioris Graeciae incolis, aeque ac infimae aetatis, νηρὸν ac νερὸν *aquam* denotat, et Νερών, *locus aquis irriguus*. Ac inde νερωνιακὸς atque

νερώνιος λίθος, non quidem a Nerone Caeſare, vel a Nerone aliquo artifice gemmario; ſed forte ab aqueo ſplendore, quod ſit tralucidus ac limpidiſſimus. Vid. ὁ Πάνυ Salmaſ. in Solin. Sic νηρὸν τόπον apud Lycophronem Grammatici exponunt τὸν κοῖλον καὶ κάθυγρον. Adde Galenum in Exegeſi voc. Hippocrat. τὸ ὑγρὸν, νηρῶδες. *Humidum, liquidum, fluxile.* vid. Illuſtr. Reineſ. Inſcript. oper. Not. ad Claſſ. I. N. CLXXXIV. Pro νηρὸν dicitur quoque ναρὸν. Heſychius: ναρὸν, σάρον, κόρημα, πλησμονὴν, ὑγρόν. Idem: νάρη, (ſic ſcribendum, vulgo νάπη) ὑλώδης, σύμφυτος τόπος, καὶ κοῖλος, καὶ ὑδατώδης καὶ ὀρεινὸς (ſcribe ταπεινὸς) τόπος. *Sylveſtris, frondoſus, aqueus, humilis, locus.* Et alibi: Νηρὸν, τὸ ταπεινόν. Ad quae verba Cl. Guietus commentatur, legendum eſſe ὑδάτινον, cum id νηρὸν ſignificet. Et pro νηρὸν leg. νεαρόν. Ex Heſychio verba paene eadem repetit Varinus Phavorinus Camers, Epiſcopus Nucerinus, in Lexic. p. 1308 Facit huc quoque locus Suidae: νηρίτης θαλάσσιος κόχλος (ſcribe κόγχος) ἐκ τοῦ νέω, νῶ, νήσω, τὸ κολύμβω, νηρὸς ἰχθὺς καὶ νηρὸς μυχὸς παρὰ λυκόφρονι ὁ κοῖλος ἢ κάθυγρος. *Nerites cochlea marina; a* νέω *nato:* νήσω *natabo. Nerus piſcis et Nerus receſſus apud Lycophronem cavus vel humidus.* Edit. Aemil. Port. T. II. p. 226. Auctor quoque Etymologici ναρὸν per ὑγρὸν exprimit; et Proverbia ſeu dicta vulgaria MS. id confirmant: ὡς εὕρης τὸν νερὸν, φάγε τὸν λαγών. Hermodorus Rhegius in Adagiis MStis: ὅταν διψᾷ ἡ αὐλή σου, ἔξω νερὸ μὴ χυώνῃς. Anonymus de Locis Hieroſolymitanis cap. 15. καὶ εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ σπηλαίου ἔναι ὁ τόπος, ὅπου ἔχωσεν. ἡ σαλώμη τὸ νερὸν, ὅπου ἔλουσε τὸν χριστόν. A voce νηρὸν et νερὸν nomen habere videtur fluvius Ναρὸν dictus, quem inter et Drillum cippus Cadmi ſepulchri loco erectus, cum inciſis duobus draconibus. Vid. Cl. Bochartus Canaan. libr. I. c. 23. Item *Nar* fluvius, de quo *Ennius* Fragm. VII. An. libr.

Sulphureas poſuit ſpiramina Naris ad undas.

Et Silius Italicus libr. VIII.

Naraue

Tab. II. p. 2.


EBIVSEVTYHF
TVS FECIT
MFABV


TI· CLAVDIVS ASCLEPIADES
ET·CAECILIVS ASCLEPIADES
EX· VOTO ·NYMPHABVS ·D ·D·

p. 13.




NVMINI NYMPHARVM
AVGVSTALIS AVGGG·LIB·AQVA·

Narque albeſcentibus undis.

Forte ad imitationem Virgilii:

Sulphurea Nar albus aqua.

Sic *Nares* apud *Vitruvium* et *Vopiſcum* ſumuntur pro exitu, quo humor egeritur, et foſſis, quibus aqua educitur. Vid. de Laët Lexicon Vitruvianum p. 74. et *Narica*, genus piſcis minuti apud S. *Pomp. Feſtum*, ubi *Scaliger Naritam* legit ex Plauto. Sunt et alia inde denominata: νερολόγιον, *Clepſydra*; Νεροφίδιον, ſerpens aquaticus, *Natrix*; νεροφόρος, *aquarius*; νερόμυλος idem quod ὑδρομύλιον, *Molendinum aquarium*. Plura adhuc apud mediae et infimae aetatis Graecos, ubi Νερὸν pariter *aqua*. Gloſſae: ὕδωρ ἀθροιςὸν καὶ συλλεκτὸν, νερὸν σωρευμένον καὶ συναγόμενον. *Auctor, qui de Avibus libellum* ſcripſit, cui *Titulus*: ὀρνεοσόφιον κελεύσει γεγονὸς τοῦ ἀοιδίμου βασίλεως κυρίου Μιχαὴλ. cap. περὶ βλάβης ὀρνέου, *de laeſa ave*: Κάθισον αὐτὸ, ἵνα πίῃ νερὸν. *Depone ipſam, ut bibat aquam*. Et paulo poſt: πάλιν κάθισον εἰς τὸ νερὸν, *poſtea depone ad aquam*. *Auctor Hippiatrices* cap. 64. καὶ ποτιζόμενος τὸ νίτρον σὺν τῷ νερῷ. *Exhibe bibendum nitrum cum aqua*. *Nicolaus Myrepſus*, vulgo *Praepoſitus*, paſſim hac voce Νερὸν utitur, cujus tamen ſignificationem eruditiſſimus alias interpres ignoravit. Sic libr. de Droſetis c. 52. νεροκάρδαμα, νεροσέλινα, quae doctiſſimus ceteroquin Fuchſius per recentia naſturtia et radicem apii vertit: interpretanda ſunt Naſturtium aquaticum et paluſtre Apium, quod ἐλαιοσέλινον antiquis dictum. Idem *Myrepſus* Sect. I. Antidot. quingenteſimo. Αντίδοτος ἡ λεγομένη λαλινιςὶ ἄγουα βίτα, γραικιςὶ νερὸν τῆς ζωῆς. Torquet locus interpretem, cum vim vocis νερὸν non intellexiſſet, quippe extra omnem controverſiam vertendum, λαλινιςὶ ἄγουα βίτα, *latine Aqua vita*: hoc enim Graeca verba νερὸν τῆς ζωῆς ſonant. Id quod Graeco-Barbari per vocem *Raki* exprimunt. Vid. laborioſiſſimus *Carolus du Freſne*, Dominus du *Cange* in Gloſſ. med. et infim. Graecit. p. 1280. Corrigenda ſic alia loci apud Nicolaum Praepoſitum verſio

Sect. I. Antidot. d. v. μετὰ νερõυ καμπούζας, ſcribe, μετὰ νερõυ σκαμπούζας, *cum aqua tuſſilaginis.* Vid. plura apud Cl. *Bodaeum a Stapel* in Theophraſt. Hiſt. Plant. Libr. IV. cap. 12. p. 484. et Dominum du Cange *l. cit.* p. 991. ſeqq.

Sed, inquies, cur νηρὸν et νερὸν Nerii origo? *Dioſcorides* dubium ſolvit, dum ſcribit: παραθαλασσίοις τόποις καὶ παραποταμοῖς, *maritimis locis et juxta flumina,* Nerion naſci. Sic ripae fluvialis margini adnaſci traditur Apulejo Metam. libr. IV. Vidit primum ad Benaci ripas Matthiolus et in maritimis Senenſibus. Ad aquarum fluenta reperiri, teſtatur *Camerarius* noſter in Creta. In Montis Baldi parva Inſula Monachorum minorum D. Franciſci abundanter provenire Nerion, albis et rubris floribus ex ſaxis nudis prope aquas pullulans, Pona tradit, et Cl. Bodaeus a Stapel affirmat, non admodum frequens eſſe, niſi tepidioribus ad meridiem mareque vergentibus fluentorum crepidinibus et litoreis, cujusmodi ad Olbiam Gallo Provinciae, Genuam Ligurum, ad Libornam, arcem portumque maritimum Tuſci Tyrrhenique maris. Extra Europae fines ad ſinum Perſicum Indiaeque orientalis litora nomine *Badſamur* provenire, alibi demonſtrabimus. *Rauwolfius* circa Tripolim Syriae in udoſis provenire, vocarique *Defli* prodit. Martinius in Lexico Etymologic. ab *Avicenna* vocari *Aldiphli*; in ejus Canone Med. lib. II. Tr. II. p. 105. a Cl. *Plempio* edit. *Difli* legitur, qui inſuper in *ſylveſtre* et *fluviatile* diſpeſcit; *Pliniique* illud confirmat, *ſcatere Nerio ſylvas in Ponto, quod propagine et ſemine* ſeratur. *Raphelengius* in Lexico Arabico רפלה *Rhododaphne.* Gloſs. רפילא in Aruch: Lignum lethiferum רפלי. Crederem vocem *Defli, Dephli, Dafli* et *Daphli* detortam eſſe a voce *Daphne* vel *Dafne*, quae laurum aeque ac humidum denotat: quippe locus ille delitiis et aſylo ac delubro Apollinis et Dianae famoſus prope Antiochiam, *Daphne* dictus olim, (cujus 2 Maccab. c. 4. v. 33. mentio injecta, ubi Theon natus et Germanicus mor-

mortuus ,) abolita appellatione iſta vocari coepit *Nero* Syris et Arabibus, ac poſterioribus Graecis, propter aquarum ſcaturigines , *συνηρεφὲς ἄλσος, διαῤῥεόμενον πηγαίοις ὕδασιν, opacus lucus, irriguus fontanis,* teſte *Strabone*. lib. 16. Hoc autem nomen antiquiſſimae ejus appellationi conſentit plane. Nam Numer cap. 34, qui locus dicitur tum Moyſi, tum ejus paraphraſtae Onkelos עין *fons*, aliis Hebraeorum interpretibus eſt דפני *Daphne*. Vid. incomparabilis *Caſaubonus* Not. ad Capitolin. in Marc. Philoſoph. Et ut propius iterum ad Nerion accedam, hodie *Dafni* nomen eſt celebris monaſterii Calogerorum in Attica, medio inter Athenas et Eleuſinen ſitu, a Nerio ſive Rhododaphne, quae ibi ubertim creſcit, appellati, de quo vid. Nobiliſſ. *Sponius* in Itiner. Graec. P. II. p. 275.

Sic haud abſurde quis dixerit, Nerii ſeu Celtici Promontorii in Hiſpania Tarraconenſi, hodie *capo di St. Maria finis terrae* incolas, Nerienſes dictos, (quo ab aliis Celticis, qui *Paſamaici* dicebantur, hoc nomine diſtinguerentur) a Nerii ubertate nominatos fuiſſe. Et *Nerine* Inſula, ſub quam Tiphoeus Terrae filius, qui ſerpentinis pedibus Jovem de caeli poſſesſione cum conaretur detrudere, ab hoc fulmine percuſſus et conjectus eſt, a neriiferis litoribus ſic nominata: uti et Inſula una e Fortunatis a Solino Nerion dicta; forte Νήριον a Nerii multitudine, vel quod maximo Salmaſio placuit, *ab illis ſtagnis, quae in montibus ejus haberi*, tradit Solinus, a voce Nero, *Aqua*. Et forte *Nericon* Leucadiae urbs, a mari olim remota, poſtea perfoſſo ab incolis iſthmo, ad illud translata, hodie *St. Maura* dicta, nomen inde pariter obtinuit; pro quo Nerico Leucadiae urbe, male *Plinius Neriton* ponit, hoc annotante magno *Salmaſio* in Solin. Νήριτον enim mons Ithacae; Νήρικον, uti jam innuimus, urbs Leucadiae. Hunc quoque errorem erravit *Stephanus Byzantinus* de Vrbibus. Recte tamen ex Homero diſtinguit *Strabo*, eosque reprehendit, qui

 indi-

indiſtincte habent. Contra *Dionyſius* montem Ithacae Νήρικον, qui νήριτον eſt, Νηρικίην Ἰθάκην dicit, quae eſt Νηριτίη.

Nec mirum, a Nerii planta, hactenus dicta nomen traxiſſe, cum ſexcenta loca a plantis denominata eſſe, *Euſtathius* ad Iliad. ⊙ p. 368. obſervet. Quae illuſtrant inſuper exempla φυτωνύμων id genus locorum, *Cypariſſi*, *Eleae*, *Daphnus*, *Sycarum*, *Cotinuſae*, *Selinuntis*, *Tremithus*, *Rhamnuſiae*, *Ceraſuntis*, *Ericuſae*, *Myrrhinae*, quae nomina haud male deducere videntur Graeci Grammatici a cognominibus apud eosdem Graecos arboribus aut plantis, Cypreſſo, Olea, Lauro, Ficu, Oleaſtro, Apio, Therebintho, Spina alba, Ceraſo, Eryce, Myrtho. Sic Stoechas planta in Cycladibus frequens, a qua Stoechades Inſulas ad mare Ibericum derivat magnus noſter *Galenus* libr. I. de Antidot. p. 435. Edit. Graec. Baſil. et apud *Ammian. Marcellinum* Libr. XXIII. cap. V oppidum Zaitha, in finibus Romani et Perſici Imperii locus, qui Olea arbor interpretatur. Sic Inſulam Pityuſam a Pinus copia dici, in *Pinu noſtra* demonſtrabimus. Et infelix Scythico ſervit quæ *Smyrna* tyranno, a Myrrha arbore nomen obtinuit, uti corona ex hac arbore in Smyrnaeorum nummo expreſſa probat *Illuſtriſſimus Spanhemius* Diſſ. 6. De Vſu et Praeſtant. Numiſmat. antiq. p. 320. Edit. Anglic. in Fol. Nemo igitur a Nerio, *Nericon*, *Neriton*, *Nerinen* et *Nerienſes* appellatos eſſe, in dubium vocabit.

Sunt, qui *Sabinam* vocarunt Nerion ſive Rhododendron e male lecto et intellecto Plinii loco, denominationisque varias tradidere cauſas et origines, minime in Nerion quadrantes. Plures retulit Venetorum Patriciorum doctiſſimus Patriarcha Aquilegienſis, *Hermolaus Barbarus*, Caſtigat. in Plin. Quidam enim Sabine dictam volunt h. e. lingua Sabinorum; quibus tamen non applaudit Barbarus, cum ſenſum eſſe credat, *Rhododendrum Sabinam herbam dici*, etſi in Sabinis

binis orta non videatur, ex ipſo nomine, quod Graecum eſt, ἀπὸ τοῦ σέβειν, quod veneranda planta. Alii nomen a *Sabina familia* detorquent; alii, *a Sabino Tirone*, cujus Poëta meminit:

Ad Maecenatem ſuper herbis multa Sabinus
ſcripſit, ubi rutam, cunilam, menthasque virentes,
tangendas ferro nunquam contendit acuto.

Hujus Auctoris fuerunt κηπουρικὰ, ſive libri de re hortenſi, Maecenati dicata, quorum meminit *Plinius* libr. XIX. cap. X. Vid. *Maecenas illuſtr. Meibomii* cap. XVIII. §. 15.

Fuere praeter hunc Sabinum Tironem alii Medici hujus nominis. *Sabinus interpres Hippocratis*, *Galeno* paſſim citatus, praeceptor Stratonici praeceptoris Galeni, cujus *Gellius* meminit lib. 3. c. 26. Citatur quoque *Aretaeus Sabinus*, et *Pompejus Sabinus* a Galeno, qui an inter ſe differant, haereo. Fuit et alius *Sabinus* Medicus, cujus Inſcriptio apud Cl. *Sponium* Miſcell. Erud. Antiquit. p. 143. Eugubii Vmbriae urbe:

L. SABINVS L. L.
PRIMIGENIVS.

Haec cum de herba Sabinae, Rhododaphnes cognomine, et Sabinis Medicis conferrem cum Amico, monſtravit mihi nummum Tituriae gentis, cum Inſcript. SABIN. et effigie, capillitio et barba ſpiſſa conſpicua, ac ramo, quem Lauri ſylveſtris ſive Nerii et Rhododaphnes judicarat. Regeſſi amico, hanc nummi effigiem T. Tatii Sabini eſſe, qui cum Romulo quinque annis regnavit, cum ab eo eſſet in regni conſortium adſumtus, ceu etiam illis notum, qui nec dum aere lavantur, ut Cl. *Oiſelius Theſ. Numiſm. Antiq.* Claſſ. X. Tab. CXII. n. VII. ſcribit. Sed omnes hae conjecturae ſupervacaneae, ſi locus ex *Harduiniana* legatur *Editione*. Cum enim *Plinius* meminiſ-

miniſſet arborum, quibus folia decidunt, ſubjungit ſtatim, quibus non decidunt, *Oleae* nempe, *lauro*, *palmae*, *myrto*, *cupreſſo*, *pinis*, *ederae*, *Rhododendro*, et (*quamvis herba dicatur*) *Sabinae*. E qua lectione reſtituta clare apparet, Sabinam ab ipſo intelligi *brathyn* dictam, a Rhododendro toto coelo diverſam, ideoque herbam dictam, non arborem a Romanis, quod pumila ſit, et coactae parvitatis, ut R. P. *Harduinus* (poſt illuſtrem familia et fama *Hieronym. Mercurialem*, a tutelari patriae nomine dictum, cui lectio haec jam ante *Harduinum* ſuboluit, ut patet ex ejus *Var. Lect.* L. VI. p. 90.) optime concludit. Sic *Humelbergius* quoque ante hos *Notis in Apulejum de Virtut. Herb.* cap. 86. Sabinam κολοβὸν δένδρον, *decurtatae brevitatis arborem* a Dioſcoride dictam refert, Graecis κολοβὰ vocantibus, quae trunca ſunt, et ſummas amiſerunt partes. Hanc ipſam tamen *Sabinam*, forte ex male lecto hoc *Plinii* loco, *Apulejus de Virtut. Plant. comp. LXXXXV. Nerion* Graece dici ſcribit, in quo teſte *Excell. Wedelio* Diſſ. *de Sabina*, omni deſtituitur auctoritate, vel diagnoſi fallitur. Humelbergius loco jam citato inde *Nerion* dictam eſſe Sabinam credit, quod inſtar Rhododaphnes, humida et aquoſa maritimaque loca amet; cui equidem ſententiae ſolum nullus applaudet. Melius et ulterius rem acu tangit ſequenti conjectura. *Andreas*, Medicus jam *Dioſcoridi* laudatus, apud *Apulejum* toties citatum cap. 67. *Nerion Nymphaeam* pariter cognominatam refert; ubi *Humelbergius* ſolide commentatur, hoc nominis obtigiſſe, quod in aquis naſcatur, a Nereo maris Deo, ſeu filiabus ejus Nereidibus et Nymphis; dicta enim Nymphaea a Nympha, quae clava ab Hercule interfecta, vel ipſa zelotypia erga eum mortua, in plantam hanc mutata ſit, Plinio referente, Hiſt. Nat. lib. 25. cap. 7. unde quoque nomen plantae hujus *Heracleon*, et Mater Herculania a Nympha, Herculi zelotypa Amaſia.

Super-

Superſunt et alia nomina Nerio attributa, quorum ratio vix reddi poteſt. Sic apud Interpolatorem Dioſcorid. c. 664. Cl. du Freſne citatum, vocatur Aegyptiis Σκινφή, corruptum forte vocabulum a voce σκινθοὶ, qua proprie urinatores κολυμβηταὶ, nantes ſeſeque ſubmergentes, metaphorice Nereides Tritonesque deſignantur. Lucanis *Jemaim* dictum eſſe Papias, dubiis e fontibus prodit. Sic Αἱμοστατὶς et *Haemoſtatis*; Σπόγγος et *ſpongia*, apud *Interpolatorem Dioſcoridis*, et *Martinium* in Lexic. Etymol.

CAP. II.

NEc decipiunt, nec decipiuntur, qui Nerii nomen a Nereo et Nereidibus deducunt; horum enim origo pariter ex Ebraeo נָהָר Chald. נְהַר cujus, uti jam indigitavimus, plurale foemininum eſt נְהָרוֹת i. e. *flumina*, a quo Graeci derivarunt ναρὸν, νερὸν et νηρὸν. Et cum literae ל et ר Grajûmque Λ et Ρ liquidae frequentiſſime permutentur, e נָהָר exiiſſe Romanis, mutata unica literula, et per extenſionem voculae, NEHALENNIAM Deam marinam, non invitis doctis dixiſſe ſperat doctiſſimus *Reineſius* Not. in Inſcriptiones, Domburgi in Zeelandia vicino Weſtcapellae Pago effoſſas, et DEAE NEHALENNIAE inſcriptas, Claſſ. I. p. 192. Nerion igitur a Nereo, Nereus ex Hebraeo נהר unde et ναρὸν ſive νηρὸν humidum et aqua; item ſecundum Cl. *Martinium* in Lexico Etymologico, germanicum Nähren / *nutrire*, pariter fluit; eſt enim nutritio ex humore, et θάλασσα Nonno merito πελεσσίγονος et ὕδωρ καρποτόκον πολυτρεφὲς, dicitur, uti eſt apud Euſtathium. Jam fluvii audiunt filii Maris, cum ex eo oriantur, et Nereus principium ſit finisque aquarum, teſte *Orpheo* in Hymn.

Πυθμὴν μὲν πόντου, γαίης πέρας, ἀρχὴ ἁπάντων,

Fundamen maris, margo terrae, principium omnium.

Eſtque, ſi Poëtis fides, antiquiſſimus Deorum Ponti ſive Oceani et Thetyos, vel, ſecundum Apollodorum, Terrae filius, Nereus imo

- - ciens aequora fundo,

Orpheo dictus πρέσβυστος ἀπάντων, *Homero* ſimpliciter γέρων, *Heſiodo* πρεσβύτατος, *Aeſchylo* παλαιγενὴς, Virgilio *grandaevus* audit. Hinc antiquior Neptuno, et *uterque Neptunus* Catulli, viro cuidam eruditiſſimo videtur eſſe Νηρεὺς καὶ Ποσειδῶν. Incomparabilis tamen *Iſaacus Voſſius* credit, ſignificari Neptunum, qui in dulcibus aquis, et qui in mari regnat. Heſychius: ἐπλίμνιος Ποσειδῶν; male vulgo legitur ἐπλήμνιος. Huc pertinet *Inſcriptio Reineſ.* Claſſ. I. n. XCV. p. 129. NEPTVNO ET DIS AQVATILIBVS. Sic Nymphae quaedam Limniades, in Inſcriptionibus: NYMPHIS LYMPHISQVE, aliae marinae. Vid. Illuſtr. *Spanheim.* Not. in Ariſtoph. p. 276. b. Limniades, Najades dicuntur: marinae, Nereides; de quibus mox pluribus.

Nereum, cujus de nomine nomen plantae noſtrae impoſitum ferunt, et veridicum et vatem eſſe crediderunt, cum Trojanas etiam calamitates Paridi nuntiaret, ut canit *Horatius* Libr. I. Carm.

Paſtor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenam perfidus hoſpitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata.

Heſiodus Nereum ulteriori et peculiari hoc mactat elogio Theogon. v. 233:

Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος
Πρεσβύτατον παίδων. αὐτὰρ καλέουσι γέροντα,
Οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος οὐδὲ θεμιστέων
Νήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.

Nereum-

Nereumque alienum a mendacio, et veracem genuit
Pontus,
Maximum natu filium: ſed vocant ſenem,
Eo quod verus et placidus: nec juris et aequi
Obliviſcitur, ſed juſta et moderata judicia novit.

Vnde factum ſit, ut ei hae tribuerentur laudes, quaerunt Interpretes. Ridiculus hic eſt *Joannes Diaconus*, ut ſolet, (citante eruditiſſimo *Clerico* Not. in Heſiod. p. 46. ſeqq.) qui hanc ejus rationem reddit: *πάροσον εἰώθεσαν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οἱ ἐν θαλάσσῃ διάγοντες καὶ ναυτιλλόμενοι ἄνθρωποι ἀληθεῖς τε καὶ ἀψευδεῖς εἶναι. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἔντιμοι καὶ γεροροὶ, ὁ γὰρ καθεκάστην αὐτοῖς ἐλπιζόμενος θάνατος ἀναπείθει νημερτεῖς τε καὶ πρᾴους εἶναι. καὶ μὴ θεμιστέον ἐπιλανθάνεσθαι μηδὲ δικαιοσύνης μηδὲ ἰσότητος. quia ſolent utplurimum homines, qui in mari vitam agunt et navigant, veraces eſſe et mendacii immunes, proptereaque honore et veneratione digni. Mors enim, quam quotidie expectant, perſuadet, ut ſint veraces et mites, nec licet illis obliviſci aut juſtitiam aut aequitatem.* Certe, inquit laudatiſſimus Clericus, hac ratione in officio „ contineri deberent Nautae. Sed quis neſcit, contraria omnia „ eſſe vera? Hic noſter *Joannes* vixerat forte in oppido me- „ diterraneo, in quo de nautis philoſophabatur, ut nos de „ incolis Planetarum, quos ne in ſomnis quidem vidimus. „ Confugiendum hic nobis ad linguam ejus gentis, quae fre- „ quentibus navigationibus ceteris maria aperuit. Ea autem „ Phoenicia lingua radices נהר *nahar*, נור *nour*, et נאר *naar*, ſonant „ *ſplendere, lucere*, quod a luce corporea translatum ad ani- „ mum ſignificat, *ſcire, intelligere, ſapere*. Itaque laudes, quibus „ hic Nerea ornat Poëta, videntur natae ex altera ſignificatio- „ ne ejus nominis. Forte propterea et Nerea et Protea, fa- „ tidicos deos eſſe crediderunt veteres. “ Haec *Clericus*, qui plura adhuc de voce *δήνεα*, qua Nereus quoque exornatur,

affert,

affert, et δῆνος proprie judicium credit, a radice Phoenicia דון *doun*, *judicare*, deducit.

Aliter de Nereo judicat Magnus Borealis caeli Atlas, Ol. *Rudbekius*, (quo eum elogio mactat *Jo. Mollerus* in Cimbr. liter. prodr.) Atlant. T. III. cap. X. §. 21. p. 319. qui ex *Niordo* ſuo Sveonico Nereum facit, piratarum primo callentiſſimum, ab eo nautae, omnesque aquis innare cupientes, *Neori* dicti, et ipſae foeminae mari quaeſtum facientes *Niarun* et Atla, (Nereides et Atlantes,) teſte Edda Mythol. XXI. Nemo praeter *Heſychium* annotavit, Nereum dictum fuiſſe Πόρκον. Νηρεὺς θαλάσσιος Δαίμων. Ἀλκμὰν καὶ Πόρκον ὀνομάζει. vnde poſt Cl. *Scaligerum Gujetus* credit Not. in Heſych. a voce Πόρκος provenire Πόρκυς, πόρκυν... *Portunus*. Crederem potius eſſe *Phorcum*, qui et Phorcas et Phorcis dicitur, Rex Corſicae et Sardiniae, filius Ponti et Terrae, de quo *Virgilius*:

Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

Hunc Nereum templa fabricaſſe, memorat Poëta:

Nerea nam perhibent fabricaſſe immania templa,
Cunctaque cryſtallo miris celaſſe figuris.

Fertur pariter in mari Aegaeo praecipue domum habuiſſe Nereus. Sic *Apollonius* Rhodius Libr. IV. v. 770.

Ὡς ἔφατ᾽ αὐτίκα δ᾽ ἶρις ἀπ᾽ οὐλύμποιο θοροῦσα·
Τέμνε τανυσσαμένη κοῦφα πτερά δῦδ᾽ ἐνὶ πόντῳ.
Αἰγαίῳ, τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασσι.

Ita fata eſt: continuo vero Iris ab Olympo feſtinans
Accelerabat extenſa leves alas, ſubiitque primum
Aegaeum, ubi domicilia Nerei ſunt.

Exhibetur autem Deus hic marinus Nereus in plurimis Gemmis et Nummis, quibus omnibus recenſendis anguſti nimis diſſertationis hujus limites. Producam effigiem unicam Sar-

dae

dae inciſam, quae in *Gorlaei* Dactyliotheca Editionis Gronovianae P. II. n. 68. repertu datur, quippe cujus illuſtrationi nerium noſtrum inſervit: Apparet inſtar monſtri marini, de quo Poëta:

Pubetenus juſſit eſſe feras, et crura pedesque
in duplicem vertit caudam, glaucisque marinis
aſſimilat Divos, redditque immania monſtra.

Dextra manu, e mente Excellentiſſ. *Gronovii*, laurum tenet. Sed quod pace Viri in his ſtudiis ſummi dicam, ramus nerii eſſe videtur, plantae ejus a nomine trahentis nomen. Eſt equidem lauri ramus, non tamen illius verae; ſed ut Apulejus Metamorph. Libr. IV. exprimit, arboris in lauri faciem prolixe foliatae, quae in modum floris inodori porrectos caliculos modice punicantes parit: quas equidem fragrantis minime rureſtri vocabulo vulgus indoctum roſas laureas appellat. Vnico verbo Rhododaphnes, ſive δάφνης ἀγρίας *Luciani* in Aſin. p. 88. vel ex Poëtae ſenſu:

Lauri folia aemula tollit,
Tenuiora tamen guſtu vehementer amara.

Papias: Lorandrum corrupte vulgo dicitur, quod ſit foliis lauri ſimilis arbor. *Simon Januenſis:* Lorandrum corruptum eſt pro Rhododendrum aut lorandrum, quaſi laurodendrum, quia arbor laurinis foliis.

Nec a vero multum aberravero, ſi crediderim, plurimos plantarum ramos, quos dii marini, Potamidae Nymphae, et fluvii, (qui

redimiti cornua muſco
undoſa ſub rupe ſedent, verſantque fluenta,)

manibus tenent, nerii ſive Rhododaphnes eſſe.

Leonardus Auguſtinus P. II, n. 16. Gemmam exhibet, quam

 Vene-

Venerem pronuntiat marinam, quae potius Diva Venilia Salacia eſt, ut eam in Latina hymni Orphici verſione nominat maximus Criticorum Scaliger:

Μήτηρ μὲν Κύπριδος, μήτηρ νεφέων ἐρεβεννῶν,
Καὶ πάσης πήγης νυμφῶν νασμοῖσι βρυούσης.
O! Mater veneris, nebularum mater ovantum,
et Fontium omnigenum, liquentum ſuavibus undis.

Inſidet haec Dea marina caprae marinae monſtro inſolito; ſic enim Divas marinas Nereidesque in variis monſtris marinis, tigribus. leonibus, tauris, arietibus et capris conſpici, et in antiquis marmoribus fingi a ſculptoribus, memorat Excell. Gronovius ad hanc gemmam, et ex Poëtis, Statio imprimis, probat:

Nec non et variis vectae Nereides ibant
Audito rumore feris: hanc piſce volutam
ſublevat Oceani monſtrum Tarteſſia tigris:
Hanc timor Aegaei rupturus fronte carinas
Trux aries, haec caeruleae ſuſpenſa leaenae
Innatat; haec viridem trahitur complexa juvencum.

Capilli tales, quales divis marinis attribuit Virgilius, nempe,

Caeſariem effuſae nitidam per candida colla.

Pectus nudum, ut in Nereidibus, teſte eodem Statio Achill. L. I. v. 77.

Orabat laniata comas et pectore nudo,
Caeruleis obſtabat equis.

Cujusmodi forma illas viſas olim *Catullus* arbitrabatur:

Illa viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas,
Nutricum tenus exſtantes de marmore cano.

i. e. usque ad papillas vel cum illis. Ad latus apparet Cupido vel

Tab.III.p.14.




pag.22.



Tab. I. p. 15

p. 46.



p. 15.



p. 21.



p. 19.



p. 20.



vel Genius cum flagello, partim ut greſſus caprae marinae citatiores reddat, partim ut ſonum conciliet: flagella enim loco tubarum olim uſitata; hinc flagellorum ſonus, Muſicae in choris bacchantium vices ſupplebat; et ne hoc mireris, ſolertiſſimus *Iſ. Voſſius* Not. in Catull. p. 225. aurigae meminit, quaevis cantica flagellis exprimentis. Sed quod in Gemma hactenus recenſita praecipuum, quem manu tenet ramum, non myrti, quod *Leonardo Auguſtino* placuit; ſed Nerii eſſe, ex allatis audacter affirmo.

Firmat haec uberius ex anaglyphis olim Seefridianis, poſtea Auernhamerianis, Nerolingae ex ebore pulcherrimum vaſculum, ab amicorum optimo quondam depictum, et hic expreſſum, cum omnem Antiquitatis guſtum ſapiat, a recentiori manu artificis licet effictum. Triumphum Thetyos exhibet vel conjugis Nerei, quae conchae tanquam currui inſiſtit triumphali; quippe in *Gloſſar.* veteri, ab *Henr. Stephano* edito, ἐξουσία θαλάσσης, Poteſtas ſive *Libertas Maris* voce Neries exprimitur. Junctum par Delphinorum, quorum terga Tritoniae inequitant Virgines, quae frenis illos regunt. Sic *Lucianus* Dialog. marin. ult. T. I. p. 260. Edit. *Graevian. Nereides emerſas undis Delphinorum tergis inſidentes obequitaſſe, ſeminudas plerasque* narrat. Sic ſupra Delphinos et Cete ac Hippocampos equitantes pingit ac fingit *Plinius* Libr. XXXVI. Sect. IV. Sunt autem, ſecundum Nonium, Hippocampi equi marini, ſic dicti a flexu caudarum, quae piſcoſae ſunt, quales ſpectare licet in nummorum, a maritimis urbibus cuſorum, parte averſa, ut in denariis Atratinorum gentis Semproniae apud Fulv. *Vrſinum* et *Vaillant.* Vnde liquet, diverſos plane Hippocampos ab Hippopotamis, atque erraſſe doctum Interpretem, animalia iſta confundentem. Eſt enim Hippopotamus pariter in Nummis Hadriani, altera parte praeſentatus. Vid. Excell. *Olearius* Not. ad Philoſtrat. p. 719.

p. 719. ubi bini nummi rem hanc dirimentes expreſſi. Dea ipſa conchae inſiſtens, Veneris inſtar in concha apud Lucianum loc. ſup. cit. recubantis, orta ſalo, ſalacitatem ob formae excellentiam inſpirare videtur, turgidulis ornata mamillis papillulisque, omniumque concinnitate membrorum, ut ne femen quidem ſua deſtituatur pulcritudine. Ramum manu tenet, non myrti non lauri; ſed, ſi conjecturae locus, nerii ſive Rhododaphnes. Circumvolitat caput velum vel veſtis pars, flatibus expoſitum. Collineat huc elegantiſſimus *Philoſtrati Junioris* locus Icon. libr. II. §. XVIII: *Ipſa Galathea purpuream veſtem ſupra caput zephyro permittendam tollit, ut et ſibi umbraculum, et currui velum ſit.* Pes Gubernaculi ſupplet vices, quo aequora ſulcat. Producimus iterum *Philoſtratum* loc. modo citato: *Planta autem pedis, et quae cum ipſa deſinit Venuſtas, in mari, O! Puer! picta eſt, leviterque radit aequor, gubernaculi inſtar currum regens.* Hanc marinam divam triumphantem ſequuntur Cupidines, cycnos equitantes, a *Philoſtrato* pariter graphice expreſſi, Icon. libr. I. §. 19. his verbis: *Quod autem cycni frenis a Cupidinibus regantur, minime mirum: ſunt enim feroculi Dii, affatimque ad inſultandum avibus virium habentes*; et paulo poſt: *Cupidines inequitant ſacris auroque infrenatis avibus, alius quidem totas laxans habenas; alius vero adducens; alius flectens; alius prope metam declinans.*

Quod ſi alicui haec non ipſa Thetys, non Salacia Venilia, in deſcripto eburneo videatur vaſe, ſed potius *Virgilii* et *Philoſtrati*

Nerine Galathea, thymo quae dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, edera formoſior alba,
vel - *Candida Neſee caerula Cymothee,*
ſive - - - - *Nereia Doto,*
cui Pater eſt Nereus, quam caerula Doris enixa eſt;

utique

utique non refragabor, eſſe Nereidum harum unam, quarum nomina, latius recenſita ab *Homero* Iliad. Σ. declarant naturam maris, ut Grajae linguae peritus quisque facile videt, ac Euſtathius clare deducit in Iliad. Σ. Elegantia corporis plurimum valuiſſe probat, quod cum Caſſiope, mater Andromedae, formam ejus Nereidum formae praetuliſſet, ira Neptuni ſcopulo affixa fuerit, *Hygino* Fabul. LXIV. teſte. Hoc fato Nereis miſericordia tacta ingemuit. Sic enim *Nemeſianus*:

Extulit et liquido Nereis ab aequore vultum,
et caſus miſerata tuos roravit et undas.

Pro quo *Barthius* legit: *revocavit in undas.* Vocantur poëtice Νερηΐδες, et contracte Νερῆδες apud Athenaeum. *Jo. Canabuzes* in MS. ubi de Nymphis, Nereides has ἐραγῖδες vocat, cit. Cl. *du Freſne* in Gloſſar. Graec. Append. p. 74. Chiorum tamen doctiſſimus, Grajorum Theologorum gloria, medicorum decus, *L. Allatius*, Tr. de quorundam Graecorum opinat. §. XIX. Ναραγίδας corrupto vocabulo pro Nereidas ſive Νηρηΐδας dictas vult, quas vulgus Graecorum *καλὰς ἀρχόντισας, pulchras dominas* (amore juvenum, ſed maxime formoſorum inſanientes, utriusque ſexus infantes capientes, et pulcriores rebus pretioſis ditatos reddentes,) nominat. Harum plerumque quinquaginta fingunt Poëtae. Sic *Orpheus* Hymn. in Nereum, vel ex *Scaligeri* verſione, in Terentium Conſum:

Ὦ κατέχων πόντου ρίζας κυαναυγέτιν ἕδρην,
Πεντήκοντα κόραισιν ἀγαλλόμενος κατὰ κῦμα,
Καλλιτέκνοισι χοροῖς, Νηρεῦ μεγαλώνυμε Δαῖμον.
O qui ſalſa tenes liquidi penetralia mundi,
Quinquaginta una puſis per caerula gaudens
Coetibu' Virgineis, genius maris alme Terenti!

Et in Hymn. Nereidum ſive Salaciarum Nerienum:

Νηρέως ἐιναλίου νύμφαι καλυκώπιδες ἁγναὶ,
Σφϱάγιαι, βύθιαι, χαϱοπαίγμονες, ὑγϱοκέλευθοι,
Πεντήκοντα κόροι πεϱὶ κύμασι βακχεύουσαι.
Pullae caeruleae, liquidi gens blanda Terenti,
Aedicolae, latiae, ludicraeque, fluitantes,
Quinquaginta vago fatuantes marmore puſae.

Vid. pariter *Heſiodus* Theogon. vers. 263.

Αὗται μὲν Νηρῆος ἀμύμονος ἐξεγένοντο
Κοῦϱαι πεντήκοντα, ἀμύμονα ἔϱγ᾽ εἰδυῖαι.
Hae quidem ex Nereo inculpato procreatae ſunt
Filiae quinquaginta, inculpata opera callentes.

Latini Poëtae plures Nereidum credidere. Sic enim *Propertius* Libr. III. Eleg. V. v. 33.

O! Centum aequoreae Nereo genitore puellae.

Nereidum harum regina et caput Thetys, cui male habenti infinitae comites dantur apud *Homerum* Iliad. Σ. Qui mox recenſet nobiliorum, uti diximus, chorum, et ſorores ipſas vocat. Imo Nereides docuiſſe ſacra Bacchi, Proſerpinae, Apollinis, Calliopes, memorat *Orpheus* Hymn. 23. qui matrem ipſis aſſignat

Refluae Dorin quae praeſidet Hellae,
quae ſervat Hellen, altaeque Propontidis undas.

Generali vocabulo Nymphae ſunt. Hinc apud *Reineſ.* Inſcript. Claſſ. I. n. C. NEPTVNO ET OMN. NYMPH. *Euſtathius* in Homer. Σ. Nereides aquarum marinarum, Najades dulcium tradit: quocum conſentit *Clem. Alexandrinus* Cohort. ad Gentes p. 52. edit. noviſſ. Potterian. Hae apud doctiſſimum *Sponium* Miſcell. erudit. Antiquit. Sect. II. Artic. VII. p. 31. pinguntur cum vaſe aquam effundente: (Symbola enim Nympharum Hydriadum eſſe crateres lapideos, Porphyrius de Antr. Nymph.

et

et marmora diſerte probant:) folioque herbae cujusdam aquaticae, quae forte e Sponii conjectura Potamogeton, ſeu potius Nymphaeae folium, a Nymphis dictae plantae: id quod ill. *Fabretto* placuit diſſ. II. de Aquis et Aquae ductib. qui ante Sponium Marmor oculis expoſuit. Non abſonum igitur erit, Nereides cum Nerii floribus pingi. Sic gemmam poſſideo, in qua Nereidum una ſupra delphinum ſedens, dextra ſummitates florum, indubie Nerei, ſiniſtra frenum tenet. Repertu datur ſimilis paene nummus, alias ineditus, ab Illuſtriſſ. *Spanheimio* tamen diſſert. IV, de Vſu et praeſtant. Numiſm. p. 329. Edit. in Fol. promulgatus, percuſſus Nicomediae temporibus Commodi, in quo delphino inſidens Cupido florem manu dextra tenet, ſiniſtra pariter delphinum freno regit, ad quam imaginem appoſite alluſiſſe legas *Palladem* Anthol. L. IV. cap. XII. Epigr. 56. Spectat huc Gemma cum delphini equite, Cupidine, quocum alii genii in mari ludunt. Tom. III. Gem. XVI. et XVII. nelle Gem. antich. figurat. colle Eſpoſizioni de *Paolo Aleſſandro Maffei*, Patritio Volaterrano, Cavalliere del' ordine di St. Stefano et della Guardia Pontificia. Revocant delphini, in quorum dorſis Nereides, in memoriam, a *Dioſcoride* Nerium dictum τὸ Δελφίνιον, teſte *Gorraeo in definit. Medicis.* Forte delphini proprie Nerei pecus, de quo *Naevius* apud *Nonium* in Luſtrare: Tum laſcivum ſimum Nerei pecus, ludens ad cautem, claſſem luſtratur. Cl. *Turnebus* Adverſ. L. XXIX. c. 28. Poëtica circumlocutione piſces omnes denotari credit, ſicut eodem modo Neptuni pecudes *Plautus* in Pſeudolo dixit.

Dantur quoque Gemmae, in quibus Nereides concham tenent. Sicuti enim Tritones buccinis pinguntur, teſte *Ovidio Metamorph.* libr. I v. 333.

Caeruleum Tritona vocat, conchaeque ſonaci
Inſpirare jubet.

- - - - cava buccina ſumitur illi,
Tortilis in latum, quae turbine creſcit ab imo.

Sic Nereides pariter conchas tenere, Neritas dictas et Neritodes, haud abſurdum erit ſtatuere; forma buccinis (modo *Martinio* in Etymol. fides) proxima. Heſychius: νήρειτος ὁ νηρίτης, ὅ ἐστὶ κογχύλιον, κοχλεῶδες ποικίλον. Plinius Libr. IX. c. 35. Navigant ex his Neritae, praebentesque concavatam ſibi partem, et alteram aurae exponentes, per ſumma aequorum velificant. De his conchis optime cecinit *Nicolaus Parthenius Giannettaſius* Halievt. Libr. VII. p. 193 qui e Cl. Matinae elogio, majora, quam illa olim, quae ab Antonini liberalitate erga Oppianum fuere collata, praemia promeruit:

Neritas etiam rapies, quibus altera Ponto
Pulchrior haud Concha eſt: texellis plurima pictis
Vermiculata venit teſta, eque umbone reflexae
Incipiunt helices crebrae, gyroque retorto
Majores ſenſim aſcendunt, nigrisque coruſcant
Diſtinctae punctis maculae; nitidaeque argento
Inſignis rutilat margo, et flaventibus aſtris
Interius totam perfundit purpura teſtam,
Quam Veneri ſacram nautae fecere. Sed imo
Gurgite deproperant in conſona fila Paguri.

Nolo hic Neritarum texere catalogum, cum ubique in Hiſtor. naturalis et Muſaeorum ſcriptoribus, praecipue in illuſtr. Liſteri Hiſtoria Conchyliorum, regio certe opere, proſtent. Sic conchae ſonaci inſpirantem Amphitriten, in nummo Pupieni rariſſimo expreſſam, exhibet Cl. *Triſtanus* Comment. Hiſtoriq. T. II. p. 496. ſeqq. quam tamen non Amphitriten, ſed Scyllam eſſe, quae pulcro pectore virgo pubetenus, ſed cum latrantibus canibus infima inguinum parte, ſolide more ſolito demonſtrat Ez. *Spanheimius*, dignitate illuſtris, literis illu-

illuſtrior diſſ. V. §. V. de Vſ. et Praeſt. Numiſm. antiq. p. 261. ſeqq. ubi nummum quoque delineatum exhibuit.

Nymphae pariter Conchis depictae cernuntur in marmoribus apud Cl. *Fabrettum* diſſert. II. de Aquis et Aquaeduct. et Cl. *Sponium* Miſcell. Erudit. Antiquit. Sect. II. Art. VII. p. 32. ubi trium Nympharum latus claudunt Hercules et Sylvanus, quorum communis cultus in una eademque Regionis XIII. aede juxta Victorem praeſtitus, et quinquies in opere Gruteriano Inſcript. expreſſus. Nymphis in principio adjuncta Diana, quam dilucidius Fabretto expreſſit Sponius. Cur autem Nymphis aſſociata Diana, e Strabonis libr. VIII. probat Reverendiſſimus L. *Holſtenius* Comment. in Vet. Pictur. Nymphaeum referent.

Hoc denique de Nereidibus annotandum reſtat, illas a plurimis Viris, ceteroquin doctiſſimis, cum Sirenibus confundi. Sic ex Naevii Aegiſtho Nonius allegat:

Sirenes citis
Delphino junctis vehiculis Hippocampisque aſperis.

Quod de Nereidibus dictum eſſe, quilibet rei antiquariae gnarus videt. Sic Clar. *Nicaiſius* in Gemm. Nerei ſive Dei marini e Gorlaei Dactyliotheca ſupra adducta, Sirenen in mare praecipitatam depingi credit, referente hoc Excell. *Gronovio* in Explic. ad Gorlaeanas Gemmas. Sic Vir eruditiſſimus, cui ſtudium antiquitatis plurimum debet, in nummo Coſſutiae familiae, in quo ſuperne mulier, infra piſcis, ad Sirenem detorquet, cum ex Nereidum claſſe ſit, uti et haud diſſimiles Amphitrites ac Tritonum videmus paſſim in antiquis Graecorum et Romanorum nummis, teſte Illuſtriſſ. *Spanheim* de Vſ. et Praeſt. Numiſm. antiq. Diſſ. V. §. 3. p. 253. Edit. Londin. Sic diligentiſſimus *Fort. Licetus* in Opere de reconditis veterum Lucernis Libr. VI. cap. XXXV. p. 811. ſeqq.

Lucernam e Gazophylacio Cioffi, quam celeberrimam Neſideam Lucernam credidit, in qua Nereis vaſi inſidet, ſuperne nempe mulier, infra vero piſcis, Sirenen Parthenopen interpretatur; cujus tamen longe aliam figuram, e nummo Siculo et Cumano, ſive ad Cumas reperto, gentis Petroniae, jam olim exhibuit Jul. Caeſ. Capacius Hiſt. Neapolitan. libr. I. cap. V. p. 29. et Fulv. Vrſin. in Famil. Roman. p. 202. Edit. Patin. e cujus una parte caput Auguſti, ex altera Siren alata, gallinaceis pedibus; de quibus *Suidas* et *Fulgentius* apud *Gyraldum*. Inſcriptio eſt TVRPILIANVS IIIVIR. is ipſe eſt P. Petronius Turpilianus. Vid. Rev. Pater *Pedruſius* T. II. Tab. VIII. n. V. p. 126. de i Ceſari nel Argento raccolte nel Farneſe Muſeo. Conf. ill. *Raph. Fabrettus* in Tabul. Iliac. quam commentario illuſtravit Cl. *Begerus*, §. 69. p. 64.

Vt huic Sirenum Nereidumque confuſioni obviam eat, Clar. *Nicaiſius*, in eruditiſſimo diſcurſu, inſcripto Gallice: *les Sirenes de leur forme et figure*, ſtatuit, Sirenes primitus avibus extitiſſe ſimiles, ea ſcilicet forma, qua exhibentur in nummis antiquis, et ex mente Poëtarum *volucresque puellae*; poſtea, metamorphoſi accedente infelici,

Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus . . . .
. . . . *turpiter atrum*
Deſinat in piſcem.

Hanc duplicem Sirenum formam expreſſam credit in nummo maximi moduli Auguſtae Fauſtinae Junioris cimeliarch. Reg. in quo diva Salacia ſive marina Venus, ad cujus pedes alata et Tritonia Siren, concha ſcilicet inſtructa ſonaci. Varias has Sirenum figuras totamque Mythologiam, elegantisſimo expreſſit ſchemate Vir doctiſſimus.

Forte haec confuſio inde exorta, quod Nereides natantes

Tab.IV.p.22.



tes ſaepius conſpectae in ſcopulis, a Sirenum nomine dictis. Sic enim *Antonius Epicurus* cecinit, cit. *Jul. Caeſ. Capac.* l. c. p. 33.

Non longe a Capreis ſcopuli tres ordine circum,
Maxima Campani, Paeſtani et gloria Ponti,
In quas Nereides Nymphae turba humida aquarum
Saepius inſiliunt, madidos expandere crines
Ad ſolis radios, et candida membra movere
Ad choreas, pelagique laceſſere carmine Divas.
Haec nautis tranquilla quies, ſi quando procellae
Horriſonae inſurgunt, hic otia carpere ſuerunt,
et naſſis linoque vagos comprendere piſces,
Allecti a ſcopulis Sirenum nomine dictis.

In Surrentino litore has Nereides pariter apparuiſſe, caſtigatiſſimus Parthenopaeorum Vatum *Giannettaſius* Halievt. libr. II. p. 37. teſtatur:

Non tamen Oceani prolem Thetidisque marinae,
ſemiferumque genus Nerei vaga caerula cantu
Mulceret, et blande numeris reſonare negandum eſt.
Nam Surrentino nuper ſub littore vidi
Cantantes Pelagi divas, dum lucida Phoebe
Fulgeret tremuli pacata per aequora Ponti
Cantu, quo rupes longe pulſata ſonabat,
Muſcoſaeque levi ſurgebant murmure cautes,
Atque ipſi pariter ſaliebant gurgite piſces.

Quae tamen nitidiſſimus Poëta, de cantu Pelagiarum Divarum immiſcet, Sirenes potius concernit, quod e margine quoque elucet.

Ad has Nereides Surrentini litoris referendae Graecorum hodiernorum Ναγαρίδαι et καλαὶ ἀρχόντισσαι, quarum ſupra ex L. *Allatio* mentio injecta, de quibus mira, modo vera forent,

retu-

retulit; quippe ſi potiſſimum fluentis aquarum ſolum irrigatum, tripudiis ſe atque choreis oblectant, umbras arborum frequentant, et amore juvenum formoſiorum praecipue inſaniunt, inque puteos, in quibus degunt, alliciunt, e quibus dum redeunt juvenes, licet longiuſcule immorati fuerint, aridis tamen ſiccisque veſtibus, nullo humiditatis ſigno contracto, a Nereidibus vel potius Najadibus Nymphis redeunt. Forte de his Pſellus de Operat. Daemon. p. 83. Edit. Gaulmin. *Quotquot humidis in locis vivunt meliorique victu utuntur, in aves illi et foeminas ſeſe transformant. Vnde fit, ut eos Graeci Najades, Nereides et Dryadas genere foeminino appellent.* Sed credant haec, cui volupe: nec enim a ſole adeo averſus, ut hoc credam.

Nemeſius Epiſcopus Emiſenus, in aureo de Natura Hominis Tractatu, has Nereides Nymphas, et alia quaedam Daemoniorum genera πολυχρόνια μὲν, ὀυ μὲν ἀθάναἶα pronuntiat, ubi eruditiſſimus editor anonymus, qui e Theatro Sheldoniano Auctorem hunc nitidiſſime prodire curavit, ex Ariſtotele refert, Nereides Nymphas mori, quod ex Nympha zelotypa erga Herculem mortua probat. Auguſti pariter tempore plures Nereides exanimes apparuiſſe, teſtatur *Plinius*; qui inſuper retulit, planctum morientis Nereidis in litore Olyſiponenſi longe fuiſſe exauditum: quo confirmatur illud, quod jam toties retulere Novellae de monſtro marino Raguſino, ejulatibus litora, neſcio an fauſto vel infauſto omine, implente. Dari autem noſtris temporibus Tritonas Nereidesque, monſtraque anthropomorpha, fuſe probat *Alexander ab Alexandro* Genial. dier. libr. III. c. 8. *Nierenb.* Hiſt. nat. Libr. V. cap. 13. imprimis locorum communium ſolertiſſimus collector, Cl. *Voëtius* Diſp. Theol. P. I. p. 742. aliique. Et certe piſcis marinus Braſilianus, ab Hiſpanis *Pece muger* vocatus, quod facie mulierem referat, (hinc nobiliſſ. Patricio Aretino

Redi

Redi in Experim. naturalibus ex India allatis. Piſcis ἀνθρωπόμορφος dictus et delineatus) ad Nereidum claſſem ſpectat. Piſcis hujus manus, vulgo e praejudicio ſuperius jam recenſito, *Manus Sirenes* dicuntur, quarum unam delineatam videbis apud incomparabilem *Welſchium Hecatoſt*. I. n. 68. p. 91. deraſusque pulvis ex hac manu dyſenteriam et haemorrhagias curare creditur: Id quod de Sirenibus Indicis teſtatur P. Philippus a St. Trinitate Itiner. Orient. L. VII. c. 6. Has manus Cl. Nicaiſius Teſtudinum pedes eſſe contendit, quarum unam apud ill. Menartium, alteram in Bibliotheca St. Genovevae vidit. Diſc. de Siren. §. 41. p. 67. Spectat huc pariter homo ille marinus, qui ad rupem, Diamant dictam, Inſulae Martinique ſaepius Ann. 1671. conſpiciendum ſe praebuit, ad Tritones vel monſtra marina anthropomorpha referendus, de quo vid. Recueil des memoires et conferences ſur les Arts et les Sciences par M. J. B. *Denis* Mem. VI. p. 103. *Sigebertus Gemblacenſis* ſcribit, Anno Chriſti DCI. a mane usque ad horam nonam viſos virum atque mulierem Niligenas, usque ad lumbos aqua extantes. Vid. eruditiſſ. *Barth*. Adverſ. libr. XLIII. cap. 26. p. 1980.

Cap. III.

MAximam nominis celebritatem *Nerio* ſive *Rhododendro* peperit *Amycus*, Bebryciorum Rex, Neptuni et Bithynidis filius, frater Mygdonis, cujus regiam in Boſporo potius, quam in Propontide, fuiſſe fuſe probat P. Gyllius, ſcriptor locorum horum αὐτόπτης, de Boſp. Thrac. L. III. cap. VI. Is cum, teſte *Apollodoro Biblioth. Libr. I. cap. 9. §. 20. p. 52. Edit. Pariſ. Th. Gale*, viribus egregie polleret, qui in ſua regna venirent, caeſtibus ſecum contendere cogebat, et devictos ita perdebat. Si *Valerium Flaccum* Argo-

nautic. L. IV. conſulamus, gigantem fuiſſe apparet Amycum. Sic enim de illo canit:

Ingentes humeros, ſpatioſaque pectoris oſſa
protulit, horrendosque thoris informibus artus.

Bebryces ipſos *Orpheus* vocat ὑπερφιάλους; cum ob corporum vaſtitatem, qua praeſtabant ceteris ſuae aetatis hominibus, tum ob animi immanem perfidiam. Narrat *Arrianus*, Bebrycem Arantam fuiſſe magnitudine octo cubitorum, craſſitie vero reſpondente ſymmetriae altitudinis.

Cum ad Amyci hujus Bebrycii regiam Argo in expeditione Colchica appropinquaſſet, praeſtantiſſimum quemque Argonautarum ad pugilatus certamen provocando, Pollux illud minime detrectavit, Arnobio teſte, pugilator pariter bonus, et crudo inexuperabilis caeſtu. Hinc Aeſonides apud Orpheum in Argon. v. 584. ob pugilatus praeſtantiam Polluci praemium decrevit:

Πυγμαχίης δὲ τάπητα λίαν θέα, δῶκε φέρεσθαι
Ἀθλοφόρῳ πολυδεύκει.
Pugilatus vero tapetes valde amoenos dedit
Victori Polluci.

Pugnam Amyci cum Polluce optime expreſſit *Theocrit.* Idyll. XXII. Dioſcur. inſcripto. *Apollon. Rhod.* L. II. Argon. ſub init. *Valer. Flacc.* Argonaut. Libr. IV. Occubuit Amycus dextra victus Pollucis. Epicharmus et Piſander illum loro ligaſſe Amycum, Deiloch. in Libr. I. quem ſcribit de Cyzico pugilatu Amycum a Polluce ſuperatum, Orpheus Pollucem duris loris caput Amyci percuſſiſſe perhibet. Dura lora autem quid aliud, quam caeſtus, uti e figura apud *Mercurialem* de Arte Gymnaſt. delineata patet.

Cum victor Pollux diſceſſiſſet, Bebrycesque in illum fecif-

feciſſent impetum, viri fortiſſimi, correptis armis, eorum pleroſque in fugam actos obtruncarunt. Confirmat dicta *Orpheus* modo citatus Argonaut. v. 662.

> *τὸν μὲν ἄρ᾽ ἠΐςωσε βίῃ κρατερὸς πολυδεύκης,*
> *τύψας ἀπροφάτως κεφαλὴν σκληροῖσιν ἱμᾶσι.*
> *Hunc quidem delevit robore praecellens Pollux,*
> *Percutiens ruditer caput duris caeſtibus.*

Inter Latinos *Valer. Flaccus* Argon. l. IV.

> *Sparta terapnaea pugilem cum gymnide pinguem*
> *ſtratum Bebryciis Amycum ſuſpexit arenis.*

Negat tamen a Polluce occiſum fuiſſe Amycum, ſed Jaſonis cecidiſſe manu, (teſtante hoc regione inde Ἰησώνιος αἰχμὴ *Jaſonia cuſpis* dicta,) *Ptolemaeus Hephaeſtionis* F. περὶ τῆς εἰς πολυμαθέιαν κοινῆς ἱςορίας λογ. Γ p.315. Edit. Th. Gale. E tumulo regis hujus Amyci planta exorta, quae, referente *Dionyſio*, inſaniae illius inſigne divinius, quam humana mens aſſequi queat. Nam ſi quis hanc laurum intulerit in convivium, convivas ſimili inſania afficiet, et contumelia implebit. Hoc ſane experientia didici, naturam immortali memoriae regis illius iniquitatem tradidiſſe ex ipſa lauru. Confirmat haec Dionyſii Byzantini Apollodorus l. Ponticor. in loco nominato Amyco, Amyci ſepulchrum et laurus; ex qua ſi quis ramum cepiſſet, in convitia et contumelias concitaretur. Plinius Libr. XVI. c. XLI. §. 89. etſi portum Amyci alias ponat ad Boſporum, alias in tractu Heracleae Ponticae; tamen id, quod excerpſerat ex antiquis ſcriptoribus, tradit, portum Amyci Bebrycum rege interfecto clarum eſſe, ejusque tumulum a ſupremo die lauro tegi, quam inſanam vocant, quoniam ſi quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur. Hinc P. Gyllius propria affirmat experientia, cum ad fontem Syciam, a proxima

ficū ηc appellatam, cum ſociis acceſſiſſet, et laurum vicinam diſcerpſiſſet, eamque in navim attuliſſet, tot contentiones inter remiges et vectores exortas eſſe, ut putarit, Syciam olim appellatam fuiſſe ψυχονοῦν i. e. *Laurum inſanam*, ut appellat Dionyſius. Haec *Gyllius* l. c. Addi his poteſt *Arrianus* in Periplo Ponti Euxini, qui δάφνην μαινομένην nominat, ejusque doctiſſimus commentator *Stukius* p. 191. Edit. Lugd. in Fol. Hinc ex Arriano corrigendam putat lectionem *Stephani Byzantini* de Vrbib. Reverendiſſ. L. *Holſtenius*, qui habet φαινομένη.

Nec Poëtice fingit hanc νεαλῆν δάφνην *Apollonius*; ſed revera hoc loco fuiſſe permagnam, ex *Apollodoro* et *Andr. Tenedio* clare oſtendi poteſt. Sed disquirendum uberius, quae laurus illa inſana in Amyci regis ſepulcro progerminans fuerit? Nulla plane alia, quam Rhododaphne, inſaniae productione jam olim infamis. Mel enim inſanum e Ponto extrahi Rhododendri flore, quo ſcatet, antiquitas credidit. Nec magnitudo arboris ſuperius citata nos terret, cum Rhododaphne utplurimum fruticum modum non excedat; annotavit enim e *Bellonio* de neglect. Stirp. cult. Probl. 12. et Obſerv. L. I. c. 43. Illuſtr. *Rajus* Hiſt. Plant. T. I. c. XXVII. Rhododaphnes in nonnullis Cretae Inſulae locis ad aedicularum trabes conficiendas aptas eſſe; inque monte Atho Rhododendra flore rubro in ſummam celſitudinem attolli, eorumque caudices craſſitie ficubus non cedere. Vid. Olf. *Dapper* dans l' Hiſtoire d' Archipelag.

Maxime firmat hanc conjecturam, laurum inſanam eſſe Rhododaphnen, *Ptolemaeus Hephaeſtionis* F. modo citatus. Damus verſionem latinam, ne taedioſa nonnullis fiat longior Graeci textus recenſio. *Amyci ſepulcro*, ſcribit, *Rhododaphne innata, quam qui guſtaſſent, pugilatus ſtudio capi ſolitos. Antodorum itaque, cum ex ea lauru ediſſet, victorem tri-*

decies

decies coronam retuliſſe, eundem tamen a Dioſcuro Theraeo in quartodecimo certamine victum. Addit, *ipſum Amycum ab altero Dioſcurorum lucta ſuperatum dici*, quo ipſo, quod de Jaſone Amyci victore dixerat, deſtruit. Pugilatus igitur ardore nimio, ſive mavis inſania, guſtu lauri inſanae ſive Rhododaphnes incendi credidit vetuſtas, hujusque ramos in praelia trudere inermes. Hinc *Artemidorus* Oneirocrit. L. I. c. 79. Rhododaphnes flores laborem praeſagire confirmat. Pugilatus enim exercitationis genus duriſſimum, ſive laborioſiſſimum et difficillimum fuiſſe, certum imo certiſſimum; icti quippe caeſtibus pugiles, ſi non animam in ipſa pugna efflarent aut agerent, confractis certe oſſibus, aut laxatis praeter deformatum vibicibus vultum debiles efficiebantur ac mutili. Eadem quoque Rhododaphne refectionem et a laboribus provenientem victoriam ſignificari, teſtis eſt modo citatus ſomniorum interpres Libr. II. c. 68. ut inde certum eſſe credat illuſtris *Reineſius*, ordinis noſtri decus haud exiguum, Rhododaphnen plantam eſſe eandem ac eam, quam *Apulejus*, (non Celſus Centirupenſis Siculus, non Madaurenſis Platonicus Philoſophus, ſed junior ſcriptor, qui Dioſcoridem Pliniumque prae manibus habuit, ſic ſentiente Excell. *Fabricio*, qui in hiſce nobis loco oraculi, Biblioth. Lat. L. 3. c. 2. pag. 525.) de nomin. ac virtut. Herb. profert, atque Νικήφυλλον, herbam victorialem, pervincam, daphnoidem, lauraginem appellat, eique adſcribit folia guſtu remordentia et incendioſa. Putat hinc vir acerrimi judicii, veteribus dictam fuiſſe νικτήριον, quod poſteriores contracte ſive ſcientes, ſive errore, Νήριον nobis propagarunt; quamvis pariter aliam rationem, cur a pugilibus haec planta expetita fuerit, ſuppeditet Epiſt. ad Caſp. Hofm. XXV. p. 94. ſeq. Quod orat. ſvaſor. ad Art. *Galen.* (ſit ea ſane *Galeni* τοῦ Νίκωνος) legitur, Athletas ſolere ῥοδοδάφναις τὰ νῶτα διακνάισθαι,

 ad

ad eorum ſanitatis conſervandae rationem pertinet ; quod nimirum fricationes, maxime dorſi muſculoſarumque corporis partium, (de qua Apotherapeia optime egit P. Faber Agoniſt. L. III. c. 15.) et quidem non linteo aſperiore vel ὠμολίνῳ, quod inter apparatum balneorum habebatur vulgo, ſed Rhododaphnes, Rhododendri ſive Nerii foliis factas, frequentarint. Iſtae frictiones vehementes impreſſius factae, et rebus adurentibus mordicantibusque, ſcilla, nitro, adarce, halcyonio, euphorbio, calce viva, thapſia, urtica, ſabina, cedri quovis genere, foliis ficus, ſquatinae pelle, pumice, peractæ, ſtrenue diſcutiunt τὸ μανὸν καὶ χαῦνον τῆς ἕξεως, quae cum robore non conſiſtunt, conſtringunt et ſolidant, adimunt etiam corpus, quod onere immobile ob ἀναγκοφαγίαν contigit, ichores inutiles, qui laſſitudinis occaſio fieri poſſent, exhauriunt, et muſculoſum genus roborant. Haec Reineſius. Tanta enim frictionis utilitas, ut, ſecundum Platonem in Gorgia, καλούςτε καὶ ἰσχροὺς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα, *hominum corpora pulcra et robuſta efficere* queant. Plurima huc facientia congeſſit Illuſtr. Spanheimius Not. in Ariſtoph. Nubes p. 291. a. b.

Alii in textu Galeni, à Cl. Reineſio citato, legunt ῥοδοδάφναις τὰ νῶτα διακναίονται. Ludovicus Beliſarius, Mutinenſis Medicus, vertit: *terga rhododaphnis diſrumpuntur*, hoc eſt, frutice flexibili tergora caedi putabat, ut pleniori habitu veluti ſcarificatione quadam ſanguis eliceretur. At majori compendio id cucurbitulis fieri potuit, quarum frequentem iſto aevo uſum Galenus ubique teſtatum reliquit, ejusque ſimia Oribaſius, qui libr. de Scarif. cap. XX. Nihil aeque ſane ad convenientem bonamque renutritionem ducit, ut ſanguinis per ſcarificationem exhauritio. Magnus ille Eraſmus, cujus memoriam Roterodamenſis patria, aerea ſtatua illi erecta immortalem eſſe voluit, *Rhododaphnes maculis terga notantur*,

tur, vertit. Qua verſione videtur innuere, floribus Rhododaphnes hac ratione terga potuiſſe infici, ut nudis in arena certantibus, venuſtas accederet. Sed tale quidpiam nullis antiquorum monumentis proditum eſſe, innuit eruditiſſimus Rhodius, Not. in Scrib. Larg. Compos. LV. Hinc locum illum vertit: *Terga Rhododaphnes caeduntur*; ſcil. ſtirpe hac tergora athletarum a paedotribis ad ruborem percutiebantur, quo uberiori ſanguine extracto continuis laboribus macerati habiliores fierent; quod a Galeni mente minus alienum, qui eodem loco ſaginae meminit, cujus ad corporis incrementum, iſti mortalium generi princeps cura fuit. Hucne Epictetus aciem intendit, quando Enchirid. cap. XXXV. affirmat, qui ſe laniſtae tradit, μαστιγωθῆναι, *flagris caedi*. Suſpicatur porro vir omni elogio major, athletarum terga Rhododaphnes foliis tanquam ſtrigile defricari ſolita, ut a ſordibus, palaeſtrae unctione et pulverea volutatione collectis, nitidiora comparentur. Hoc enim innuit διακνάω. Non multum tamen reluctatur, ſenſim verberando prolectum etiam iſtius fruticis acumine, ad feriendum non usque inepto, ſanguinem, minori fortaſſis dolore, quam ſi ferro cutis incideretur, percutiendo, vel quod Galeno de ſcarificatione capite ultimo magis placet, ſi trahendo fieret ſcarificatio. Sic Rhododaphne hac quoque perfricuiſſe artus et tergora prodeſt.

Conciliant haſtenus dicta Gemmae a Bellorio productae lucem, in qua tergora nuda procumbentis gladiatoris Rhododaphnes ramo, non ferula, quod olim crediderе, caeduntur.

CAP.

Cap. IIII.

NErion ſive Rhododaphne omnem pariter promeretur laudem ob florum elegantiam et varietatem, praecipue cum nonnullae ſpecies inſuper tantam exhalent odoris ſuavitatem, quam ſi olfacies, Deos rogabis, totum ut te faciant, Fabulle, naſum; ut cum Catullo loquar. Refertur planta haec a Botanicis hodiernis, characterem certum amantibus, ideoque in certa genera diſpeſcentibus, ſpeciatim ab Ill. Rajo Syn. Plant. inter arbores ſive frutices flore imo fructui cohaerente ſiliquoſas, monopetalo quinquepartito. Ex obſervationibus Excell. Volkameri in Flora Norib. ſunt ſemina plura compreſſa, cum intermixta lanugine, pericarpio membranaceo ſiliquoſo univalvi tumidiori incluſa. Ingenioſiſſimus Turnefortius arboribus et fruticibus flore monopetalo, cujus piſtillum abit in fructum ſiliquoſum, accenſet, et ulterius ſic deſcribit: *Nerion eſt plantae genus, flore A monopetalo veluti infundibiliformi, multifido, e cujus calyce D. ſurgit piſtillum C. poſticae floris parti B. adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum E teretem, et duabus veluti ſiliquis F. G. H. I. compoſitum, ſemine foetis K pappis inſtructo L.* Ob ſiliquam et ſemen lanugine ſeu pappo adhaerente alatum, inter Apocyna a Rajo relatum in Method. Plantar. emend. et auct. p. 160. usque dum meliora ab D. Hottono edoctus ſententiam mutarit, et in Addend. p. 196. haec ex Hottonianis literis excerpſerit: *Tale mihi videtur Nerii ingenium, ut Apocyno potius cognatum, quam congener cenſeri debeat. Quamvis enim in multis conveniant, in non paucis ita differunt, ut ejusdem generis ſoboles haberi non poſſint. Jam neque id probo, ut expungantur genera, quae magnam pridem celebritatem nacta ſunt, ſi ſervari commode poſſint. Multa eſt*

in

Tab. V. p. 32.





in utroque hoc genere ſimilitudo in fructus fabrica. Vtrumque et ſuccum lacteum fundit, Apocynum quidem et Nerium Americanum omnibus ſuis partibus, at Nerium Europaeum radice tantum. Ex caeteris vero partibus ſuccus vireſcens aut luteus, ſed parce promanat. Sed fruticat Nerion omne et ἀείφυλλον *eſt, Apocynorum complura herbaceos emittunt caules et* φυλλοβολοῦσι. *At imprimis Nerion ab Apocyno differt (1) Floris ſtructura, qualis in nulla Apocyni ſpecie reperitur, (2) Foliorum poſitione et ſitu; tria enim ſibi mutuo impoſita ramos circumplectuntur in Nerio, quae non niſi duo conjunctim provenire in Apocyno ſolent. (3) Denique conſtanti* τριχοτομίᾳ *trunci, ramorum et ſurculorum, quae ſemper in Nerio, nunquam in Apocyno obſervatur.* Quibus de cauſis non immerito Nerion ab Apocyno, quocum fructu convenit, genere diverſum ſtatuit Cl. Rajus, ſecus ac vult D. Hermannus. A Foliorum diverſitate a ſe invicem quoque differt Nerium. Dioſcorides, qui luculenter illud Libr. IV. cap. LXXXII. deſcripſit, folia amygdalinis longiora craſſioraque tribuit, qui locus cum plurimis emendationibus locum dederit, minime hic praetermittendus. Νήριον, οἱ δὲ Ροδοδάφνη, οἱ δὲ Ροδόδενδρον, θάμνος γνώριμος ἀμυγδάλης μακρότερα καὶ παχύτερα, (vetus τραχύτερα,) ἔχων φύλλα. (Hanc periodum e vetuſto codice in hunc modum legit Lacuna, forte inductus pariter auctoritate Rhaſis Cont. l. 22. c. 323. Αμυγδάλῃ φύλλα ἔχων ὅμοια, μακρότερά τε καὶ παχύτερα καὶ πλατύτερα καὶ τραχύτερα.) τὸ δὲ ἄνθος ῥοδοειδές. καρπὸν δὲ (vet. cod. καρπὸν δὲ φέρει ὡς κέρατα) ἐμφερῆ ἀμυγδάλῳ ὡς κέρατι ἀνεωγμένον πλήρη ἐριώδους φύσεως, ὅμοιον τοῖς ἀκανθίνοις (vulgat. cod. ὑακινθίνοις, vetus quidam ἀκανθίνοις παπύροις) πάπποις, ῥίζα δὲ ἄποξις, καὶ μακρὰ, ξυλώδης, γευσαμένῳ ἅλμυρα. φύεται ἐν παραδείσοις, καὶ παραθαλασσίοις (*vetus caret*) τόποις καὶ παραποταμοῖς (Ald. παραποταμίοις) δύναμιν δὲ ἔχει τὸ ἄνθος, καὶ τὰ φύλλα, κυνῶν (*vetus* κτηνῶν μὲν πάντων φθαρτικήν) μὲν καὶ ὄνων καὶ ἡμιόνων, καὶ τῶν πλείστων τετραπόδων δὲ ζώων

φθαρτικὴν, ἀνθρώπων δὲ σωστικὴν σὺν οἴνῳ πινόμενα πρὸς δήγματα θηρίων, καὶ μᾶλλον εἰ πηγάνῳ παραμίξειας. τὰ ἀσθενέστερα (*vetus* ἀσθενέστατα) τῶν ζώων ὡς αἶγες, καὶ πρόβατα, ἐπὰν τὸ ἀπόβρεγμα αὐτῶν πίῃ, ἀποθνήσκει. *Nerium quibuſdam Rhododaphne, aliis Rhododendron vocatum, frutex eſt vulgaris notitiae, longioribus craſſioribusque foliis quam ſint amygdalina: flore ad roſae ſimilitudinem conformato, et ſiliqua fructui amygdalino proxima, quae quidem dehiſcens, lanoſa quadam natura acanthii pappos repraeſentante plena reperitur, radice acuminata et longa, lignoſa, atque guſtanti ſalſa. Naſcitur in viridariis, maritimisque locis et ſecus amnes. Flores ac folia canibus, aſinis, mulis et plerisque quadrupedibus venena ſunt, hominibus vero contra venenatarum beſtiarum morſus praeſidia, ſi e vino bibantur, eoque magis ruta addita; imbecilliores autem animantes, uti caprae ac pecudes, ſi aquam biberint, in qua illa maduerint, moriuntur.* Vid. ad hunc locum Cl. Bodaeus a Stapelin Theophraſt. Hiſt. Plant. p. 46. et Cl. Reineſius Epiſt. ad C. Hofm. XXV. p. 94. 95. Plurimi e veteribus tamen non amygdali, ſed lauri foliis aſſimilarunt. Iſid. libr. 17. c. 7. Rodandrum, quod corrupte vulgo lorandrum vocatur, quod ſit foliis lauri ſimilibus. Hinc Gallorum *Laurier-roſe*, et laurus roſea Lob. Icon. 364. de quibus jam alibi. Foliorum haec, florum et coloris differentia has Nerii ſpecies peperit.

(1) Nerion floribus rubeſcentibus ſimplicibus C. B. P. ſive Rhododendron fl. rubro. J. B. Oleander ſive Laurus Roſea Lob. et Parkinſ.

(2) Nerion floribus albis ſimplicibus. C. B. P. Rhododendron fl. alb. ſimpl. J. B.

(3) Nerion Indicum anguſtifolium floribus odoratis ſimplicibus albis, ſive Belutta Areli aut Fula meſtica alba. Hort. Malab. T. IX. fig. II. vulgo flos myſticarum, teſte Hermann. Prodr. Parad. Batav. p. 356.

(4) Ne-

(4) Nerion Indicum anguſtifolium floribus odoratis ſimplicibus variegatis ex albo et roſeo Turnefortii in Coroll. Inſtit. rei Herbar.

(5) Nerion Indicum latifolium fl. variegatis odoratis plenis. Hort. Amſter.

(6) Nerion Indicum latifolium fl. rubris odoratis plenis ſive Tſiovanna Areli aut Fula meſtica rubra Bramanibus Caniru dictum. Hort. Malab. T. IX. fig. I. p. 1. Breyn. Prodr.

(7) Nerion ſcandens Americanum radice Bryoniae tuberoſa Plumerii in Cl. Turnefortii Inſtit. Rei Herb. p. 605.

(8) Nerion Americanum maximum folio longiſſimo nonnihil mucronato, quam ſpeciem Hutlepatlen ſive Arborem igneam Recchi credit Illuſtr. Sherardus in Paradiſ. Batav. Beat. Herm.

(9) Nerion Americanum maximum folio longiſſimo obtuſo floribus odoratis luteis Paradiſ. Batav. Herm.

(10) Nerium Americanum lacteſcens longiſſimo folio, fl. albo odoratiſſimo Hort. Beaumont. Catal.

(11) Nerion Portoricenſe craſſo anguſtiſſimo folio, inter plantas ſiccas exoticas Ampliſſimi Beaumontii.

(12) Nerio ſimilis arbor. C. B. P. Nerii facie arbor. J. B. Niſi obſtaret tomentum, quod arboris hujus ſeminibus adſcripſit Pena, potiori jure Palega pajanelli et pajanelli Hort. Malab. T. I. quam Nerio congenerem credit Illuſt. Sherardus in Parad. Batav. B. Hermann. ab ipſo edit. p. 50. Paja pajanelli et Pajanelli ſemina ſunt depreſſa membranacea more imbricum in ſiliquis invicem incumbentia. Conſimilem diſpoſitionem habent ſemina arboris Nerio ſimilis. Siliquae enim, docente Pena, infarciuntur pelliculis cepaceis exuvium ſerpentis ementientibus, aſt, quod difficultatem parit, tomentoſis. Si igitur per tomentum intelligendum ſit cauda lanuginoſa, ut Lobelius, uterque Bauhinus et alii intelligere viden-

 tur,

tur, utique Neriis, non Pajapajanelli aut pajanelli annumerandum cenſet ill. Sherardus.

(13) Nerium Mexicanum Perſicae foliis ſiliquis luteis, Mexochitl ſeu Omexochitl Nard. Ant. Recchi, quam plantam Terentius ad Apocyna, Fab. Columna ad Neria referendam cenſet, et Jonſtono Nerio ſimilis arbor altera vocatur. Aſt fructus, quos ipſe Terentius Burſae paſtoris ſimiles fecit, docent ad arbores capſulatas recenſendam eſſe arborem iſtam Mexicanam.

Vix Nerium, forte Apocyno congener, inquit Terentius, eſt Arbor illa Mexicana N. A. Reccho TETLATIA ſeu urens arbor Haitanis Guao dicta. At repugnat fructus, qui a Nerio et Apocyno valde alienus, et, Reccho ipſo teſte, uredinis forma et magnitudine eſt.

Neriis quoque Cl. Zanoni in Hiſt. Botan. duas plantas Creticas annumerat, quarum primam vocat, *Leandro Cretico fruttifero majore fetido.* Latine, Nerion Creticum fructiferum majus foetidum. Alteram nominat *Leandro di Candia fruttifero minore fetido*, ſive Nerion Creticum fructiferum minus foetidum. Iſtas autem plantas nequaquam ad Neria, ſed ad arbores bacciferas, et forſitan ad *Periclymena* ſeu *caprifolia* ſpectare, florum forma et baccatorum fructuum diſpoſitio evincere videtur ſaepius jam laudato Dn. Sherard. cui ſententiae calculum adjecit ill. Rajus in Append. Hiſt. Plantar. Accenſeri quoque Neriis alias plantas, mox videbimus; omnes tamen inter hactenus recenſitas ſupereminet Malabarenſium Tſiovanna Areli, ſive Nerion Indicum latifolium floribus odoratis plenis, cujus floris deſcriptionem ex Horto Malabarico depromendam duxi, ut plantae hujus venuſtas eo melius eluceſcat. „ Flores hujus Nerii in ſummitate ſurculo-
„ rum in petiolis, qui terni ſimul ex angulis lateralibus erum-
„ punt, ac ad exortum parvo cuſpidato viridi foliolo, quod

„ dein


Tab.VI. p.36.
Giovanna Areli.
Gul-Badſamur.

dein decidit, ſuccinguntur, plures cōngregati, ſeptem „ vel octo videntur, ſuntque roſae plenae, foliolis rotun- „ diolis, anterius leviter cuſpidatis, incarnato roſaceis, tri- „ bus ordinibus diſtinctis, quorum ſinguli quinque conſtant „ petalis, exterioris ordinis intenſius rubeſcunt, medii latiora „ ſunt ac roſaceo dilutiora, exterius magis albicantia et ni- „ tentia, intimi valde criſpata, in medio interius tenui zonu- „ la albicante obducta, ex qua floſculos ejiciunt candidos, „ collum in collo foliorum medii ordinis includitur. *Stami-* „ *na* in medio numerantur decem flocculoſa inferius plana, „ glabra, candida, ſuperne pilis barbata et tortuoſa. *Calyx* „ ex quinque anguſtis viridibus, cuſpidatis foliolis confici- „ tur. *Gemmae* oblongae ſunt, foliis ſupra ſe invicem con- „ volutis ac rubro-fuſco nitentibus. In floribus praeterea „ animadvertendum, quod primo magis rubeſcant, ac de- „ inde magis ad incarnatum vergant; item quod rarius dent „ *fructum*, ac non niſi in vetuſtioribus plantis. Hactenus „ Hortus Malabaricus. Excell. Hermannus in Hort. Acad. Lugd. Bat. p. 450. flores hos multiplici petalorum ſerie conſtructos, amplitudine ad *Roſas moſchatas* accedere ſcribit, *odoris* ſuaviſſimi, ob quem de collo geſtantur ab Indis. Colitur hinc in hortis Ceylonenſium aliorumque Orientalium toto anno, ex quibus in Belgium, et quidem in Hortum Lugduno-Batavum, transferri curavit Illuſtriſſ. Beverningius, in cujus nitidiſſimo viridario inter caetera ornamenta luxuriat. Nerii culturam propagandique modum ſi quis alius, optime certe tradidit Excell. Muntingius in de naawkeurige Beſchryving der Aardgewaſſen Art. 22. p. 184. et Cauſe in de koningliche Hovenier pag. 320. Praecipue Dn. Sterrebekke in de Anwyſinghe de hinderlyke Kruyden cap. XV. annotavit: Nerium licet ſitibunda humidumque appetens exiſtat

 plan-

planta, flores tamen ejus e pluvia ſtatim removendos eſſe, utpote putredini maxime obnoxios.

Quod ſi haec Nerii ſpecies viſa fuiſſet veteribus, et τὸ ἄνθος ῥοδοειδὲς, uti Dioſcorides exprimit, haud mirum, ſi Ῥοδωνιὰ Rhododaphnen credidiſſent cum Suida; quam vocem tamen doctiſſimus Gaza *Roſam*, alii in plurali *roſacea*, nonnulli *plantarium roſarum* interpretati ſunt. Heſychius: Ῥοδωνιὰ, ὁ τόπος, ἔνθα φύεται τὰ ῥόδα. Harpocrat. in Lexic. p. 312. e Demoſthene et Hecataeo probat, Ῥοδωνιὰν eſſe τὴν τῶν ῥόδων φυτείαν, *locum, ubi roſae naſcuntur*. Thomas Magiſter, in Eleg. voc. Attic. ex Edit. Blancardi et Lamb. Bos haec habet: Ῥοδωνιὰ, ὁ τῶν ῥόδων τόπος. ῥόδον δὲ τὸ ἄνθος. ῥόδη αὐτὸ τὸ δένδρον. In Gloſſis utrumque. Ῥοδωνιὰ Roſarium et Ῥοδωνιὰ rubriceta. Graeci hodierni vocant Ῥοδωνιὰ Ῥοδοπέρβολον. vid. du Freſne Gloſſar. med. et infim. Graecitat. pag. 1304. Cl. Bodaeus a Stapel, cujus immaturum obitum omnes boni et docti aeternum venerabuntur, in Commentar. ad Hiſt. Plant. Theophraſt. erudîtiſſ. Rhodonia per roſam, cui frons perennis, qualis *Roſa del Cairo* vulgo dicta, i. e. roſa ex Cairo urbe Aegypti delata, interpretatur, Nerioque noſtro minime competere credit. Induſtrius Gorraeus in definit. Medicis tradit, Rhodonia vocari vitem, flavas uvas ferentem, foliis lauri nunquam decidentibus, amaris. Apud Athenaeum vero libr. IX. Deipn. ῥοδωνιὰ ſive ῥοδωντέα λόπας edulii genus eſt ex roſis, cerebro, ovi luteo, garo, pipere, vino, tritis, et in patella frixis. Confer Not. in Pollue. Edit. Hemſterhuiſ. in Fol. p. 137. ubi plurima notatu digna occurrunt, an Ῥοδονιὰ, Ῥοδώνια, vel Ῥοδονία ſcribendum ſit. Vtut fuerit, certe elegans floris Nerii ſtructura nitorque roſeus, coronis Rhododaphnen intulit. Hinc Virgilius cecinit in Culice:

- - - *Hic Rhododaphne*
Liliaque et roris non avia cura marini.

ut

ut ſic locum obtinuerit inter vernos flores lectiſſimos, *lilia et roriſmarinum*, de quibus Ovidius l. 12. Metamorph.

> *Vt modo rore maris, modo ſe violave roſave*
> *Implicet, interdum canentia lilia geſtet.*

Sed mentitur tantum roſam Rhododaphne; hinc Apulejo eam pro veris roſis habenti, necem paene intuliſſe, ſequens locus ex ejus Metam. libr. IV. p. 64. Edit. Pricaean. deſumptus indigitat: *Video frondoſi nemoris convallem umbroſam, cujus inter varias herbulas et laetiſſima vireta, fulgentium roſarum mineus color renitebat. Sed loco proximus, non illas roſas teneras et amoenas, madidas divini roris et nectaris, quas rubi felices et beatae ſpinae generant, ac ne convallem quidem usquam, niſi tantum ripae fluvialis marginem denſis arboribus ſeptam video: hae arbores in lauri faciem prolixe foliatae pariunt in modum floris inodori porrectos caliculos modice punicantes: quos equidem fragrantes minime terreſtri vocabulo roſas laureas appellant, quarumque cuncto pecori cibus lethalis eſt.* Repetit hoc Samoſatenſis ſcurra, Lucianus in Lucio ſive Aſino T. II. p. 88. Edit. Graevian. οὐκ ἦν ῥόδα ἀληθινά. τὰδ᾽ ἦν ἐκ τῆς ἀγρίας δάφνης φυόμενα ῥόδα ἐκεῖνα δάφνην αὐτὴν καλοῦσιν ἄνθρωποι, κακὸν ἄριστον ὄνῳ τοῦτο παντί. *Sed roſae illae non erant verae roſae, ſed quae ex lauro ſylveſtri naſcuntur; laurum ipſam vocant homines, qui malus cibus eſt aſino omni.* Quam ob cauſam, cum aſinis adeo infeſta, *Aſinaria* dicitur in Gloſſis Philoxeni, uti reſcribit maximum literarum decus Bochartus, pro herba Sinaria. Strabo certe libr. XV. p. 1052. Edit. Almeloveen in Ariana multa Alexandri jumenta, hujus plantae (quam ὁμοιόν τι δάφνῃ φυτὸν, vocat) eſu, periiſſe *Comitiali morbo* ſcribit. Quanquam non ſolis jumentis, ſed et pecori omni mortiferam eſſe, jam ex Dioſcoride retulimus.

Nec tantum

equos

equos perimunt, muloſque aſinoſque caneſque,

cum Palladius lib. I. c. 35. murium ſylveſtrium aditus, Nerio ſolum claudi jubeat, qui hoc flore, dum exire conantur, pereunt. Simile quid tradit in Geoponic. ſcriptor. a Caſſiano Baſſo collect. Apulejus libr. XIII. cap. 5. p. 360. Edit. Needham; Hinc oleander quoque dicitur Nerion, non quidem ab olea, ſed ab ὀλεῖν, i. e. ſecundum Martin. in Lex. Etymol. ὀλλύειν, perdere. In Inſcriptione apud Excell. Sponium in Miſcell. Erudit. Antiq. Sect. III. n. 57.

VIGILIΛ METIA MΛSSΛE FILIA
MARTI OLLVDIO
V. S. L. M.

ubi Mars Olludius ab ὄλλυμι, tanquam deſtructor humani generis; ſic Oleander ſive Nerion pariter pernicioſum pecudibus: hinc Germanis, Unholden Kraut.

Quam tamen deleteriam Rhododaphnes qualitatem, ut a prima hominis labe derivet, qui prudenti olim cecinit Prudentius ore in Hamartig. v. 232. cicutam ante peccatum et Rhododaphnen innoxias fuiſſe, his verbis probare nititur:

Noxius in teneris ſapor aeſtuat ecce frutetis,
Cum prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roſcidus et viridem qui veſtit flos Rhododaphnen,
Pabula laſcivis dederit ſincera capellis.

Quos ultimos verſus R. P. Chamillard. in Edit. hujus Poëtae ad uſum Ser. Delph. ſic optime interpretatus eſt: et flos madidus rore, qui implicat viride Nerium, erat capellis petulantibus paſtus ſalutaris. In VVidmann. et Bongarſian. cod. MSt. legitur Rhododaphnin, et Iſon Magiſter Gloſſae veterum explicat, Daphnis Graece Laurus dicitur: optimae tamen notae MSt. et Editiones Rhododaphnen exprimunt.

Haec

Haec igitur olim ante lapſum innocua planta, animalibus cunctis nunc noxia; quam non damnoſam hominibus eſſe vult Dioſcorides,

inclytus ille
Natus Anazarbo patria Pedacius heros,

Libr. IV. cap. LXXXII. quem locum modo recitavimus. Ejus ſententiam confirmat Plinius L. XXIV. cap. XI. *Mirum, folia ejus quadrupedum venena eſſe, homini vero contra ſerpentes praeſidium, ruta addita et e vino pota.* Vel ut Poëta Latinus expreſſit:

Iumentis, ramis et frondibus omnibus una eſt
Exitioſa ſuis Rhododaphne: namque veneno
Enecat illa ſuo. Colubros tamen alma miniſtrat
Praeſidia adverſus omnes mortalibus aegris.

Pergamenus tamen noſter Libr. VIII. de Simpl. Med. Facult. maxime refragatur, ſcribens: Νήριον ἡ Ῥοδοδάφνη, γνώριμος ἅπασιν θάμνος, ἔξωθεν μὲν τοῦ σώματος εἰ καταπλασθείη, διαφορητικῆς ἐστὶ δυνάμεως. ἔισω δὲ λαμβανομένη ὀλέθριόςτε, καὶ δηλητήριος, οὐκ ἀνθρώποις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πλείστοις τῶν βοσκημάτων. Eadem fere repetit infra: Ῥοδοδάφνη κατὰ μὲν τὴν ὅλην οὐσίαν δηλητήριός ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείστων βοσκημάτων. *Nerium aut Rhododaphne, notus omnibus frutex, foris quidem illitus digerendi vim obtinet, porro ſi intra corpus aſſumatur, pernicioſus ac venenoſus, non tantum hominibus, ſed plerisque etiam pecudibus eſt. Rhododaphne tota ſua eſſentia venenum eſt, nec tantum homini, ſed plerisque pecoribus.* Qui Galenum et Dioſcoridem conciliare ſtudent, quos inter praecipue Matthiolus, dicunt: Nerium ſumtum hominibus, a ſerpentibus non demorſis, pernicioſum eſſe. Dioſcoridis vero ſententia, idem iis remedio eſſe, quos ſerpentes momorderint; qua ratione cantharides, auctore Ibn Sina, a cane rabido demorſis medentur, et eu-

F phor-

phorbium a ſcorpione ictis, aliaque venena plerumque aliorum ἀλεξιφάρμακα. Valerius Cordus, doctiſſimus juvenis, alio hos Medicorum principes modo conciliari poſſe credit. Si nempe intra corpus ſumatur Nerium, venenum eſſe; ſin foris imponatur, contra venenatorum morſum auxiliari. Sed optime diligentiſſimus monuit Bauhinus, revera Nerium intra corpus ſumtum, contra ſerpentium morſus opitulari, Dioſcoridem intellexiſſe; fideliora enim exemplaria habent: σὺν οἴνῳ πινόμενα, *cum vino pota*, videlicet flores et folia. Eruditiſſimus Bodaeus a Stapel, pace tantorum Virorum credit, vocum vicinitate deceptum Dioſcoridem, confudiſſe Νήριν ac Νήριον. Νῆρις memoratur Nicandro in Theriacis: Νήριν πηγάνιόν τε περιβρυὲς ἔνδετε Θύμβρης Δρεψάμενος βλαστόν. *Nerimque et late ducentem germina rutam ſurculus addatur Thymbrae.* Haec autem Νῆρις a Nerio plane diverſa, nil aliud quam Nardus montana, *quam Syria gignit Intonſique procul Cilices collesque Sibyllae.* Dioſcorides Libr. I. cap. VIII. *Nardus montana, quae a quibusdam Thylacitis et Neris appellatur.* Nardum autem montanam adverſus venenatarum beſtiarum ictus, morſusque valere, nemo in dubium vocabit. Acetum et ſyrupum hinc paratum morſibus venenatorum animalium, *atrisque venenis, quae coluber fudit*, tam intrinſecus quam extrinſecus praeſentiſſimum remedium eſſe, tradit Cl. Jac. Bontius Animadv. in Garc. ab Orto p. 33. Nerio igitur affictum eſſe, quod Neri ſive Nardo montanae debetur, omnibus patet. Auctoritate Dioſcoridis et Plinii ſeductus Auctor Antidoti Eſdrae, (remedii contra venenata animalia praecipui uſus, quod nobis conſervarunt *Aëtius Amidenus*, Comes Ὀφικίου et *Paulus* Aegineta,) Nerii flores reliquis ingredientibus, et paulo poſt roſas Rhododaphnes adjunxit, et invicem, tanquam diverſa forent, diſtinxit. Hinc optima Cl. Bauhini coniectura; interpretationem Roſarum Rhododaphnes

nes in margine forte a quodam notatam, ab indocto homine textui ipſo inſertam eſſe.

Scribonius Largus ſcribit Compoſ. Med. LV. cap. X. *Ad dentium dolorem commanducare proderit herbam Rhododaphnen, et ſalivam dolentibus trajicere, ac puſillo diutius continere, et ita biantem pati ſalivam decurrere. Marcellus Empiricus*, Burdegalenſis vir inluſter, qui ferme integrum Scribonium in ſua Empirica tranſtulit, haec ut valetudini parum tuta excluſit;

- - - *nam guſtu vehementer amara*
Et fauces acri et linguam mordentia guſtu
nec non pulſantes cordis rodentia venas.

Eruditiſſimus tamen *Rhodius* in aureo commentario ad Scribonium Largum ſperat, Auctoris verba ſine offendiculo ſic legi poſſe: *et ſalivam dolentibus puſillo diutius continere, et ita biantem pati ſalivam decurrere.* " Periculi enim res plena foret, ſcribit ulterius vir vere πολυμαθέστατος, ſalivam deglutire, imo Medicorum inſtitutis adverſa, ut vere moneat Celſus, *vitandum, ne quod hauſtum erit, devoretur*: niſi trajicere idem ſignificet, quod poſtrema ſententiae verba. Hoc vero ineptum, quandoquidem ſaliva aliquandiu retinenda. Verum ne optimum Auctorem ſine cauſſa mutilemus, omnia erunt ſalva, ſi quod credo putet, humorem extra dentes trajectum, ut dolorem leniat, aliquandiu continendum, antequam ore aperto fluat. Qua ratione ſi cui adhuc *trajicere* gravius videbitur, facile patiar, *trahere* ſubſtituat: quod rei et Auctoris menti convenientiſſimum eſt. Ita Celſo libr. IV. cap. VII. *materiam trahere* ac *evocare*, eodem modo venit. At vero Scribonii voce, nihil commodius exprimit allecti liquoris propulſum, qui inter mandendum lingua peragitur. " Haec ad ſalvandum Scribonii Largi locum Cl. Rhodius, artis medicae tantum ſciens et intelligens, quantum humana mente capi et concipi poteſt.

De interno Nerii uſu hodie ad unum paene omnes ſilent, et diligentiſſimo Bauhino ſubſcribunt: *Conſulimus omittendum uſum internum medicamenti dubii, ne in jactura vaſis, artem figulinam faciamus.*

Externe variis varii mederi tradunt Nerium. Diſcutiendi facultatem tribuit illi, ſi forinſecus imponatur, *Pergamenus* noſter VIII. Simpl. id quod repetit *Aëtius Amidenus* Tetrabibl. I. Sect. I. Hinc frictionibus Athletarum commendatum, ceu jam alibi a nobis notatum: huic enim intentioni, ex mente eruditiſſ. *Reineſii*, Nerium quam accommodatiſſimum habitum, utpote ſcabritie foliorum et aculeolis cutem mordicans et laceſſens, eoque ſtrenue diſcutiens. *Abuali Ibn Sina* in Canon. l. II. Tr. I. pag. 105. commendat folia in duris humoribus reſolvendis, ubi egregie proficiunt; dorſoque et genu longo dolore cruciatis mederi, ac prurigini, ſcabiei et intertrigini, praecipue e foliis expreſſis ſuccum auxiliari aſſerit. *Rhaſis* de Simplicibus ſcabiei atque pruritui conferre antiquis doloribus et vetuſtis genuum et renum remedium afferre, ſi ex ea emplaſtrum fiat, tradit; hinc praecipue in Arthritide ab Arabibus commendatum Nerium, cujus morbi octoginta ſpecies Indi enumerant; quemcunque enim dolorem flatus corpori inferant, arthritidis tanquam morbi principalis nomine ſalutant. Vid. T. IX. Hort. Malab. T. VIII. p. 12. Hinc ex *Picrodaphne* (quam et Rhododaphnen Cl. Welſchius eandem credit) ψωρικὸν ἐπίχρισμα πάνυ θαυμαςὸν, *Linimentum Pſoricum omnino mirabile*, et omnibus ulceribus perquam ſalutare Anonymi Graeci recentioris, cujus MSt. exſtat in illuſtr. Auguſtana Bibliotheca: Πικροδάφνης νεαρῆς ἁπαλὰ φύλλα ȣγγ. β. βράσον μετ᾽ ἐλαίου εἰς ἀποτρίτωσιν. καὶ τὰ μὲν, ἃ δεῖ, ῥίψον. εἰς δὲ ἔλαιον πρόσθες κηροῦ ȣγγ. γ᾽. καὶ βράσον ἕως διαλυθῇ, ἐπίπασσε λελειωμένον θεῖον ἄπυρον ȣγγ. α᾽, καὶ καλάχριε ἐν ἡλίῳ. Τινὲς δὲ ἀντὶ τῆς πικροδάφνης σκίλλην ἕψοντες ἐμβάλλουσι. ex verſione Welſchiana:

Ex.

Ex Picrodaphne novella foliorum teneriorum uncias duas cum oleo coques, usque dum contundi queant, et quae opus babebunt, teres. Oleo autem indes cerae uncias tres, iterumque coques, dum diſſolvatur. Tum inſperges ſulphuris vivi et laevigati unciam unam, atque ad ſolem illines. Quidam tamen picrodaphnes ſive Rhododaphnes loco ſcillam coquentes adjiciunt. Haec e codice Auguſtano *Welſchius*, Medicorum paene omnium perfectiſſimus, et, ut cum *Eunapio Sardiano* loquar, ἔμψυχος βιβλιοθήκη, ſpirans, inquam, Bibliotheca, vivumque adeo Muſeum, ita in eo fere nihil ex omnibus artibus, diſciplinis et linguis, quod perſpectum cognitumque non habuerit, deſideretur.

Quae de necandis per decoctum Rhododaphnes pulicibus teredinibusque habet Ebn Sîna, ex Geoponicorum libris, olim Conſtantino Porphyrogeneto adſcriptis, nunc ab Excell. Needhamo, Caſſiano Baſſo tanquam collectori vindicatis, mutuo ſumſit. De Pulicibus domeſticis haec habet *Pamphilus*, Grammaticus Alexandrinus, Ariſtarchi diſcipulus, Geoponic. libr. XIII. cap. XV. p. 371. Ποιήσας βόθρον, καὶ κόψας ῥοδοδάφνας, βάλλε ἐις ἀυτὸν, κἀκεῖ συνδραμοῦνται πᾶσαι. διαφθείρει αὐτὰς ὁμοίως καὶ σπέρμα νάπεως καὶ Ῥοδοδάφνης ζεσθέντα ἀμφότερα, καὶ ἐν τῷ ὄικῳ ῥαινόμενα. *Scrobem facito, et Rhododaphnas contuſas in ipſam mittito, iſthucque omnes concurrent. Perdunt eos ſimiliter ſemina ſinapis et Rhododaphnes fervefacta, et in domo reſperſa.* De *muſcis abigendis* hoc ex *Anatolio*, Theodoſii Imperatoris Magiſtro, refert *Berytius*, vel forte *Hermippus*, Philonis Biblii diſcipulus, Geoponic. Libr. XIII. cap. XII. p. 369. Ανατόλιος δὲ φησὶν, ἐι βούλει αὐτὰς ἐις ἕνα τόπον συναθροῖσαι, ποιήσας βόθρον, καὶ κόψας ῥοδοδάφνας ἔμβαλλε ἐις αὐτὸν, κἀκεῖ συνάξεις ἅπασας. *Anatalio Auctore ſi muſcas in unum locum congregare velis, ſcrobem facito, et Rhododaphnas contuſas in ipſam mittito, iſthucque univerſas congregabis.* De fugandis muribus ruſticis *Apulejus Geoponic.* libr.

libr. XIII. haec habet: Οἱ κατὰ Βιθυνίαν ἔμπειροι ῥοδοδάφνης φύλλα εἰς τὰς ὀπὰς ἐμφράττουσιν, ὥστε αὐτοὺς ἐξιέναι σπεύδοντας τοῖς ὀδοῦσιν ἅπτεσθαι. ἁπτόμενοι γὰρ διαφθείρονται. *Qui in Bithynia rerum experti ſunt, Rhododaphnes foliis foramina obſtruunt, quo mures prodire geſtientes illa dentibus attingant. Ex contactu enim enecantur.* Eadem jam alibi ex Palladio retulimus. Claudat agmen, quod *Sotion in Geoponic.* libr. II. cap. XLII. p. 66. retulit experimentum: ὁ ὀσπρολέων, ὅν τινες ὀροβάγχην καλοῦσιν, οὐκ ἀνάλευσε ἐν ταῖς ἀρούραις, εἰ ἐν ταῖς γωνίαις τέσσαρσι, καὶ ἐν μέσῳ τῆς ἀρούρας ἐμπήξειας ῥοδοδάφνης κλάδους. τοῦτο δὲ πάντα τὰ ὄσπρια ἀσινῆ φυλάξει. *Leguminum leo, Orobanche appellatus, non proveniet in arvis, ſi in quatuor angulis et in medio arvo Rhododaphnes ramulos infixeris. Hoc autem omnia legumina incolumia ſervabit.* Illud paene praeteriiſſem, Ebn Sinae Nerium eſſe ſternutatorium; ubi obiter noto, *Nera* vel *hnera* ſternutationem in lingua veteri Scytho Scandica deſignare. vid. Index Verelii Scyth. Scand. ab Ol. Rudbekio edit.

Nullum quoque dubium, Amuleti vices ſuppleviſſe Nerium. Eſt in Amici gemmaria penu jaſpis cum inſcriptione: ARBVSCVLA AMARA, et literis R. D. in medio ramuſculus; interpretor: RHODO-DAPHNE. Sic Nob. Sponius Miſcell. Erud. Antiq. p. 297. Amuletum ſimile cum literis M. D. interpretatur: *Mater Deorum*, ramum vero Pinum, ſacram huic Deae arborem.

CAP. V.

NErii ſpeciem *Saccharum* vulgo *Schakar el Ma-aſcher* ſuppeditare, teſtis eſt R. P. *Angelus de St. Joſepho*, in Verſione libri Perſice inſcripti: *Mourekabat quarabidin*, compoſitiones Pharmacevtices Auctoris *Mouzaffer Elen Mouhammed el Hoſſeni*, in ſpecim. Not. ad Compoſ. N. 373.

Sed

Sed cum paene deleta ſit Sacchari hujus, Nerii ſpecie producti, in officinis pharmaceuticis et hodiernis materiae medicae ſcriptoribus memoria, ejusque hiſtoria, ſecundum Ill. Salmaſium, non careat ambiguitate, ex Arabibus Artis noſtrae Principibus illud reducendum erit.

Conſervavit nobis imprimis ejus notitiam polyglottos *Deuſingius*, orientalium linguarum callentiſſimus. Sic enim de illo teſtis omni exceptione major, eruditiſſimus *Ludovicus de Dieu* in Praefat. Hiſtoriae Chriſti, e Perſico latine redditae: *Nec praetereundus nobis egregius Juvenis, Antonius Deuſingius Medicus, qui Cl. Jacobi Golii aedibus, adeoque ipſo domeſtico praeceptore, per multos annos uſus, in Arabicis et Perſicis ſic profecit, ut de republica literaria plurimum mereri poſſit.* Nec fefellit haec ſpes, cum Lexicon Medico Arabicum, nomenclatoremque Perſicum et Turcicum conſcripſerit, quod ipſe fatetur Deuſingius in Praeloquio Vindiciarum contra *Bernardi a Doma* furioſos inſultus, et verſione *Cantici Ebn Sinae Principis Abi-Alis*, impreſſa Groening. 1649. in 12mo (cujus opuſculi praefationi vel eruditione vel ingenio nihil omnino eſt quod accedat,) omnibus palam fecit. Hic igitur ἀραβικώτατος *Deuſingius* diſſert. de Saccharo, plura quam Medicorum ullus hac de ſacchari ſpecie collegit, et praecipue circa ejus nomen annotavit, illud varie pronuntiari. Ab *Ebn Sina*, Al-ooſcher; a *Cremonenſi*, Al huſar; a *Bellunenſi*, Alhaſſer; ab aliis (apud *Serapionem* libr. Simpl. c. 50.) abjecto articulo praepoſitivo, *Al Haboſcher*, *Haboſcer*, *Haoſſer*, *Alboſor*, *Aloſſar*, denique *Alhaſſer*. Nec mirum, tantam in ſcriptione occurrere diſcrepantiam, quae ut magnam partem, ita tamen non in totum, ab incuria vel temeritate ſcribariorum in obſcura voce exprimenda profecta eſt, quippe orta plurimum a difficultate, quae eſt circa repraeſentationem primae literae radicalis: Ea cum ſit gutturalis litera Ain, reſpon-

ſpondens Hebraeorum ע, nullo charactere vel characteribus Europaeorum exprimi apta eſt: Dum itaque ea adjunctam habet vocalem *a* vel *u*, a nonnullis pronuntiatur ut *Habo*, ab aliis *Ho*, ab aliis *Hu*, ab aliis *O etc.* Quin et cum vocales non ſint de eſſentia dictionum, ſed duntaxat pronuntiationi inſerviant, adeoque raro ab orientalibus adnotentur; nonnulli pro *o* vel *u* addiderunt *a* primae radicali, ac pronuntiarunt *Ha*. Vulgari modo eorum, qui Hebraeas literas tractant, pronuntiari poſſet *Gno* vel *Ngo g.* conſonante ut G. Germanorum, ſeu Perſarum aut Turcarum K punctatum. Nos facilitatis cauſa *Oo* pronuntiabimus. Secunda autem radicalis eſt *Schin*, valens *ſch* ſeu *ſj*; unde *Ooſcher*, *ooſchar* exprimimus, vel cum minori aſpiratione *Ooſcer*. Haec laudatiſſimus Deuſingius de varia ſacchari hujus pronuntiatione.

Nec minor circa generationem, arborem naturamque hujus ſacchari, diſcrepantia. *Ebn Sina* enim Mannae ſpeciem, ſupra plantam Al oſchar cadentem ſicut fruſta ſalis, credit: cui *Beitarides* ſuffragatur; at male hoc ſaccharum dicit eſſe ſicut fruſta ſalis, in quo denuo id, quod a priori voluit diſtinguere, cum eodem, vel ſaltem ſaccharo Indico, quod dicebat inveniri ſuper arundinem ſicut ſal, confundit.

Diſſentit ab *Ebn Sina Serapio*, (non ille quidem, cujus meminit *Cicero* et *Celſus* Prooem. libr. I. ſed qui tempore *Leonis Imperatoris* circa Annum Chriſt. 742. demum inclaruit;) et ex *Ibn Meſuai* de Simpl. cap. 50. *Saccharum, quod ab Al-Jemen* (Vlug Beig, Parthiae et Indiae Rex, magnique Timurlani Nepos, in Tab. Geogr. a Cl. Gravio Londini Arab. et Lat. edita, *Taman* vocat,) ſive Arabia felici *affertur*, *ſimile maſtichi eſſe et Zuccharum Huoſcher dici* refert. Idem *Serapio ex Iſaac Ben Sulaimen* de hoc ſaccharo memorat: Zuccharum e regionibus *Heigen*, (corrupte pro *Higjaz*, Vlug Beigi *Hejáz*,

ſive

ſive Arabia petraea ſic dicta, quod colligata et conſtricta ſit montibus, teſte Cl. Golio not. in Alfergan. p. 98.) quod nominatur Zuccharum Haoſcher, eſſe minus ſpeciebus aliis in dulcedine, et plus in ſiccitate. Sed in utroque fallit et fallitur *Serapio*: id ipſum enim, quod *Ebn Sina* ſacchari ſpeciem faciebat, adeoque a manna diſtinguebat, cum illa mannae ſpecie confundere videtur, quae *maſtichina* a granorum ſimilitudine, ſeu granata, vel potius granulata, appellari ſolet. Et ſaccharum e regionibus *Higjaz*, perperam pro ſaccharo Al Ooſcher haberi, ſi invicem conferantur, clarum evadet. Elucet ex his, Arabes ipſos hujus ſacchari non ita plenam habuiſſe rationem et cognitionem, cum non ubivis illius fuerit proventus. Cumque ſal *Jemanicum*, ſeu ſaccharum Arabiae felicis, hoc eſt ſaccharum Arabicum Dioſcoridis, Galeni, Plinii, non noviſſent magis exacte, exiſtimarunt alii, illud ſaccharum Arabiae felicis dictum eſſe ſaccharum Alooſcher; alii cum lac illud Alooſcher adeo ſit cauſticum, ut coria illo depilentur, et potum pondere ſesquidrachmae interficiat, ſolvendo excoriandoque, non ex ipſo frutice oriri, ſed de coelo cadere in eam plantam ſub mannae nomine, cum tamen omnis manna dulcis; haec vero concretio ſub amara. Varias has Arabum ſententias ſequenti metro incluſit Cl. *Khuenius* Zodiac. med. T. I. libr. V. p. 861.

Diſtat ab hac Arabum Sacchar, quod ab arbore Albaſſar
Concretum gummi aut ſalis inſtar labitur; idque
Ob teretes grumos Avicennas nomine Mannae
Extulit; Aegypti ac Arabum frondeſcit in oris.

Et paulo poſt:

Fluit manna hoc Sacchar de more minutis
Concretum glebis, non ros, ſed nobile gummi.

Poſt Arabes conticuit in ſcholis fere Medicis hoc ſaccharum.

Illuſtris tandem *Julius Caeſar Scaliger* Parens, naturae illud Daemonium, Exercit. CLXV. contra *Cardanum*, varias ignotasque ſacchari ſpecies recenſens, et hujus pariter non meminit; aſt infelici conjectura, cum *Tigalam* plantam eſſe cenſet, ex qua ſaccharum exturgeſcit, concreſcitque in minutas grandines. Hinc ſaccharum Alhaſar et Alooſher maxime referre credit, ideo notatus ab incomparabili *Salmaſio* in Plinian. Exercit. in C. Jul. Solin. Polyhiſt. p. 926. a. b, qui errorem quoque eruditum errat, dum Tigala aliud nihil, quam lac concretum plantae eſſe judicavit, cum tamen *Bellonium* citaverit, quo Auctore nemo melius generationis hujus ſacchari primordia expreſſit, Obſerv. libr. II. c. 91. p. 148. quando ope vermiculi, ſcarabaei aemuli, ſe intra folia plantae involventis, et inibi habitaculum conficientis, ſaccharum hoc parari ſcribit: id quod Serapio olim obſcure expreſſit, dum ab oculis ramorum ſuccum egredi memorat.

Omnium dilucidiſſime ortum delineat jam ſupra laudatus P. *Angelus de St. Joſepho Not.* in Pharmacop. Perſic. p. 361. quod ſaccharum iſtud exterius corrugatum et agglomeratum adhaereat cuidam e folio infundibili modo contorto nucleo, in quo non fructus, ſed inſectum quoddam nigricans, Perſice *c-hezoukek*, bombycis inſtar nidificat, et recumbit, quod paulatim ut aranea ſibi reticulum negligenter net; idque inſectum muſciforme in vermem degenerans, nucleum ſolidum bombycis modo, ut jam ſupra relatum, quaſi ſepulchrum ſibi parat, intra reticulum comparatum, circa quem nucleum materia illa dulcis et candida quaſi nix glomeratim adnaſcitur et condenſatur, quae Arabice *Saccar el Aſchaar*, aut *el ma aſcher*, et Perſice *ſchakar Tigal* vocatur, i. e. *ſaccharum nidorum*, ut vult *Zein el attar* in ſuo *Echtiarath*; aut vero, et melius, ſaccharum animalium, eo quod aqua diſſolutum ad morbos pecudum gutturales propinetur.

tur. Haec *P. Angelus a St. Joſepho.* De voce *Tigal Bellonius* teſtimonio ſuo confirmat, neminem eſſe, qui Turcica appellatione illud *Tegalia* nuncupari non noverit; cujus nominis originem ὁ πάνυ *Salmaſius*, et Cl. *Deuſingius*, in Graecia quaerunt, cumque ſaccharum al Aſchaar nivi vel lacti ob albedinem aſſimiletur, et in officinis pigmentariis Conſtantinopolitanis in globulos avellanae magnitudinis redactum, ſub *Tigalae* nomine vendatur, lingua graeca vulgari quaſi exprimi τὸ γάλα volunt; ſicuti *Olibanon* dixere olim pro thure ὁ λίβανος.

Vidimus ſacchari geneſin; nunc *arbor* vel *frutex*, cujus folia inſectis ſacchariferis nidorum materiam praebent, examinanda. Mira circa hanc Auctorum divortia. *Ebn Sina Taxum* ſubſtituit, cum *Asjar Taxus* ſit. vid. Plempius in eruditiſſ. ad *Avicenn.* Canon. Comment. Hinc *Gloſſa Cyrilli: Rhododaphne, Taxus*; *lauria andrium*: nam *Taxum* quoque

. . . falſi ſub ſuſpicione veneni
Inſontem Graji jam damnavere Poëtae
Hiſtoricique, fidem fama leviore ſecuti.
Me decet arboreum vatem purgare malignis
Arboream dictis, et ficto carmine Divam.
Si qua fides Vati non Grajo, Taxus ab omni
Pura veneficio eſt, Taxi ſub tegmine quivis
Dormiet inque oculos, inque aures tutus utrasque.
De vino reſponde mihi, et mihi pocula praebe
Taxica, non equidem parcam vel dante noverca.
Put*ida Grammatici res eſt, hinc Toxica dici.*

Sic taxum vendicat ab omni veneno elegantiſſimus Anglorum Poëta, *Coulejus Plantar.* L. VI.

Cl. *Deuſingius* ex Auctore aliquo Arabe notavit, Al oſcher eſſe arborem, cujus fructus vocatur *Cherfaa* finali ע, quod male

 ſcriptum

ſcriptum putat pro *Chervaa*, quod Ricinum ſignificat, teſte *Ibn Bitar*; plantam nempe *Jonae Prophetae*, quae brevi tempore ſuccreſcebat, et quam eroſam a verme indignabatur. *Kikajon* fuiſſe ricinum, fuſe et aſſeveratione irrevocabili tuetur atque defendit *Guilandinus* noſter Epiſt. ad Patric. ejusque ſententiae inhaerent Theologorum praecipui. Planta haec ſub nomine *Pandi Avanacu* conſpicienda eſt in regio opere *Horti Malab.* T. II. fig. XXXII. tantaque copia progerminantem circa Tripolim Syriacam obſervavit Cl. *Rauwolfius* in Itiner. ut viam regiam viatoribus praecluſerit. Eſt et alia hujus nominis *Cherſa* ſive *Kerſa* planta, cujus meminit ſolertiſſimus *Welſchius* Hecatoſt. Prim. cap. XII. pag. 16. quam *corticem Culilawang* eſſe, *in ejus Deſcriptione* cum Deo et die probabimus.

Serapio teſtatur, ſecundum alium quendam Arabem Hehoſcher eſſe ſpeciem tithymali, cui claſſi quoque Ricinus ſeu Cataputia major a nonnullis accenſetur: de qua draſtica planta Poëta monet:

Purgantes inter violentior omnibus herba.
Errones fugito, ſua qui modo pharmaca planta
Hac condunt, virusque ſuis mortemque miniſtrant.
Heu! fuge crudeles artes, fuge vulgus avarum,
Emungens auro aegrotos et funere mergens.

Abrianiſa apud *Serapionem*, per Al oſcher intelligere videtur plantam quandam, quae non niſi aequivoce dictum ſaccharum proferat, ſeu lac aliquod e planta exſudans inſpiſſatum, quod non niſi externa facie ſaccharum repraeſentet, dum interim viribus a ſaccharo longiſſime diſtet. Equidem maximus *Salmaſius* teſtatur, multis aliis praeterea ſuccis, ſed non niſi congelatis ſive coagulatis, ut ſaccar Mambu, ſaccar Tengae e liquore palmeo, Indis Jagra dicto, ſacchari nomen tribui.

bui. Folia porro lata habere Hahoſcher, *Abrianiſa* aſſerit, et Zuccharum quod egreditur ab oculis ramorum et a locis foliorum ejus, et prodeunt ex eo mala ſicut teſticuli camelorum, et ab illis pomis res quaedam adurens provenit, ita ut non poſſit fieri cauterium cum re meliori ea; quando inciduntur folia Hahoſcher, emittunt lac, quod colligitur Majo menſe, et ponunt in eo coria, et non remanet in iis pilum. Quae omnia ab Abrianiſa prolata, non inepte ad Ricinum et genus Tithymalinum referenda, metro incluſit Poëta *Khuenius* Zodiac. med. T. I. libr. V. p. 861.

Eſt arbor craſſo ligno, pulchroque levique,
Et recto, fert poma cameli imitantia formam
Teſticuli, quibus et liquor deſtillat adurens
Adſtringensque parum, ad cauteria commodus igne
Facta.

Eruditiſſimus *Golius* in *Lexico Arabico*, ſtupendi laboris opere, ex Arabum quorundam ſententia refert: Alhoſcher arboris ſpinoſae et gummiferae ſpeciem eſſe, cujus fructus tubercula inflata, quae et hoc nomine appellantur, alba.

In hac ſententiarum diverſitate, ſaepius nobis laudati *Salmaſius* et *Deuſingius*, rite penſitatis omnibus, ad *Apocynum Syriacum*, quod *Periploca Syriaca Dodonaeo* dicitur, delabuntur, eo quod planta haec pariter lacteſcens ſit, e qua ſuccus ſponte magna quantitate exſudans, ſenſim ſimilitudine Gummi Tragacanthi inſpiſſatur. E floribus quoque, loco fructus, duo poma ſeu ſacculi, teſticulos referentes, prodeunt lanugine referti, quibus Arabes tomenti vice implent pulvinaria, et fomitis loco utuntur ad accendendum ignem. Vnde *Hoſcher* in *Exodi verſione Arabica* pro ש״ש ſumitur, quod genus lini ſubtiliſſimi et candidiſſimi ſignificat. Sunt, qui Byſſum interpretantur. Saadias de lana hoſcher accepit

 Exod.

Exod. XXV. Linum autem et lanam indifferenter auctores appellant id genus omne, quod ex arboribus et fruticibus legitur, ut ex goſſypio et aliis corticis plantis. Haec illuſtr. *Salmaſ.* in Homonym. Hyl. Jatric. cap. 79. vid. quoque doctiſſ. *Braunius* de *Veſtit. Sacerd. Hebraei*, paſſim.

Ab his teſticulis vel ſacculis nomen huic plantae tributum *Beidelſar*, ut eſt apud Proſper. Alpin. de Plant. Aegypt. quaſi dicas *Beid el oſſar*, i. e. *ovum oſſar*; aptius tamen *teſtes Oſſar*, ex mente Cl. *Veslingii* obſerv. ad eundem p. 28. dicuntur, quia *teſticulus* ab ovali figura vocatur *Beida*; qui inſuper annotavit *Beidelſar* peritioribus Arabum medicis *Oſſar* ſimpliciter et *el Vſar* dici; et lac ubertim acre atque amarum fundere caule, ramis, nervulisque cunctis, quod concreſcens locis calidioribus, non ſaporis, ſed candoris quadam ſimilitudine *Mann* et *ſaccar el uſar* appellatum fuit. Eſtque haec planta *Ericu* et *Bel-Ericu Hort. Malab.* T. II. figur. XXXI. ex mente Ampliſſimi *Commelini* in Not.

In hanc plantam cuncta, quae *Abrianiſa* de Al oſcher habet et recenſet, ſi Proſp. *Alpinum* aliosque inſpicias, quadrant. *Honorius* certe *Bellus*, literis ad *C. Cluſium*, hanc plantam *Ebn Sinae* et *Abrianiſae* Al ooſcher indubie eſſe credit, et deſcriptione hujus fruticis, ab *Ebn Beidar* et *Malabyſah*, Medico Perſa, qui *Ebn Beidaris Hiſtoriam in epitomen redegit*, (quorum libros MStos apud *Haym Abenxuenſem*, medicum Ebraeum, Hiſpanico ſermone vidit) mutuo ſumta, magis magisque firmat; cui *Cl. Cluſius* pariter *Rar. Plantar.* L. V. c. 4. accedit. Nec alia forte planta induſtrii *Cornuti de Plant. Canadenſ.* cap. 37. qui non tantum de hac majori, ſed et minori Apocyno recto Canadenſi annotavit, ſucco plantam totam turgere lacteo viſcido, cujus lentore fiat, ut pedibus implicatae muſcae haereant, implicatis viſco pediculis, et fruſtra alarum nixu vitae conſulere tentent; quippe et odore

re

re et ſapore allectae frequentes advolant. Forte hoc inſecti genus eſt Perſice *C-hezoukek* dictum, e quo ſaccharum Al-ooſcher confici, refertur a P. *Angelo*. Ne tamen mireris, ab inſectis tantam proficiſci dulcedinem, et melli analogam qualitatem; quippe mirabiliora dabimus in *Myrmecologia noſtra*, ubi de *formicis mannam et Litin Bitſik elaborantibus*.

In admirationem rapitur modo laudatus *P. Angelus*, peregrinatorum ne ullum, curioſiorem licet, excepto illuſtri *Thevenotio*, hujus plantae ab ipſo delineatae et deſcriptae, mentionem injeciſſe, quam αὐτόπτης circa oras maritimas Bender Congo, et Bender Abaſſi, portuum nempe Perſidis e regione Hormuſii, ſaepius naſcentem et luxuriantem obſervavit. Et *Thevenotium* quoque, ratione denominationis plantae aliarumque circumſtantiarum deceptum, queritur ab mercatore Armeno, qui mancam ei mutilamque plantae hiſtoriam ſuggeſſit. Dum enim plantam *Kerzereh* vocat, generale omnium deleteriarum plantarum nomen huic imponit; ſpecialiter autem plantam lethiferam denotat, *fel aſini* dictam, eo quod vel beſtiae hujus felli guſtu ſimilis; vel quod animal hoc duriſſimae caeteroquin vitae, ſi plantae hujus amaritiem deguſtarit, tanquam lethali aſſumpto pharmaco, ſtatim corruat et moriatur, teſte generoſ. Dn. *Chardin* deſcript. Itiner. Perſic. T. II. cap. 3. p. 12. Edit. ult. in 4to, qui inſuper plantam, *Kerzereh* dictam, a planta ſaccharum al ooſcher proferente, plane diſtinguit.

Eſt autem, e *Thevenotii* mente, Frutex ad viri proceritatem et ultra germinans, cujus truncus hominis adaequat craſſitiem, e quo rami prodeunt brachio aequales, in plurimos ramulos, quorum minimi digitorum craſſitie, diviſi. Cortex illi craſſior, ſub quo truncus lignoſus albicans. De hoc ligno Al-ooſchar Serapio: Lignum eſt leve, craſſum, rectum pulchrumque, ut ideo aſſimilaverint cantilenarii in

cante-

cantilenis brachia et crura amaſiarum, ligno huic. Color arboris, ſecundum *Thevenotium*, virore albicat, vel ut *R. P. Angelus de St. Joſepho* explicat, frondibus exterius valde virentibus, interius autem candicantibus, lanuginoſis et flaccidis quaſi verbaſci foliis, figurae ferme ovalis, veluti nucis frondes. *Thevenotius* quoad craſſitiem Lauro cerasi foliis, longioribus tamen, aſſimilat, qui in ordine eorum deſcribendo pariter accuratus exiſtit, dum recenſet foliorum bina ſibi ſemper eſſe oppoſita, non tamen ex eodem latere, ſed ſequentia bina cum praecedentibus crucis figuram efformare, petiolis tamen carere, caulem ex quo prodeunt amplecti, illique annexos eſſe. Ad ſummitatem plantae, et utplurimum prope antepenultimum foliorum ordinem, ſcapus prodit craſſitie caudae ſive petioli Tulipae, (labruſcae aſſimilat *Chardinus*) digiti longitudine, ex quo alii parvi cauliculi oriuntur numero utplurimum quindecim, quorum unusquisque in floris ſummo ſuperbit, qui juncti umbellam efformant; antequam flores erumpunt, dimidii oboli latitudine in diametro adaequant inſtar globuli plani, ejusdem paene magnitudinis ac figurae, cujus ſunt oſſicula albicantia plana in ſummitate, in piſce Raja reperiunda: inferne flores in rotunditatem globantur, dum foliola, ex quibus componuntur, ſeſe jungunt. Flores aperti parvulas mentiuntur Anemones; externe coloris ſunt ad violaceum accedentis, admodum laevigati, fundus interne albicat, apicesque foliorum purpurei coloris, inferne figura pentagona plane lutea elucet, cujus anguli ſinguli in foliolum floris terminantur: et e medio cujusque hujus pentagoni lateris denticulus quaſi, inferne candidus, ſuperne purpureus prodit, ſuntque denticuli hi ſemper binis foliolis interjecti, floresque rubi floribus ſimiles. Haec *Thevenotiana* florum deſcriptio. *R. P. Angelus* fructum floremque alio plane modo delineat. Fructus

ſunt,

ſunt, ſcribit, omnino ſimiles humano ſtomacho ſeu ventriculo quoad formam, non autem ejusdem molis, ſed ferme dimidio majoris, coloris exterius ſubviridis, interius candidi, mollique infarcti pulpa: hi autem flante Auſtro maxime hiant, tum ex hiatu erumpit flos caeruleus, aſpectu mirabilis, lilii delicati ſpecie, quem Perſae vocant *Gul Badſamur*, ex Fr. a St. Joſepho interpretatione, *florem venti pellis caſtorei*, metaphora ſumta a caliditate pellium caſtorei, quibus Perſae contra hyemis rigores veſtiuntur. Generoſ. *Dn. Chardin* interpretatur *florem venti ſuffocantis.*

Ne vero compendio plus aequo ſtudens, rem verius implicem, quam explicem, idcirco hac occaſione paulo altius exordior, et Ben. Lectori prius ex Auctoribus Perſicarum rerum, quale hoc ventorum genus exiſtat, pluribus indictum adhuc, exhibeo. At nemo melius hos nobis demonſtrabit Excell. *Kaempfero in Amoen. exot. Faſc. IV.* §. 3. p. 671 et 721. eſſe nempe ventos ex auſtro occidente poſt meridiem flantes, aeſtuoſos adeo, ut ex orci faucibus propelli magis formidandi nequeant. Incolae eos Baadi- Samur, barbaro ipſis nomine, et venenati quid inſinuante, vocant; rectius circios infernales appellaverint, ex eorum quippe occurſu, praeſertim in turbinem ſi agantur, viatores nonnunquam proſterni et praecluſos ſpiritu ſuffocari contigit, niſi linteo madefacto faciem operiendo, ſuffocationis periculum declinaverint; quo fine nemo facile ſine plena amphora iter hoc coelo ſuſcipit. Res prodigio ſimilis, et ut a nemine hactenus memorata, ſic ex naturae principiis nondum deciſa eſt: Cur ſtygii iſti flatus, cum flammae inſtar ardeant, liquores tamen et madentes pannos contactu ſuo algidos reddant; quin etiam reconditos intra cameram, et non contactos, mediocriter refrigerent? Certe qui a corporis lotura, (quam hic in detrimentum amamus advenae) ex ciſterna madentes prodeunt,

ab hoc vento afflati vim frigoris percipiunt intolerabilem, ac paene funeſtam, niſi ſubito inareſcens cutis moleſtiam cum madore rurſum deponeret.

Quod ſi aqua, vento hoc ingruente, defuerit, aliud remedii genus ſuppeditant generoſi peregrinatores, *Thevenotius et Chardinius*, ut nempe iter facientes linteo ſtatim caput obtegant, pronoque ventre in terram projecti, faciem tamdiu terreſtri glebae arctiſſime infigant, usque dum deleterii hujus preſteris impetus, vix horulae quadrantem durantis, tranſierit. Et quod adhuc magis mireris, corpora turbinis hujus deleterii vi trucidata, diſſoluta quaſi reperiuntur, cum interim ſitui et colori corporis naturalis nihil decedat, et carneae veluti ſtatuae, rigida, vitam quaſi ſpirantia, exanimia tamen, hoc ipſo illis corporibus non abſimilia, quae in cella vinaria reperta fuiſſe, tradidit Excell. *Connor de Antr. lethifer.* Art. II. p. 15. *Chardinius* dormientibus aſſimilat et jungit: Quod ſi hoc vento demortui, et aeterno involuti ſomno, manus pedesque quis tangat trahatque, a corpore ſecedentes mox manibus ſuis tenebit, vel in pulverem rediget; id quod duobus exemplis lectu certe digniſſimis comprobat. Memorat porro, hos ventos inter decimum quintum Junii et Auguſti quintum decimum diem, quo tempore calor ad ſinum Perſicum maxime regnat, ſummam exercere tyrannidem, maximo ſonitu flare, et rubente ac inflammante quaſi colore, inſtar flammae fornacis, ſecundum *P. Angelum*, furere; indicio veneni penetrantiſſimi, a quo nomen gerit. *Bad* quippe ventum denotat; imo ſecundum magos e Zoroaſtri ſecta, *Angelum ventorum Praeſidem, Aeolum ethnicorum. BadKhani* pariter nomen fontis provinciae Damegan, e quo certo anni tempore venti prodeunt tanti impetus et vehementiae, ut homines et animalia ſurſum in aëra tollant, arboresque radicitus evellant: quare cognomen *Geſchmen Bad* fonti huic tribuitur.

tur. Vid. Interpres quondam Regis Galliarum doctiſſimus, *Mr. d' Herbelot dans la Bibliotheque orientale* p. 165. A voce hac *Bad*, veloces et ventorum aemuli equi *Bad pai* dicuntur Cl. *Oleario* in Itiner. Perſic. *Sam̄* autem Arabica lingua *venenum* exprimitur. Hinc in locis ipſis, teſte *Dn. Chardin*, *Sam̄yel* audit, voce compoſita ex *yel*, Turcice *vento*, et *Samm*, *veneno*: nomine hoc Sam̄yel incolas regionum Bagdad et Moſul, ubi triſte pariter ejus dominium, exprimere itidem refert *Dn. Thevenot*.

Accidit ſic hominibus, ſuffocante hoc vento Badſamur obrutis. quod animalibus in antlia pnevmatica Guerikiana incluſis; quae aëre craſſiori evocato, relictoque ſolum iisdem aethere tenuiſſimo, protinus ſpaſmis tentata ſuffocantur et exſpirant. Eſt enim vento hoc irruente et rarefacto, externi aëris elater, internae aëris elaſticitati movendae impar: unde ab hoc viſcera interna cava nimium expanduntur, inflantur, et fibrae tenſionis impatientes, ad contractiones ſpasmodicas irritantur, tandemque ſuffocantur, ni remedio a Cl. *Kaempfero* ſuppeditato ſe muniant. Sic Joſephus Acoſta nauſeam et vomitiones, quas graviſſimas ipſe cum ſociis quibusdam paſſus erat, dum Pericaccae, montis Peruviani et forſan totius orbis editiſſimi, juga tranſiret, non inepte aëris ſubtilitati, materiae aethereae copia rarefacti, acceptas tulit. Nec mirum faciem, linteo madefacto involutam, opem ferre contra ſuffocans hoc flamen, cum jam olim ab Ariſtotele annotatum fuerit, Olympum aſcendentibus ſpongias madidas, ori et naribus admotas, tenuiſſimi indeque infeſti aëris depuliſſe noxam, quod ab illis, qui Teneriffae coelo contermina juga ſuperare ſtudent, pariter fieri aſſolet. Sic canes in antrum Neapolitanum, *Grotta del Cane* dictum, projecti, dum hiante ore jam moribundi in adſtantem lacum Agnanum immerguntur, ab aqua hac quaſi hauſto nectareo latice refecti, ab orci faucibus revocantur, reſtaurantur et currunt. Simile

quid de Svvalbacenſi Crypta, Puteolanae illi ſimili, recenſet in *Obſerv. Medic. Phyſ.* libr. III. Obſerv. 46. p. 535. ſeqq. eruditiſſimus *Pechlinus*, Cimbrorum Archiater feliciſſimus. Qualis pariter ſpelunca in montibus *Al Botom* regionis Mawaralnahrae, de qua ſcriptor Arabs *Ebn Haukal* in opere prolixo, quo, quicquid in univerſis regionibus ſingulare, magna cum laude complexus, ſcribit, quod ejus ſpiraculis occluſis vapor in ea denſus exoriatur, noctu ignem, interdiu fumum referens, et hoc eſſe Al Nuſhader (ſal Ammoniacum.) vid. Deſcript. Choraſmiae et Mawaralnahrae, quam e Tabulis Abulfedae Iſmaëlis, Principis Hamah, Arab. et Lat. Londini edidit πολυγράμματος *Gravius* p. 20. Stupenda haec et incredibilia, mira tamen nemini videbuntur, ſubtiliſſimum et acutiſſimum vaporem hujusmodi poſſe ita corpus undique penetrare, ſanguinisque oeconomiam evertere, cum aura fulminea humana oſſa, intactis carnibus, diſrumpat, gladium in vagina diſſolvat, vinum in dolio obturato cum faecibus promiſcue confundat, et qui ſunt alii effectus, a nimia materiae ſubtilitate et aëris rarefactione in antliis, uti jam diximus, bombardis et tormentis pnevmaticis, dependentes.

Superat igitur ventus *Badſamur* longiſſime malignitate, ventum illum inſalubritate infamem, *Sirocco* dictum, detortum ex Arabico vocabulo *Xaloque*, quem Graecorum Euronotum, et Latinorum veterum Vulturnum interpretatur Patricius Florentinus, *Joh. Bapt. Donius*, in eruditiſſimo opere poſthumo, de Reſtituenda ſalubritate Agri Romani p. 97. quippe Eurus pariter ſolus olim infamis habitus. Sic *Ovidius* Metamorph. II.

Quum mare ſub noctem tumidis albeſcere coepit
Fluctibus, et praeceps ſpirare valentius Eurus.

Similiter *Silius* Punic. X.

Sic Lagea ratis, vaſto velut inſula Ponto

Conſpe-

Conſpecta, illiſit ſcopulis, ubi nubifer Eurus
naufragium ſpargens.

Vti et libr. VI.

Tartareus turbo, atque inſano ſaevior Euro
ſpiritus erupit.

Confirmat haec Poëtarum de Euro doctiſſimus Angliae Cancellarius, Baco de Verulamio Hiſtor. Vent. Nobis in Britannia, ſcribit, Eurus pro maleficio habetur, ut in proverbio ſit, Eurum neque homini neque beſtiae propitium eſſe; addit porro: Eurus ſpirans vere adulto, calamitas fructuum, inducendo erucas et vermes, ut vix foliis paſcatur nec aequus admodum ſegetibus. Hinc Paracelſi ſchola cum tribus ſuis principiis etiam in *templo Junonis* (aëre ſcilicet,) locum quaererent, tres collocarunt ventos, Euro locum non repererunt:

Tincturis liquidum qui Mercurialibus Auſtrum,
Divitis et Zephyri, *orantes ſulphure venas*
Et Boream *triſti rigidum ſale.*

Vincit quoque ventum ſumma notatum infamia, *Gallego*, cujus Auctor ſatyrae infenſiſſimae in Hiſpanos, *Relation de Madrit* gallice inſcriptae, meminit. Nec ejusdem naturae eſt ventus Badſamur, cujus eſt ventus turbineus ex antro ſepulchri Davidis prodiens, intrantesque proſternens, ut in terram proſtrati mortuorum inſtar ad veſperam usque jaceant, usque dum oriatur alius ventus, inſtar humanae vocis exclamans: *Surgentes hinc faceſſite*; qui exinde reſurgunt et attoniti aufugiunt, ceu hoc refert

Jonae filius ille Benjaminus,
laus non ultima ſabbatariorum,

in Itiner. cum verſ. et not. edito ab eruditiſſimo *Conſtantino l' Empereur* p. 46. Sed ventorum hoc par videtur ejusdem veritatis eſſe atque vanitatis, ac fluvius ille ſabbaticus, cujus modo laudatus *l' Empereur*; meminit in *Benjamini* hujus *Tudelenſis Itiner.* p. 206. ſeqq.

A θανατοφόρῳ hoc omnique peſte peſtilentiore vento *Badſamur*, plantam nomen obtinuiſſe, ejusque malignitatem ab effluviis plantarum (vel ventoſis ſpiritibus, ut *Solinus* jam vocabat) eſſe, Perſicae hiſtoriae ſcriptores referunt; ſicque revera huic convenire frutici, quod fabuloſe de ſaxo cecinit *Lucretius*:

Eſt etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore homines tetro conſueta necare.

Licet negari nequeat, ubi copioſior fruticis hujus *Gul Badſamur* proventus, ventum inibi nidulantem, poſteaque ex inſidiis inde proruentem, maligniorem reddi; eum autem non omnem ex dicta planta haurire malignitatem, id ſatis evincit, ventum hunc quoque repertu dari, ubi planta non provenit; quod *Dn. Thevenotius* regionibus Moſul et Bagdad probat; vice verſa plantae hae plurimis in locis luxuriant, vento iſtoc enecante ac ſuffocante deſtitutis, e. gr. in regione Lar, et in vicinia urbis Schiras, et per univerſam orientalem Indiam, teſte modo laudato *Dn. Thevenotio*. Ejusdem ponderis erit argumentum eorum, qui venti malignitatem a certis piſcibus, in ſinu Perſico demortuis, et putredini obnoxiis, quos nominare tamen neſciunt, deducere conantur.

Tota haec planta *Gul Badſamur* lacte turget inſtar Eſularum et Tithymalorum, floris lactis conſiſtentiae, ſecundum *Dn. Chardin*, tantaeque viſciditatis, ut filum veluti ſericeum protrahi queat. *Fr. Ang. a St. Joſepho* ſuccum hunc lacteum trium drachmarum pondere mortiferum judicat; ita ut ſi quis caſu hoc lacte oculos infecerit, coecus exinde evadat, quod Thevenotius quoque confirmat: ſin camelus aut armentum quodpiam ramos fortius attigerit, ſcabie putrida torpeſcat ac moriatur; imo umbram pariter, uti jam diximus, damno-

damnoſam eſſe et excoecantem. Revocat hoc in memoriam, quae de arbore excoecante, albo quoque lacte turgente, memorat Plinius Amboinicus, *Cl. Rumphius Dec. II. Ann. III.* p. 74. cujus arboris folia cum pyri foliis conveniunt, fructus vero triquetri, lathyridis baccis valde ſimiles, quae cataputia vulgo audiunt, radices autem Agallochum ſpurium ſuppeditant. Fumum inſuper combuſtorum caulium Badſamur plantae lethiferum eſſe, a Perſis didicit *Fr. Angelus*: carbones tamen pro conficiendo optimo pulvere pyrio requiri, teſtatur *Thevenotius*. *Hagi zein el attar* in ſuo *Echtiarath* refert, quod puſilla lactis Badſamur portione ulcera

mundentur ſordida melle
excepta, quamvis cruſta contecta rigenti,

tam in capite, quam in ore puerorum. Fidem ſuperant, quae de radice plantae hujus *Luſitanus* quidam *Thevenotio* retulit; partem nempe radicum, ortum verſus repentium, eſſe deleteriam, quae vero occidentem reſpicit, antidoti loco eſſe. Mira hactenus de planta recenſita, quae inde promeruit, ut *c-barg* i. e. *prodigium*, lingua Perſica dicatur, teſtibus toties laudatis *F. Angelo* et *Chardino*, qui prior inſuper mirabilem incognitamque jungit virtutem, cum quosdam Chemicos noverit, qui lac Badſamur, certiſſimum et maximum jactarunt remedium ad opus ſummum conficiendum, et ſpecificum pro fixando Mercurio. Ecquid planta hac, pro deleteria habita, ſalubrius philoſophis adeptis?

Jam quis non videt, omnia, quae de Badſamur venenata dicuntur, in Nerium, cujus ſpeciem omnes hucusque allegati ſcriptores faciunt, aperte quadrare. Producimus e tot venenorum collectoribus *Santen Ardoinum* Piſaurenſem, a *Theod. Zwingero* olim editum, *de Venen.* Libr. III. c. 21. Natura, inquit, oleandri ſive Nerii eſt valde reſoluti "

"va

„ va et mordicativa et inciſiva, cum venenoſa proprietate, „ adeo ut bibere aquam, in qua naſcitur, aut ab ipſo obumbra- „ tur, aut in ipſa balneari, aut bibere de aqua calefacta cum „ ipſo, aut balneari in aqua ſeu balneo calefacto cum eo, aut „ comedere aliquid aſſatum in veru ex eo facto, et diu morari, „ et praeſertim dormire ſub umbra ejus, inducat accidentia „ infra ſcripta; nempe anguſtia vehemens, rugitus, inflatio „ ventris, dolor ventris, alienatio mentis, aeſtuatio et inflam- „ matio, et ventris fluxus et ſyncope et mors, niſi ſuccurra- „ tur. Omnia haec ex acritate intenſiva et mordicativa deducit Santes Ardoinus. Ignoſcite manes Celſi et Scribonii Largi haec Ardoino, barbare ſcribenti, cum teſte *Zwingero* temporum injuriae ſtyli impuritas imputanda, et e ſtercore aurum eruendum, quippe in ea tempora *Ardoinus* incidit, in quibus bonae literae profundo barbariei coeno penitus obrutae fuerunt. Jungit Santes huic Nerii veneno ex *Rhaſe*, *Maſcrineo*, *filio Patriarchae*, *Almanſor*, *Albuali*, *Haly abbate*, et *Petro ab Abano*, remedia: Ilico poſt ejus hauſtum vomitu provocato ſuccus herbarum mucilaginoſarum, ſicut malvae, viſci, et ſiſami tribuatur, remedium affert; quod etiam operatur rerum unctuoſarum doſis, ut butyri cocti et crudi. Ad hoc ſimiliter confert clyſterizari prius cum hydromelle et baurach, et poſtea cum mucilaginibus et oleis. Sed an haec pharmaca veneno Badſamur debellando ſufficiant, in illis locis, ubi dira haec lues furit, crebriori rimandum experientia.

Poſt ſatis perſpectam arborem, ad *ſaccharum Al haſchar* nobis iterum redeundum, et de ejus quoque *viribus* nonnulla annotanda. Sanare illud oculorum albugines puſtulasque; viſumque acuere; pectori item amicum eſſe remedium, Perſae praedicant: hinc illud ingreditur *Sefouf el ſeder*, ſive *pulverem pectoralem Pharmocopoeae Perſicae Mouzaffer Elen Mouhammed el Hoſſeni compoſ. 373.* quod ex aliis conſtat

conſtat pectori amicis ingredientibus, cujus doſis M. j. cum dungo 1. Caphurae et item dungo aquae de cancris emulſae, et cum vino papaverino, et emulſione ſeminis portulacae, ut R.P. *Angelus a St. Joſepho* vertit; qui in Notis ad hanc compoſitionem addit, per triduum decem drachmas aqua tepida diſſolutas, aſthmatico propinatas, ſolamen maximum conferre, ſtomachoque, pectori, renibus ac veſicae propitium exiſtere.

Arabes jam olim easdem paene vires huic tribuerunt ſaccharo. Sic *Ebn Sina*, licet modum generationis et plantam veram ignoraverit, efficaciam tamen omnem viresque ſpecifice recenſuit, dum ſcribit: Eſt in ipſo ſaccharo Al haſcher cum dulcedine pauca ſtypticitas et amaritudo: ita namque e mente *Deuſingii* textus vertendus. Pauca haec dulcedo revocat in memoriam, eam apud Arabes non veram dulcedinem, ſed minorem denotare acrimoniam. Welſchius incomparabilis Hecatoſt. pag. 18. *Ebn Sina* porro pergit: Non facit ſitim, ſicut reliquae ſpecies ſacchari, quoniam dulcedo ejus eſt pauca; eſt bonum ventriculo, et hepati, ac confert renibus et veſicae. Conſentit *Beitarides*: Cum dulci ſapore ſtypticitatis quidpiam et amaritudinis habet. Et Serapio: Quando bibitur, non facit ſitim propter paucam dulcedinem. Ad haec maximus *Salmaſius* annotavit, *Ebn Sinam* et *Serapionem* non ſcribere, ſaccharum Alhaſcher ſedare ſitim; ſed ſimpliciter, non facere ſitim, ſicuti reliquas ſacchari ſpecies; ratio enim affixa, quia parum dulce. Huc collineat *Iſaac Ben Suleimen* apud *Serapionem* de Simpl. c. 50. Zuccharum Haoſcher eſt minus ſpeciebus aliis in dulcedine, et plus in ſiccitate; quare non aufert ſitim, ſicut aliae ſpecies ſacchari, et habet operationes laudatas in doloribus renum.

Seroſos educere humores hoc ſaccharum, diſcimus ex *Ebn Sina*: Confert hydropi cum lacte *al Luffah*. Interpres ridicule

 dicule

dicule vertit: Cum lacte camelae noviter foetae; aeque infelici verſione, ac *Stephanus* interpres *Aali Ebn Abbaſi* vertit: Carnem camelae, quae nunquam concepit; cum non de *camelo*, ſed de *muſtela* Auctor ſcripſerit, teſte Excell. *Welſchio* de Ven. Medinenſ. p. 173. quae certe verſiones riſum, non oppoſitionem, merentur, et ſaepe ſine indignatione legi non poſſunt. Vere in hanc rem, literaturae orientalis ditiſſimus promus condus, *Edmundus Caſtellus*, in *Orat. qua via praeſtruitur ex ſcriptoribus orientalibus ad clarius enarrandam Botanologicam S. Scripturae partem.* Abſurditates, *inquit*, non ridiculae „ tantum, ſed periculoſae admodum, quas in quamplurimos „ libros invexerit linguae unius Arabicae ignoratio; innu- „ merae ſunt, tota Anticyra dignae, et a cunctis rite doctis „ merito exſibilandae. Quid? quod ad artem medicam adeo „ neceſſaria eſt haec lingua, ut propter ejus inſcitiam haud „ raro vitae jacturam perpeſſi ſint aegroti, utinam non ali- „ quoties ſani! Hujusmodi errorum aliquot decades, ne di- „ cam centurias, erraſſe magnos viros, nullo vel quam exi- „ guo negotio commonſtrare ſe velle et poſſe, non promittit „ tantum, ſed et aliquibus probat, quando interpretes *Ebn Si-* „ *nae* pro *allio*, *ſomnum*; pro *vernice*, *Zarnichon* ſive *arſenicum*; pro „ *ſemine carvi*, *cervum*; pro *grano*, *jumentum* interpretati „ ſunt. Quis haec recenſens ſibi temperet a riſu?

Audivimus paulo ante ex *Ebn Sina*, ſaccharum Al haſchar cum lacte *al-Luffah* eſſe miſcendum. Cum autem variae plantae hoc inſignitae nomine; non mirum, illas apud interpretes quoque varietatem peperiſſe ſententiarum. Sic *Luffah Dioſcoridis* arum, quod Syris Luffa vel Lupha dicitur; cujus Arabes duo genera faciunt, Luf ſimpliciter ſive arum, et Luf ſerpentis, quod Graecis antiquis ἄρον δρακόντιον. vid. Illuſtr. *Salmaſ.* Homon. Hyl. Jatr. p. 50. a. F. Datur quoque Luffa, ſive cucurbita Meccenſis ſericea, a *Carolo Avantio* (maximo

rei

rei herbariae detrimento, ipſo aetatis flore mortalitati erepto.) Not. in Bapt. Fier. Coen. p. 41. deſcripta et depicta. *Iſaac Ben. Suleimen* apud *Serapionem* vertit: Cum lacte *Luffah* ſive *mandragorae*. At neque ſic quidem convenienter; cum Luffaah Arabum illud ipſum ſit, quod Geneſ. XXX. vocatur דודאים *Dudaim*, quod et illic minus commode Mandragora vertitur, et a plurimis veteris Interpretibus Foederis, praecipue Cl. Druſio, pro illo fructu habetur, cum potius ſit Perſarum *Deſtambaje*, et Arabam *Schemamah*, quaſi *manus odorata*, ob odoris fragrantiam, quam nonnulli Mali medici quandam ſpeciem faciunt, praecipue cum cortex calidus ſit, ventriculum roboret, flatus ex eodem diſpellat, ad foecunditatem diſponat; pulpa autem difficilioris concoctionis. Odore calefacit fructus hic cerebrum, et ejus obſtructiones aperit, ceu *Beitarides* de eo teſtatur, plurimisque egit Excell. *Deuſingius* Diff. de Dudaim; quae ſi rite omnia ponderentur, minime in mandragoram quadrant. Illuſtris *Ludolfus* in comment. Hiſt. Aethiop. N. 72. p. 139. Muſae ſive Mauz, Ficui nempe Indicae longiſſimo latiſſimoque folio, fructu longiſſimo, Serapioni Muſa dictae, vindicat, haud equidem contemnendis rationibus: quam controverſiam nunc non facimus noſtram. Auctores omnes paene, qui fructus hujus meminere, collegit indefeſſus rei herbariae ſcrutator, *Illuſt. Sloane* in Catal. Plant. Inſul. Jamaic. p. 189. Videturque nil aliud eſſe, quam fructus Americanorum notiſſimus *Bananas*, ſive *Bala* Malabarenſium, et *Kely* Bramanum, quam videſis in Hort. Malab. T. I. fig. 12. 13. 14. ubi et deſcriptionem ejus uberrimam legere poteris. Habetur a nonnullis pro uva illa, e benedicta Terra Moyſi allata. Num. 13. v. 24. Materiam hanc exhauſit ſolertiſſ. *Goeree en de Moſaiſe Hiſtorie de Hebrewſe Kerke* Tom. I. cap XVIII.

Sed reducat nos *Luffah* Arabum ab *ſaccharum Alhaſchar*, quod Cl. *Deuſingio* videtur eſſe remedium aperiens, deobſtruens,

ſtruens, abſtergens, purgans, ac imprimis ſeroſos educens humores. *Salmaſius* easdem ac ſaccharum veterum, Dioſcoridis et Plinii, habere vires, late probat in *Hom. Hyl. Iatr.* cap. 79. p. 109. et certe plura adhuc de Alhaſchar ſaccharo ſuppeditaſſet, ni ejus de *ſaccharo Tractatus* mutilus, pro dolor! e MSt. prodiiſſet. Incluſit *Vires ſacchari Alhaſchar Khuen.* Zodiac. med.

Illud amaroris quiddam ſortitur, eoque
abſtergit parce, adſtringitque; auſterus inhaeret
namque ſapor. Prodeſt vitiis pulmonis et albo
Hydropi: Vires quas non ſortita Pelasgum
ſacchara, veſicae vitiis renumque ſaluti eſt,
Tentantemque oculos nubem caliginis aufert.

Plura non addo, ſaccharo Alhaſchar deſtitutus et experientia.

CAP. VI.

DEflectit jam calamus ad illud, quod πρῶτον ζήτημα hujus diſſertatiunculae, ad uſum Rhododaphnes, quem in dilucidandis veteris Scripturae S. Foederis locis praeſtat. Exod. nempe 12. v. 8. et Exod. 15. v. 25. Ad priorem quod attinet locum, vox *Merorim*, quod cum Azymis et Agno paſchali comedere jubentur, anſam dedit variis variorum interpretationibus. Cum *Merorim* γενικῶς proprie denotet amaritudines; inde ἰδικῶς *amaras herbas*, absque ulla ſpeciei definitione, *Chaldaeus paraphraſtes* et alii plurimi credidere ſignificari. *Septuaginta*: πικρίδας interpretati ſunt, qua voce quoque utuntur Pſ. 64. v. 4. et Thren. 3. v. 15. *Vulgatus* vertit poſt illos: *amaras herbas*, quarum peſſimum genus cum exprobratione amaritudinis appellatum fuiſſe πικρίδα, docet Plinius libr. 19. c. 18. cujus

ſapor

. . *ſapor indicium faciet manifeſtus, et ora*
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

Vulgatae Verſioni favent *Judaei*, qui חסא *Chaſa*, *lactucam*, ingrediens ſalſamenti agni paſchalis eſſe tradunt, quod Rabbinis חזרת *Chaſereth* dictum. Secundum *Gemaram* referendum eſt ad radicem חוס *miſereri*, quod ejus uſus ſit in veſpera Paſchatis, in coena, quae inſtituitur in memoriam agni paſchalis, qui fuit ſymbolum miſericordiae divinae. *Quid eſt Chaſereth? idem quod chaſa; quare dicitur chaſa? quia miſertus eſt Deus noſtri.* *Bartenora* in Peſach cap. 2. fol. 39. 1. citante Excell. *Buxtorf.* in Lexic. Rabbin. p. 722. qui praeterea monet לַטִּיךְ denotare Rabbinis quoque ipſam vocem Germanicam *Lattich*, Lat. *Lactucam*, quippe qua utuntur in deſcriptione ceremoniarum Paſchatis. Cave tamen, hanc plantam *Chaſereth* Rabbinis dictam, confundas cum pulmento *Charoſeth*, cujus itidem in comeſtione agni paſchalis uſus, quod a Viro caeteroquin doctiſſimo factum. Eſt enim illud embammatis genus, in quod Sanctiſſimus Servator noſter in ſecula benedictus immiſit manum, et fruſtulum Azymi intinctum Judae proditori exhibuit, Matth. 26. v. 26. ἐν τῷ τρυβλίῳ, *in catino vel paropſide*, in quo illud embammatis genus *Charoſeth* depoſitum. Erat autem ſpiſſum condimentum e pomis, pyris, nucibus, amygdalis, apud Judaeos Palaeſtinae ex paſſulis majoribus, ficubus, dactylis et hujusmodi dulcibus, malis citriis immixtis, confectum, cui vinum miſcebant et incoquebant, eaque ratione praeparabant, ut lateris ſpeciem prae ſe ferret, multis additis aromatibus, imprimis vero craſſiuſcule contuſo cinnamomo ſuperinjecto, ut paleam et lutum referret, et hoc modo ſibi in memoriam revocarent, majores ſuos in Aegypto palea et luto laboraſſe, lateresque confeciſſe, a חרש *teſta* dictum Charoſeth, ut *Cameroni* viſum. Haec occaſione confuſionis Charoſeth cum Chaſereth, lactuca.

Caſtalio Septuaginta ſecutus, cum cerneret πικρίδες non tam lactucae convenire, quam potius denotare illud *Virgilianum*,

. . *amaris intyba fibris*,

quae ſecundum *Columellam*,

. . *torpenti grata palato*,

vertit: *cum cichoreis*. Intybum autem Graeci σέριν, Arabes *Endeba* vocant. Huc facit, inquit *Druſius*, quod lactuca ſylveſtris ſit σέριδος ſeu intybi ſpecies, quam officinae medicae Endiviam, Rabbini עולשא vocant. Rev. *Cocquius*, Eccleſiaſtes Vliſſinganus, qui ſacrarum vires

Plantarum pandit, doctoque volumine narrat,

non quidem lactucam ſylveſtrem, ſed *Parthenium*, Afris θαμακὰθ dictum, interpretatur, hypotheſin ſecutus maximi Bocharti Phaleg. libr. II. c. 15, ſentientis: idem eſſe cum Hebraeorum *Thamca* vel *Thamceta*, cujus mentio, inter herbas amaras in eſu agni paſchalis, in Chaldaea paraphraſi; nomenque convenire et ſaporem. Quid? quod ut Afris Thamcath, Hebraeis Thamaca, חמכה et Chaldaeis Thamacata; ſic Romanis *Tamnacum* dictum fuiſſe Parthenium, conſtat ex his Plinii libr. XXI. cap. 30. *Parthenium alii Leucanthemum, alii Tamnacum vocant*. Et quaedam parthenii ſpecies hodieque in officinis appellatur *Tanacetum*, unde Gallicum *Tanaſie*, non ex Graeco ἀθανασία, cujus nullus profertur Auctor. Tanaceti hodie adhuc ſaccharo conditur ſemen, cujus ſapor utut amarus, non tamen eſt injucundus, ut nihil obſtet, quo minus adhiberi potuerit in agni paſchalis feſto celebrando. Haec *Cocquius* in Phytholog. ſacr. cap. 20. ſect. 1. §. 2. p. 255.

Vt brevis ſim, alii Hebraeorum *marrubium*, alii *carduum*, alii *armoraciam*, צנון ſive raphanum majorem, alii *gingidium* huc

huc trahunt, alii denique *muſcum*, qui creſcit circa palmam; quos omnes non moror; ſed ex Gemariſtarum praecipuis refero, teſte Excell. *Buxtorf.* in Lexic. Rabbinic. הירדופנין *Hirdophnin eſſe ſpeciem herbae amarae, cujus uſus in eſu paſchatis*, ut videre eſt in *Talm. Peſach.* fol. 39. 1. *Gloſſa* notat hic, quosdam id explicare: אלוישנא *Herba haec fuit beſtiis venenata et lethifera.* דאבלה הרדופני. *Beſtia, quae comedit Hirdophnen.* Cholin c. 3. in Miſchn. Rambam hic notat: הירדופני *hirdophni eſt herba, quae beſtias, ſi eam comedant, interficit; nihil vero nocet hominibus.* Sic et *Bartenora.* Hinc in *Gemara* pariter ſcribitur: *Venenum lethiferum beſtiis eſt Hirdophne.*

Ad quam claſſem autem referenda ſit Hirdophne, altum apud Gemariſtas ſilentium. Sed quis ex hactenus a nobis recenſitis non videt, *Hirdophnen* Talmudiſtarum detortum eſſe ex *Rhododaphne* Graecorum, quod Viro in hoc ſtudiorum-genere, oculatiſſimo Excell. Buxtorfio quodammodo ſuboluit, qui e Graeco Δάφνη Lauro, provenire auguratur. Gemariſtis quoque vox daphne nota. vid. toties laudatus *Buxtorfius Lexic. Rabbin.* p. 563. *Cohen de Lara*, haud ultimus ſabbathariorum, in Tr. de Convenientia Vocabulorum Rabbinicorum cum Graec. ad Lit. ה p. 35. fatetur: *Hirdophne*, ῥοδοδάφνη, *Rhododendrum, Hiſpanorum Adelfa mata conocida.*

Si hodiernos Judaeorum inſpiciamus ritus, *hirdophne* nunc exulat: utuntur quippe raphano majori, armoracia (Meer-Rettich) chaerefolio, (Kerffel-Kraut) petroſelino, hederae foliis et ſimilibus pro regionum diverſitate et locorum. Nec ingratum fore judico B. L. ſi occaſione *hirdophnes*, *ritum agnum paſchalem comedendi, feſtumque* celebrandi, breviter recenſuero. Incipiebant paſchalem coenam poculo primo, et ſingulis tum junioribus, tum ſenioribus, etiam in cunis vagientibus, ſcyphus vini infundebatur; deinde explicabant et exponebant in menſa, Paſchatos celebrationi deſtinata,

nata, agnum paſchalem aſſum, cum ovo indurato, (hinc forſan ovorum paſchalium origo:) catinum, in quo ſuperius jam deſcriptum pulmentum Charoſeth, porro acetar um ex herbis amaris, cujus ingredientia olim erant, hirdophne, abſynthium, lactuca ſylveſtris, aliaque, quorum ſuccedanea modo indigitavimus. Tum canebant partem Cantici *Hallel*, ſive Pſalm. 113. et 114 dimidiam, et bibebant poculum ſecundum.

Veniebant deinde ad herbas amaras ſive acetarium, de quo unusquisque paululum ſumebat, partim ut major foret cibi appetentia, partim ut memoriam recolerent praecepti paſchalis divini. Hoc facto comedebat paterfamilias azyma, Charoſeth pulmentum, iterum aliquid acetarii amaricantis, juncta ſimul benedictione cum agno paſchali, tanquam ultimo ferculo, aliosque haec comedere quoque jubebat. Poſt cibum Deo gratias agentes bibebant poculum tertium, (quo cum poculo Sanctiſſimus Servator, ἰατρὸς ψυχῆς, S. Coenam inſtituebat,) ac denique alteram partem Hallelis abſolvebant. Tum tertiam placentam tollebant, fruſtulum ex ea defringendo, iterumque paululum herbarum amararum deguſtando, quas tamen in Charoſeth non intingebant, quia Rabbi *Hillel*, ſtante adhuc templo ſecundo, ſic fecit, factumque ſuum his conprobavit verbis Exod. 12. v. 8. *Azymos panes cum herbis amaris comedetis.* Sequebatur tum poculum quartum, quod ſalutare ſive poculum Cos fuiſſe, probat Excell. Daſſovius in Celim §. 21. Hoc poculum erat, quod Servator noſter in ſacra ſynaxi bibere recuſabat. Brevis hic ſumendi Paſchatis ritus; quem ſi quis fuſius ſcire deſiderat, adeat fontes, Maimonid. T. I. Hilchot Chamez umazza c. 8. Edit. Venet. ſecund. fol. 246. ſeqq. Mardochai Japhe T. I. Lebhuſchim edit. Prag. fol. 169. ſeqq. Schylcan Aruch Joſephi Karonis P. I. Orach Chaym Edit. Venet. elegantiſſ. in 8. fol. 146. ſeqq. Shibbole liketh edit. Venet. eleg. Fol. f. 19. Col. 1. f. et hebraeis alios.

CAP

CAP. VII.

INſervit Rhododaphne pariter noſtra illuſtrando prodigio Exod. 15. v. 25. de Aquis amaris, ligni vel arboris injectione a Moyſe mitigatis. Locus, in quo miraculum hoc contigit, Mara vulgo dicitur. *Onkelos* et *Jonathan* מַרָתָה i. e. לְמָרָה ediderunt. Graeci Codices μεῤῥᾶ habent. Sic Codex Romanus, a Cl. Druſio citatus: ἦλθον εἰς μεῤῥᾶ; et alius: εἰς μεῤῥᾶν; e qua voce *Merra* forte *St. Auguſtinus* in Quaeſtion. ſuper Exod. *Meiram* detorſit. Latini veteres: Marath, quinta manſio Israëlitarum in deſerto, ubi Moyſes aquas amaras reddidit dulces, conjecto in eas ligno. Interpres Origenis: Poſt tranſitum maris rubri etc. venitur ad Marath, ſive juxta aliam literam, Myrrham. Hinc *Prudentius* in Enchiridio lacum Myrrae in eremo quoque inſcripſit.

Aſpera guſtatu, populo ſitiente, lacuna
Triſtificos latices ſtagnanti felle tenebat.
Moyſes ſanctus ait: Lignum date, gurgitem in iſtum
Conjicite: in dulcem vertentur amara ſaporem.

LXX. πικρίαν interpretantur, ſive amaritudinem: hoc enim ſecundum eruditiſſ. *Cartwigth*, denotat vox Marah. Conſentit *Hieronymus* in Onomaſt. Vrb. et locor. cum *Euſebio* a Cl. *Clerico* editus: *Mara ſignificat amaritudinem, quo in loco cujusdam ligni immiſſione aquae dulces ſunt redditae.* N. Sanſon in Indic. Geograph. et explic. Region. Maram ſtationem Israëlitarum in deſerto, inter deſertum Etham et Elim, Numer. 33. v. 8. 9. itidem ponit.

Cum ad oram maris rubri occidentalem fontes atque lacus ponantur a veteribus, amarore et ſalſuginis ſapore infecti, nihil tale autem exſtet in adverſo litore, hoc aquarum

Marae

Marae miraculo comprobari credit Reverendiſſimus Abrincenſium in Galliis Epiſcopus, *Huetius* in Alnet. Quaeſt. de Concord. Ration. et Fidei libr. II. cap. XII. §. 16. illud *Oroſii* (ſcriptoris, e *Barthii* elogio, bonis utique annumerandi, non quidem primis) L. I. c. 10. ſcribentis: *Non recta mare Ebraeos Aegyptiosque trajeciſſe, ſed in circumerraſſe.* Sunt, qui credunt, amaritudinem fontis poſt Israëlitarum abitum rediiſſe: ex *Plinio* quippe liquet, quod modo diximus, hiſce in regionibus extitiſſe; et adhuc dum exiſtere, recentiora hodoeporica demonſtrant, quae inter *della Valle* et ſolertiſſimi *Monconyſii* nominaſſe ſufficiat, qui prope Muadiam, vix dimidio a maris rubri litoribus milliari, ſcaturigines aquarum amaricantes, ſalſuginoſas, potuque ingratiſſimas, repertu dari teſtantur, lingua Arabica *Aain el Mouſe, fontes Moyſis* dictas. Locus harum aquarum in recentiſſimis Arabiae Tabulis circa Pharan, cujus *Ptolemaeus* L. V. c. 17. et *Stephanus* meminerunt, habitatione Ismaëlis celebris, inveniri poterit. Conſul. diligent. *Goeree* T. III. en de Moſaiſe Hiſtorie der Hebrewſe Kerke p. 367.

Aſt exactius rem inſpiciamus prodigioſam, ejusque praecipuum, quod Moyſes, ipſo Deo monſtrante, hoc lignum ſive arborem aquas amaras edulcorare didicerit. Textus clare exprimit: *Docuit eum Deus.* LXX. Interpretes: ἔδειξεν ἀυτῷ. *Jonathan* et *Hieroſolym. Indicavit ei. Hieronymus: Oſtendit ei.* Quam verbi vim plurimis dictis parallelis illuſtrat Cl. *Druſius* Not. majorib. in Exod. Hauſit ſic Moyſes, ipſo juvante Jova docenteque, vires hujus arboris ſive ligni, quae felicitas poſt illum pariter Salomoni contigit, qui a Deo prius edoctus, librum virtutes facultatesque vegetabilium includentem compoſuit. 1. Reg. 4. v. 33. Hunc librum revera extitiſſe, nugivenduli Talmudici nos credere jubent, codice Peſachim in Miſhna cap. 4. T. II. Edit. Surenhuſ. p. 148. quanquam ibi tantum legitur, Regem Hiſkiam

ſuppreſ-

ſuppreſſiſſe ספר רואות librum medicinae. At *Maimonides* ad illum locum non omiſit annotare, id de libro Salomonis eſſe intelligendum, quem perinde a Judaeis, ubi in morbum incidiſſent, fuiſſe conſultum, ut a Graecis Hippocratis et Galeni ſcripta; teſtatur R. D. *Kimchi* ad 3. Reg. 33. et 4. Reg. XX. Confer R. *Nachmanides* et R. *Levi B. Gerſon.* Hinc *Suidas* in voce Ἐζεκίας, hujus Salomonis libri, ſub titulo: βίβλου ἰαμάτων meminit, quem Ezechias aboleverit, quod populus mentem ad Deum non adverteret, ſed quicunque aegri eſſent, morborum curationes inde peterent, neglecta divini Nominis invocatione. Nec e ſanctis Patribus *Juſtinus* Martyr, ſanctiſſimus Philoſophus, quaeſt. LV. ad Orthodox. et *Procopius Gazaeus* ad 3. Reg. IV. v. 37. naturalis hujus ſcientiae in Salomone obviae dememinerunt. Eadem referunt *Syncellus* pag. 200. *Cedrenus*, pag. 77. et 89. *Anaſtaſius* quaeſt. 41. et *Glycas* pag. 182. *Euſebium* teſtem laudantes, quos omnes recenſet vir ſtupendae lectionis, diviniorisque adhuc judicii, incomparabilis *Fabricius*, in Codic. Pſeudepigraph. Vet. Teſtam. p. 1045. Et forte liber iſte eſt Herbarium, Arabica lingua conſcriptum, cujus meminit ſolertiſſimus *Morhofius* Polyhiſt. L. I. cap. 6. vel ſanctiſſima ars, Salomoni ab Angelo tradita, in Codic. MStis Aſhmol. et in Catal. Mſſtorum Angliae et Hibern. P. I. n. 8277.

A Deo igitur, Auctore Naturae, Salomonis inſtar edoctus Moyſes, hoc experimentum edulcorationis aquarum inſtituit. עץ et lignum denotat et arborem ſynecdochice, teſte magno Buxtorfio in Lexic. Rabbin. et Talmud p. 1642. Hinc interpretum varietatem fluxiſſe auguratur *Druſius*: Nam *Onkelos* אעא et LXX, ξύλον, habent, quae vox in lingua Helleniſtica etiam arborem ſignificat. Caeterum Jonathan et Hieroſolymitanus *arborem* interpretantur. Hanc a Deo Moyſi praemonſtratam arborem ſive lignum, admirabilitatem rei per illum geſtae

extollere autumat laudatiſſimus *Huetius*, non quod aquae vitium ligni alicujus injectu emendaverit; nam naturaliter id fieri potuiſſe, et ſaepe fieri, exemplo e Plinii L. XXIV. c. 1. petito probat, ubi amaras aquas polenta addita mitigari ſcribit, ut intra duas horas bibi poſſint; ſed quod Deo monſtrante huic aquae medelam repererit, quemadmodum et Eliſaeus Dei indicio Hierichuntinas aquas amaras, polenta addita ſaporem mutare cognovit, quod naturale remedium eſſe, e modo citato *Plinio* clarum.

Pergit Cl. *Huetius*, id intelligere licere ex Auctore Eccleſiaſtici, qui ut artem Medicam probet a Deo proficiſci, nec a prudentibus hominibus eſſe aſpernandam, inter medicamenta et Medicinae effectionem eam ponit, qua amara aqua a ligno mitigata eſt dulcisque reddita. Similes porro remediorum monſtrationes jactant profanae gentes, vel confictas, vel daemonum, ſupremum Numen imitari conantium, nefariis artibus effectas, quarum plures fuſe e variis Auctoribus affert. Excerpſi hactenus dicta latius et laetius e conſummatiſſimi judicii Theologo, cum medici ob minimos in Scriptura ſacra interpretanda lapſus et conjecturas, male paſſim audiant, ut in proverbium paene, imo exprobrationem, *Medici religio* relata ſit.

Rabbinorum plurimi, ſi non omnes, ut miraculo huic, quod juſtum equidem aequumque, majus addant pondus, amaram fuiſſe arborem ſive lignum, ideoque aquae injectam, illam adhuc amariorem reddidiſſe, tradunt. Contra naturam iſtius ligni ergo fuiſſe dicunt, quod aquae inde edulcoratae fuerint. Sed Deum aſſerunt, ita voluiſſe exerere ſuam poteſtatem, ad oſtendendum, ſe naturae ſuperiorem eſſe, contraque illam quidvis poſſe. Sic ſaniorum Rabbinorum ſententiam exprimit *Fagius* Annot. in h. l. ſcripturae.

Delirantes Verpas et aniles fabulas proferentes ſi audias,

haec

haec R. *Simeon* apud *Galatinum* aliique narrant, Virgam, qua Moyſes et Aaron miracula fecerunt in Aegypto, et quae poſtea in deſerto floruit, ab ea arbore exciſam eſſe, quam Deus Moyſi oſtendit in deſerto, ut aquae amarae, dulces fierent. Et haec arbor, ſcribunt nugatores, exciſa fuit ab arbore vitae, quae in Paradiſo ſita erat, Angelorum manibus, quam miſerunt Adae, cum ille miſiſſet Seth filium ſuum ad Paradiſum, miſericordiam Dei imploraturum, de ſuo peccato. Dixeruntque Angeli ad Seth, ut plantaret hanc arborem, quae quamprimum fructum faceret, miſericordiae Dei in eum deſcenderent, aperirenturque portae coeli, quae obſeratae ſunt. Hanc autem arborem, ſeu potius ramum, accepit Seth, plantavitque in deſerto, quam poſtea Moyſes in deſerto invenit, et ex ea virgam ſuam excidit, ideoque virga Dei dicta eſt. Diſcors hic ſententiarum Rabbinicarum concordia, circa hanc Moyſis Virgam, cum alii gentis hujus ex horto Jethronis evulſam, ſapphirini coloris fuiſſe pronuntient, Deique ineffabilis nomine inſcriptam fabulentur. vid. doctiſſ. *Gaulminus* Not. in libr. de Vit. et mort. Moyſ. libr. I. cap. 7. Cum igitur veniſſet Iſraël ad mare, neque illius aquas; erant enim amariſſimae; bibere poſſent, Deus oſtendit Moyſi hanc arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et haec eſt arbor illa, in qua Moyſes ſerpentem aeneum impoſuit, per quam Deus univerſum orbem ſalvum facere inſtituit, et mittere miſericordiam ſuam ſuper Adam, cum venerit Rex Meſſias: tunc enim haec arbor fructus geſtabit, quibus ſecundo aquae amarae efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta, quae fecerunt, facturique ſunt homines. Certe! ſi Rabbinica haec inſpiciamus commenta, jumenta ſunt, qui credunt, non homines: quicquid tamen fabulantur, id Judaeorum vulgus portat, ut aſinus Iſidis ſacra.

His e quisquiliis Rabbinicis aurum eruere, et ad crucis my-

 ſterium

ſterium applicare tentarunt primitivae Eccleſiae Patres, e quorum hortulis, omni pietate ſcatentibus, floſculos nonnullos colligere placuit. *Cyprianus* Martyr, a Caecilio Presbytero Carthaginenſi, a quo ad fidem converſus erat, Caecilianus dictus, libr. de Zel. et livor. docet, quomodo meditatione crucis Chriſti, per lignum illud adumbratae, ira et amarulentia ſit lenienda et dulcoranda. *Venena*, inquit, fellis evome, diſcordiarum virus exclude: purgetur mens, quam ſerpentinus livor infecerat, amaritudo omnis, quae intus inſederat, Chriſti dulcedine leniatur. Si de ſacramento Crucis et cibum ſumis et potum, lignum, quod apud Mara profecit in imagine ad ſaporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendam pectoris lenitatem. Amo eos, quos antea oderas; dilige illos, quibus injuſtis obtrectationibus invidebas. Jungimus *Tertullianum*, a Cypriano ſic amatum, ut absque ejus lectione vix dies ipſi praeterierit. Sic autem Patrum ille erudititiſſimus libr. adverſ. Judaeos: Lignum Paſſionis Chriſti, unde Vita pendens, a vobis credita non eſt. Hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyſes aquam amaram indulcavit, unde populus, qui ſiti peribat, in eremo bibendo revixit: Sicut nos, qui de ſeculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur, ſiti pereuntes i. e. verbo divino propinati, ligno paſſionis Chriſti aquam baptiſmatis bibentes, fide, quae eſt in eum, reviximus, a qua fide Israël excidit. *Theodoretus* inter eloquentes ſumme doctus, inter doctos ſumme eloquens Pater, quaeſt. 26. in Geneſ. Satis eſt, didiciſſe, per lignum depoſuiſſe aquas omnem triſtitiam, et hoc noſtram ſalutem praedicit. Nam et ſaluberrimum lignum crucis, amarum gentium pelagus, dulcedinem cum triſtitia commutavit. *Gregorius* Nyſſenus Epiſcopus, cujus pietas ex aequo cum facundia certat, in Caten. Poterat ſane Deus ſolo

ſolo verbo aquam potabilem facere, ſed lignum voluit indicare, ut typum ſalutiferae crucis inſinuaret. Μακαριώτατος *Macarius* Homil. 47. §. 15. Venit populus in Maran, ubi erat fons, amaram aquam e ſcaturigine mittens, eamque inutilem ad bibendum. Jubet ergo Deus Moyſem, metu correptum, lignum projicere in aquam amaram; hoc pacto injecto ligno dulcis effecta eſt aqua, et mutata amaritudine utilis et potabilis reddita eſt populo Dei. Eodem modo quoque anima, epoto vino ſerpentis amaritudinem contraxit, factaque eſt ſimilis amarae ejus naturae, ac peccatrix evaſit. Quapropter immittit Deus lignum vitae in ipſum amarum fontem cordis, qui dulceſcit, ab amaritudine transmutatus, et admixtus Spiritui Chriſti: atque hoc pacto utilis effectus in obſequium Domini ſui cedit: evadit enim Spiritus carnem geſtans. Gloria ſit ei, qui mutat amaritudinem noſtram in ſuavitatem et bonitatem Spiritus. Vae illi, in quem non miſſum eſt lignum vitae! non poteſt enim aliquam bonam mutationem conſequi. Claudat agmen divinus ille Pindarus, e Barthii elogio, quo nemo divinius de Chriſtianis rebus unquam ſcripſit, *Prudentium* innuo, Cathemerin. Hymn. V. v. 93.

Inſtar fellis aqua triſtifico in lacu
Fit ligni venia, mel velut Atticum.
Lignum eſt, quo ſapiunt aſpera dulcius,
Nam praefixa cruci ſpes hominum viget.

Sed relinquenda nobis, invitis licet, melliflua Patrum vireta, et ad Sabbatariorum commenta denuo redeundum, quo tandem ad metam properemus propoſitam. Hi paene ad unum omnes amariſſimam extitiſſe arborem conſentiunt: Diſſentiunt tamen in definienda certa arboris ſpecie. In Jalkut fol. 73. v. 2. Rabb. Jehoſua dixit: *hoc fuit lignum ſalicis.* R. Elieſer dixit: *fuit lignum oleae, quod nullum lignum ſit eo amarius.*

rius. In Jonathan Exod. 15. v. 25: *Et oravit Moyſes coram Domino, et oſtendit Deus arborem ei amaram* אַרְדִּפְנֵי *Ardiphne, cui inſcripſit nomen illud magnum et glorioſum, qua projecta in aqua, dulces factae ſunt.* In Schemoth Rabba ſect. 50. legitur transpoſitis literis: הרדפני *Hirdophne*, R. Jehoſua filius Calvi dixit: *fuit lignum Hirdophne.* Gloſſa ex *Aruch* deſumta explicat, *Hirdophne eſt arbor, quae creſcit juxta aquas, et flores profert ſimiles liliis, quae amarae admodum ſunt et beſtiis lethales.* Addit, vernacule a quibusdam vocari סנגיגי. Quis non videt, *Ardiphne* et *Hirdophne* Rabbinorum eſſe *Rhododaphnen* noſtram juxta aquas creſcentem, amariſſimam, beſtiisque lethalem arborem. Nec te B. L. moveat, quod *Hirdophne proferat flores liliis ſimiles*, cum roſis potius conveniant; toto enim die ignariſſimum hoc ſtudii Botanici verparum genus plantas invicem confundit: nec mirum, cum ab aliis hoc quoque fiat. Sic Poëtae lilium, *Roſas Junonis* interpretantur; et Plinius libr. XXI. cap. V. §. XI. Edit. Harduin. T. IV. p. 113. ſcribit: *Eſt rubens lilium, quod Graeci Crinon vocant. Alii florem ejus Cynorrhodon* ſive Roſam caninam. Plura non addo, cum e praecedenti capite pateat, et Rabbinorum confeſſione firmetur, Ardiphnen et Hirdophnen a Rhododaphne detortam eſſe.

Sunt tamen Chriſtianorum Praeſulum nonnulli, quos inter a Clar. *Coquio* Phytol. ſacr. libr. II. c. 21. recenſentur *Cajetanus*, *Lyranus* et *Corn. a Lapide*, qui a Rabbinorum deflectentes hypotheſi crediderint, in arbore, aquis amaris immiſſa, vim edulcorandi delituiſſe, illasque actu edulcoraſſe, tum ſalſuginem et amaritiem ex aquis exſugendo, tum eis dulcedinem ſibi innatam ſuggerendo. Cl. *Druſio* Not. in Syracid. placuit, aduſtas terrae partes, quarum admiſtione fit amarus aquae ſapor, ſecretas, virtutemque hanc naturalem fuiſſe, qualis eſt in melle, ſacchari cannis, et liquiritiae radice, (cujus

jus tamen folia amariora,) quam hordeato ad potum edulcorandum exhibent Medici; gradu tamen et gratia efficaciori longe et majori: praeſertim cum e Phyſica experimentali, chymicisque obſervationibus conſtet, in quantum guttula rei dulcis diffundi ac dilatari poſſit, ſaporumque differentiae variari: id quod liquido prae caeteris patet ex libello Illuſtris *Boylei* et Excell. *Nehem. Graevv.* inſcripto: *Experiences curieuſes ſur les Saveurs et ſur les Odeurs.* Videtur huic ſententiae favere Hipponenſium ſanctiſſimus Epiſcopus libr. de *mirab. Script.* c. 22. *Hujus*, inquiens, *naturae et tantae dulcedinis fuiſſe lignum videtur, quo intincta fluminis aqua amariſſima, ſuavis et ſapida fieret.* Quod ſi ſanctorum Patrum auguſtiſſimo, et reliquis, quos hactenus laudavimus, Theologis conſtitiſſet, ſaccharum Al Aſchar generari in Hirdophne, Rhododaphnes ſpecie quadam orientali; quantum roboris eorum hypotheſi de edulcoratione aquarum amararum per ſaccharum Al haſchar, cum arbore injectum, acceſſiſſet, nemo non videt. Traherem huc ingenioſ. *Connor* Evangelium medici, ſeu medicinam myſticam de ſuſpenſis naturae legibus ſive miraculis, ad ulteriorem explicationem hujus a Moyſe peracti prodigii in conſortium; ſed tutius judico ἐπέχειν, ne extra ſphaeram evagando, rigidiorum Ariſtarchorum, Medicis, ſacra tractantibus, infenſiorum ſive cenſuram, ſive ὑποτυφίαν incurram. Conſummatiſſimi igitur Theologi *Wittichii* effato in Conſens. veritat. Script. divinae cum veritate Philoſoph. a Carteſ. detect. cap. 41. §. 778. pag. 637. tanquam Palladis aegide munitus, finem impono: Miracula quando praeſentia ſunt, ſenſus circa ea fidem poſſunt juvare, atque ita facilius creduntur, et cognoſcuntur, ita e. gr. quando diviſum fuit mare rubrum, illam diviſionem factam eſſe ſenſus cognoverunt; quando vero facta ſunt, et tanquam facta creduntur, etſi tunc ſenſibus uſurpari non

 queant,

queant, ſenſibus iterum ordinarium naturae curſum percipientibus: nihil tamen impedit, quin credi poſſit, curſum naturae aliquando fuiſſe mutatum, eamque mutationem ſenſibus perceptam fuiſſe, quinimo miracula quando fiunt, ſenſibus utplurimum apparere debent: fiunt ergo quidem contra naturae ordinem conſuetum, non vero contra ſenſuum apparentias: at cum accurata veritas circa res naturales utplurimum repugnet ſenſuum apparentiae, quae a vulgo pro ipſa veritate recipitur, manifeſta ſatis eſt ratio diverſitatis inter miraculorum, et rerum naturalium tractationem, a Scriptura inſtitutam, quae repugnantia impedit, ut vulgus credere potuerit, ſi accuratis verbis ſimplex naturalium rerum veritas fuiſſet oſtenſa. Promit adhuc clariora, quae brevitati ſtudentes omittimus. Confer quoque Excell. *Werenfelſium* de Veritate miraculorum S. Scripturae.

CAP.

Cap. VIII.

AQuis amaris Sotae ſive uxori, adulterii ſuſpectae exhibitis, Num. 5. v. 11. ſeqq. Hirdophnen fuiſſe mixtam, haud abſonum eſſet ſtatuere, ſi firmae forent Rabbinorum nonnullorum ſapientiorum ſententiae. Sic R. *Maimonides* Hilch. Sota c. 3. §. 10. expreſſe ſcribit: Sacerdos rem amaram in aquas conjicit, uti abſynthium, aut quid ſimile, pluresque citat conſentientes Verpas Excell. *Wagenſeilius* quondam noſter, qui

luſtravit quicquid Thalmudis Miſchna recondit
Verſibus, aut Miſchnae ſuccenturiata Gemara,

in eruditiſſ. Tr. de Sota cap. 3. p. 441. Cum vero hirdophne ſive ardiphne ſummam involvat amaritiem, et herbis amaris paſchalibus addita fuerit, quod hactenus demonſtratum; quis aquis hiſce maledictis immixtam pariter fuiſſe neget? Amaricantibus nonnullis impraegnatas fuiſſe, praeter praecipuam Rabbaniſticae Scholae partem, etiam e Chriſtianis viri in hoc ſtudio lyncei et exercitatiſſimi, quos inter Cl Druſius et Ainsvvorthus apud Polum in Syn. Critic. ad h. l. ſtatuunt, praecipue, cum hanc hypotheſin conjecturis ſatis probabilibus probet R. *Salomon Zirza* in Explic. Comment. Aben Esrae in Pentateuch. Fons Vitae, inſcript. fol. 91. col. 3. Edit. Mantuan. ubi in hunc tenorem Aben Eſrae opinioni facem accendit:

E nonnullorum arbitrio ad hunc ſcopum Aben Eſra f. m. collimat, quod Sacerdos aquis illis quicquam injecerit, et quidem, ſi poſt factam genuinam inquiſitionem clara mulieris innocentiae teſtimonia exiſterent, rem, quae virtute ſua conceptionem in iſta promoverent; Sin vero in inquiſitione ſuſpicio de violata conjugali fide validior naſceretur, cum ſcelus, non niſi firmisſimis rationibus comprobatum, a Synedrio morte expiari queat, venenum immiſcuerit, quod ipſi vitae recluderet clauſtra. Atque haec ratio eſt, quod Eſra vocem המרים *Adjectivum eſſe affirmarit.* Huic traditioni ſi fides habenda, an quid aptius in hunc ſcopum hirdophne, productrice illorum ſymptomatum, quae potionem aquae maledictae comitari, Sopitamque afficere ſolent. Haec ſunt, imprimis ſi Santen Ardoinum, quem ſupra cap. V. citavimus, aures praebeamus, ſequentia: anguſtia vehemens, rugitus et inflatio ventris, mentis alienatio et aeſtuatio, inflammatio, ventris fluxus, ſyncope, et niſi ſuccurratur, mors.

Sed clava quaſi Herculis hanc R Zirzae conjecturam, vel commentum potius, monſtri quid alens, proſternit poſt Excell. Wagenſeilium, fuſius Vratislavienſis reverendi quondam gloria chori, Acoluthus, in doctiſſimo de Aquis amaris maledictionem inferentibus commentario, partim ſilentio ſacrae Scriptu-

Scripturae, partim aliorum Rabbinorum, in Majorum verba non jurantium, ſed illis obloquentium, corona. Et profecto Moyſes, dum omnia et ſingula in lege hac zelotypiae exercenda, adeo accurate depinxit, et imprimis aquae confectionem ita praecepit inſtitui, ut ipſa aqua foret ſancta, vaſe eoque fictili, hauriretur, pulvere et quidem non alio, quam qui in pavimento Tabernaculi jaceret, miſceretur, illaque tandem aboleretur ſcriptura ſchedae, abſynthium, vel hirdophnen aliamve rem amaram, ſi qua fuiſſet adhibenda, non omiſiſſet annotare.

Perplacent igitur, quae in hunc locum conſummatiſſimus Theologus, *Auguſtus Varenius*, (dum olim in alma Roſarum ſtudiis incumberem, Praeceptor, Hoſpes, Affinisque filiali poſt fata obſervantia colendus venerandusque) commentatus eſt: *Non quidem gratus palato poterat eſſe confectus de ſordido pulvere, et abluto atro charactere potus, juxta facultatem naturalem, quam habiturus erat ex confectione ſuperiori aeſtimatus; dubium tamen, an propterea amariſſimus. Nihil obſtabit, intelligere aquas illas nec ex facultate naturali, nec ex indita ſupernaturali abſolute; ſed indita per Verbum reſpective, non niſi in ſubjecto reo exercenda; dici pro-*

ut מאררים *ſeu* execrationem *inducentes*; *ita et* מרים *i. e. amaras, ratione ſcilicet exiſtentiae in applicatione ad ream: Cum contra innocenti bibenti, nec eſſent* amarae, nec execrationis inductivae: *pro quo facit vehementer poſitus vocis* למרים *in v.24. et v.27. et praecedens hic Paſchta accentus.*

Et quis tot prodigiis divinis factis in gente Iſraelitica, in hoc zelotypiae probandi negotio non ſubſcribat, cum gentes etiam profanae hujusmodi prodigioſis occultorum facinorum veritatem explorari ſolitae. Sic in perjurii ſuſpicione habebant Ethnici ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ, *aquam redargutionis*, prout aqua zelotypiae vocatur a Graecis interpretibus. Firmat hoc teſtimonium *Philoſtrati* de Vita Apollonii libr. 1. cap. 6. p. 7. Edit. Olear. referentis de aqua juxta Thiana Asbamoea dicta; *haec enim juramenti fidem praeſtantibus aſpectu placida et guſtu dulcis, at perjurii reis palam adverſatur. Epota namque oculos pedesque ac manus pejerantis invadit, puſtulis ac vomicis totum corpus inquinans*; vel ut Excell. Olearius vertit: *moxque et aqua intercute et tabe corripiuntur.*

Qui

Qui vir laudatiſſimus loc. Philoſtr. libr. III. c. 15. ubi de aqua probationis apud Indos agit, inſignem *Pophyrii* quoque locum in fragment. de Styge, cui λίμνης δοκιμαστηρίου, lacus probationis nomen, affert; quibus addi poteſt aquarum quaedam in Sicilia ſcaturigo, furti ſuſpicionem dirimens, apud *Macrobium* Saturn. L. V. c. 19. Spectat huc, quod Pauſanias L. VII. ſcriptum reliquit, de ſacerdotiſſis Graecorum, ſcortationis inſimulatis, taurini ſanguinis hauſtu probare ſolitis; *et eo epoto*, inquit, *ſi legi* de caſtitate colenda *fraudem fecerit*, αὐτίκα ἐκ τούτου τὴν δίκην ἔχει, *flagitium e veſtigio morte luit.*

Nec tamen his gentilium luſtrationibus inducor, ut ſtupendae alias eruditionis Viro, *Spencero*, de Legib. Hebraeorum ritualib. libr. III. cap. II. ſect. III. pag. 788. ſeq. ſubſcribam: qui legem eam latam fuiſſe aſſerit, ne populus ille σκληροκάρδιος in uxores ſaeviret, quas adulterii haberet ſuſpectas; Deumque Hebraeorum genti rationem miraculoſam ad uxoris innocentiam probandam conceſſiſſe, ne gentes exterae prodigio vel privilegio aliquo populum ejus ſuperare viderentur; vel Hebraei zelotypia commoti medio aliquo magico, et inter gentes uſitato, ad ſuſpectam uxorum fidem explorandam uterentur.

Atque haec illa ſunt, quae de Rhododaphne in medium proferre libuit. Jam vero, finem impoſiturus, aliis, qui-

bus

bus plus otii ſuppetit, accuratiori examine reliqua commendo, atque qualiacunque haec cogitata ut aequo animo ſuſcipiat, Benevolum Lectorem Horatiano illo obteſtor:

Vive, vale; ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.



CON-



CONSTANTINIANA DAFNE.

JAm Colophonem impoſueram elaborationi Rhododaphnes, cum Numine propitio ad Sabi Danubiique ripas funderetur ingens Turcarum exercitus. Dum igitur Invictiſſimi Caeſaris noſtri, in foedifragos Getas Martis Vltoris exſuperantiſſimi, triumfalibus lauris cinguntur tempora; haec quoque de Conſtantiniana Dafne, Danubiali opere, nata eſt meditatio. Probavi in Rhododaphnes c. 1. Daphnen prope Antiochiam Daphnoide Apolline celebrem, Syris et poſterioribus Graecis dictam; et Dafnin clarum Calogerorum in Attica, inter Athenas et Eleuſinen ſitum, monaſterium a Rhododaphne, ubertim ibi creſcente, Cl. *Sponio* teſte, nominatam eſſe. Monſtrat his mihi intento animae dimidium meae, Amicorum certiſſimus, *θαυμάσιος Thomaſius*, e nummaria, qua abundat, penu, nummum poſt *Occonem*, *Golzium*, *Baronium*, *Gretſerum*, et quos non? a *Patino*, in Numiſm.

aereis Impp. p. 466. inter Conſtantini M. numiſmata relatum, capite Conſtantini non galeato, ſed lapillis cincto: ex altera parte ſedet Victoria, dextra ramum tenens, dubium an verae, vel ſylveſtris, Victorialis dictae. Nobiliſſ. *du Freſne*, Dominus du Cange, in ſplendidiſſima Hiſtoria Byzantina p. 18. dextra ſcipioni inniti credit, laeva autem laurum geſtare; hanc alii palmam interpretantur. Calcat praeterea captivum victoria juxta tropaeum; cum epigraphe: CONSTANTINIANA DAFNE. Infra legitur CONS. quo Cl. *Patinus*, *Conſtantinopolin*, R. P. *Harduinus* in Num. Secul. Conſtantin. *Civitates Omnes Narbonenſis Secundae* deſignari autumat.

Oedipo indigere hunc nummum, credit verſatiſſimus hoc in ſtudio *Patinus*, et cum Excell. *Begero*, Theſaur. Brandenb. T. I. p. 806. tandem concludit: ob continuas victorias laurum totam ſe Conſtantino aſſerere voluiſſe. Purpuratorum decus, magnus Annalium Eccleſiaſticorum conditor, *Baronius*, T. III. p. 690. hanc Conſtantinianam Dafnen, non lauro, ſed potius loco cuidam hoc ſuperbienti nomine, et quidem Daphni prope Antiochiam, quam Auſonio nominare placuit: *Phoebeae lauri domum Antiochiae*; vindicare nititur, eamque ſtatua Helenae, matris Conſtantini, ibi poſita, nomen *Auguſtalis* obtinuiſſe ſtatuit, ut abolito nempe Apollinis Daphnoidis nomine, tranſiret ex ſuperſtitione in religionem. Obtinuit hoc demum Gallus, qui S. Babylae Martyris loculo illuc translato, Eccleſiam in delubri locum exſtruere decrevit, de quo Sozomenus. Ex quo tempore nullum amplius reſponſum daemon dedit, Julianoque Imperatori ſignificavit, ob corpus Martyris ibi ſitum loqui non poſſe; quare inde tum aſportari curavit. Tradit inſuper *Caeſar* Cardinalis *Baronius*, inſcriptionem nummi hujus, nonnullis invicem ſeparatas dictiones videri, ideoque debere legi: CONSTAN-

TINI

TINI ANADAPHNE; quid autem Anadaphne ſit, intactum plane relinquit. Conſentit Baronio, Romani Juris longe peritiſſimus, *Guido Pancirol.* in Theſ. variar. lect. utriusque Jur. libr. II. cap. 258. p. 428. nummumque hunc ad Daphnen Antiochiae ſpectare autumat ad Tit. *de Cupreſſis ex luco Daphnes non exſcindendis*; quem alii plures ſequuntur. Sed Daphnen Antiochenam non magis deſignari hoc nummo, ac Daphnen Lyciae oppidum, de quo *Stephanus Byzantinus*, vel *Herodoti* Daphnes Peluſias, ab Euphorione Daphnuſas dictas, mox adducendis rationibus clarum evadet.

Si fides habenda Cl. *Patino*, qui Conſtantinopoli cuſum credit et ſignatum nummum, in loca huic urbium orbi contigua, Daphnes nomine venientia, eſſet inquirendum. Exſtabat Daphne φαινομένη Stephani, vel potius e correctione magni *Holſtenii*, μαινομένη ſive inſana; quo nomine quoque appellatur in Periplo Pont. Euxin. et Palud. Moeotid. p. 19. ubi additur: νῦν λεγόμενον σωσθένην, nunc Soſthenes dicitur; Memorat porro doctiſſ. Interpres, Is. Voſſius, ex Arriano, σωσθένεῖον pariter nominari. Vid. Geograph. veter. ſcriptores minor. a Cl. Hudſon. edit. vol. 1. e Theatr. Sheldon. Portum in ore Ponti ad dextram naviganti, quem inſanam Daphnen, unde portui nomen, Rhododaphnen eſſe cap. III. ex *Ptolemaeo*, Hephaeſtionis filio, fuſius probavimus; *Apollonius Rhodius* Argon. libr. II. v. 166. νεάτην Δάφνην nominat: ad quem locum videnda, quae ex *Andrea Tenedio* et *Apollodoro* afferuntur a *Scholiaſte*.

Eſt et prope Conſtantinopolin Daphne Medeae Pharmacitidis, inter locum nuncupatum *Senem mortuum*, et promontorium *Eſtias*, in valle, in qua etiam nunc viſuntur, ex relatione *Petri Gillii* Albienſis de Boſporo Thracico lib. 2. c. VIII, rudera aedis Demetrianae, in vallicula anguſta, undique aſperis collibus circumcluſa.

Eſt et Daphne Byzantia, cultu Apollinis Daphnici praeclarum Conſtantinopoleos ſuburbium, in planitie diplocionis ampla, culta, urbique vicina, mitibus et vitiferis vallibus cincta, in qua, referente Hiſtoria *Evagrii*, Mammianus inſignis Senator, conſtruxerat Antipharum e regione balnei publici, et poſita erat Mammiani aerea ſtatua. Credit *Gillius* Antipharon appellatam ex eo, quod ſita eſſet contra Pharum, quam *Marcellinus* dicit fuiſſe Byzantii, in promontorio *Chryſocera* nuncupato, quod *Dionyſius* appellat Boſporium. Agathiam in hoc Daphnes vico habuiſſe ſuburbanum, conjicere licet ex ejus Epigrammate inſcripto: *in hortum maritimum*, quod *Petr. Gillius* l. c. nobis exhibet. Hinc ſcriptis *Agathias* Daphnicorum nomen impoſuit.

Extitit denique in magno Conſtantinopolitano Palatio locus, appellatus pariter Daphne, quod ex *Codino* refert Dn. *du Cange* in Hiſtor. Byzant. et quidem Conſtantinopol. Chriſtiana L. II. c. IV. p. 122. Locus ita nominatus a ſtatua Daphnes fatidicae ibi poſita; vel quod ibi Calendis Januariis Senatus a populo τὰς Δάφνας acciperet. *Suidas* Daphnen ſtatuit in Auguſteo, ubi ſtatuam, ait, Helenae matris Conſtantini ſtetiſſe εἰς τὸ ἀσκεπὲς τῆς Δάφνης, et ab eo locum appellatum Auguſteum. Patet hinc manifeſtus error Card. *Baronii*, *Panciroli* aliorumque, qui ut Conſtantinianam Daphnen Antiochenae vindicarent, ſtatuam matris Conſtantini et Auguſteum huc transtulerunt. *Theophani* p. 374. et *Leoni Grammatico* p. 458. Daphne illa pars eſt magni Palatii, ad quam ſtetit Oratorium Sancti Stephani, diciturque εὐκτήριον τοῦ ἁγίου Στεφάνου ἐν τῇ Δάφνῃ, ut *Simeon Logotheta* in Michael n. IX. et Leo Grammat. p. 458. habent, cit. Dn. du Freſne. l. c. Sed an haec loca omnia, Daphnes dicta, unquam *Conſtantiniana* fuerint cognominata, vel cognominari promeruerint, nemo certo affirmet.

Ad aliam Daphnen veriorem, et huic nummo convenientiorem, ducimur ab eruditiſſimo *Gretſero*, celeberrimo Societatis Jeſu Theologo, in aureo, quem de Cruce ſcripſit, opere T. III. Libr. I. cap. XXXI. Secuti eum ſunt Vir Divinarum et humanarum rerum ſcientiſſimus, *Jac. Gothofredus* Not. in Libr. VII. Cod. Theodoſ. Tit. I. de re militari p. 273. ingens Galliae literatae decus, *H. Valeſius*, Not. in Ammian. Marcell. Libr. XXVII. cap. V. pag. 376. Edit. Excell. *Gronovii*, qui nummum hunc Tab.

VI. huic

VI. huic Edit. praefixa pariter exhibet. R. P. *Harduin.* in curis ſecundis ad Num. antiq. Popul. et Vrb. illuſtr. Edit. Pariſ. in 4. p. 598. (in nova enim editione Selectorum Operum Amſtelod. Ao. 1709. Daphnis plane omiſſa eſt) et denique Illuſtriſſ. *Spanheimius* Obſerv. ad Julian. Imperator. Orat. I. p. 266 Probant hi ex *Procopii* loco Libr. IV. de Aedificiis cap. VII. p. 83. Μεθ' ὃ δὴ τὸ Τραμακαρίσκας (Valeſius legit τρισμαρίσκας) ὀχύρωμά ἐστιν. Οὗπερ καταντικρὺ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Κωνσταντῖνός ποτε Ῥωμαίων βασιλεὺς φρούριον οὐκ ἀπημελημένος ᾠκοδομήσατο Δάφνην ὄνομα, οὐκ ἀξύμφορον νενομικὼς εἶναι φυλάσσεσθαι ταύτῃ τὸν ποταμὸν ἑκατέρωθεν. *Sequitur arx Tramacariſca, cui in oppoſita continente reſpondet Daphne, caſtellum olim a Conſtantino Romanorum Imperatore haud negligenter extructum, cum e re publica eſſe exiſtimaret, ut ibi utraque fluminis Danubii ripa praeſidio teneretur.* Et cap. XI. inter Caſtella Iſtro appoſita, Κωνσταντιανὰ habet pro Κωνσταντινιανὰ, uti credit R. P. Harduinus l. c. Datur tamen Conſtantina quoque, latiſſime a noſtra diſtans Conſtantiniana, montis prope inacceſſi vertici impoſita, diſtans Tuneto 45. vel 50. Bona 20. vel 25. et Algeria 70. milliaribus Germanicis, Cirta olim dicta, quam accuratiſſime deſcripſit et ectypo ab Ampliſſimo Witzio, Reipubl. Amſtelod. Conſule digniſſimo, communicato illuſtravit Vir, neſcio an dignitate, ingenio vel literis illuſtrior, Gisb. Cuperus, Not. in Lactant. de Mort. Perſecutor. p. 234. ſeqq. Nec mirum cuipiam videbitur, recepti pridem apud nobiliſſimas Romani orbis civitates moris gnaro, Conſtantinianae huic noviter exſtructae arci cognomen impoſitum fuiſſe. Hujus quippe rei obvia eſt, maxime in antiqua nummorum ſupellectile, ratio: ut nempe a quibus urbes erectae aut ornatae fuerant et beneficiis affectae, ab eorum Imperatorum, tanquam totidem loci vel conditorum vel reſtitutorum, nominibus appellationes frequenter mutuarentur, quod plurimis exemplis doctiſſime, uti ſolet, aſſeruit, ὁ πάνυ *Spanheimius* l. c. p. 266. ſeqq.

Situs hujus a Conſtantino noviter exſtructi munimenti, ſive Daphnes Conſtantinianae, patet ex loco *Procopii* modo adducto, nempe ex adverſo Caſtelli Trismacariſcae in oppoſita continente. Vocatur *Ptolemaeo* Τρομαρίσκα, in Tabb. Peutingerianis, Traſmariſca, forte pro Transmariſca: Sic enim Itinerarium Antonini et Notitia Dignitatum Imperii

Orientis exprimunt. Conjectura viri, cui Geographica ſtudia pluri-mum debent, Transmariſcam dici quaſi Transmariſiam vult, a fluvio Daciae Moeſiaeque Mariſo, qui *Straboni* Libr. VII. Μάρισος, Ravennati Anonymo, Mariſia, Ptolemaeo Ῥαβών audiens, ex Dacia transverſe ſub nomine *Marocz* Tibiſco (vel uti in veteri Inſcriptione apud Gruterum, Tibiſſo) miſcetur, in Danubium exonerandus; per quem Mariſiam fluvium auriferum, Romanos milites olim vaſa ad belli uſum neceſſaria, devehere ſolitos eſſe, *Georgius a Reicbersdorff* in Chorograph. Tranſylv. teſtatur. Cum igitur trans Mariſium ſive Mariſcum fluvium, Moeſiam verſus conſtructum hoc Caſtellum, Transmariſiam vel Transmariſcam dictum autumat. Firma quidem foret haec conjectura, ſi in Moeſia ſuperiore ſive prima illud fuiſſet ſitum: cum vero in Moeſia ſecunda, ad ripam Danubii Pontum Euxinum verſus, inter Duroſtorum et Axiopolin a *Ptolemaeo* locetur Tromariſca; dubius certe huic conjecturae locus. Hic ex mente Cl. *Panciroli* Not. in Notit. Dignit. Imp. Or. cap. CLIII. quandoque Jura Diocletianus condidit. L. 28. C. de Fideicom. in quibus mendoſe legitur *Trans mare* pro Transmariſcae. Erat ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis, ducis Moeſiae ſecundae: hinc in Notit. Imper. Orient. inter *Auxiliares, milites Novenſes Transmariſcae*; item inter Legiones *Riparenſes praefecturae Legionis undecimae Claudiae cohortis quintae pedaturae ſuperioris Transmariſcae, et Praefecturae ripae Legionis undecimae Claudiae cohortis quintae pedaturae inferioris Transmariſcae* recenſentur. Milites *Novenſes Transmariſcae* quod concernit, erant illi ex Novo oppido, alias Theodoſiopolis, vel Novae Alilae dicto, ad ripam Danubii, ubi excubabant, inde Novenſes appellati. Ad reliquos praefecturae Legionis XI. Claudiae quod attinet, e *Dione* conſtat Libr. LV. Vndecimam Claudianam Legionem in Moeſia Inferiori fuiſſe, quam a ſe Claudius cognominavit; ea vero tota non degebat Transmariſcae, ſed pars erat Duroſtori. Haec Cohors ſuperiorem et inferiorem ripam tuebatur Tramariſcae, aut per errorem, quod Pancirolo placet, eſt duplicata.

Fuſius haec de Transmariſca ſive Ptolemaei Tromariſca dicta, ut ſitus Daphnes ex adverſo in oppoſita continente eo melius innoteſceret. Ne mireris tamen hujus caſtelli nuſpiam in Tabulis Geographicis fieri mentionem, invenireque locum: cum enim paene omnibus medii aevi et poſteriorum temporum Geographis Ptolemeanae pro norma fuerint, hic

vero

vero Peluſienſis (quem in Geographia et Aſtrorum ſcientia diviniſſimum et ſapientiſſimum virum appellavit Heracleota Marcianus init. Peripl.) jam tempore M. Aurelii Antonini floruerit, Dafne autem demum ſub Conſtantino M. extructa, non mirum exulare illam in Tabulis, quam tamen ex locis Ammiani et Procopii adductis, noſſe potuiſſent et debuiſſent.

Occaſionem extruendi hoc Caſtellum maximo Imperatori praebuere, Scytharum, Sarmatarum, praecipue autem Gothorum irruptiones. Diſcimus hoc ex Auctore veteri Anonymo, qui olim apud *Sirmondum* exſtabat, poſtea vero a praeſtantiſſimo *H. Valeſio* cum Ammiano Marcellino editus eſt. Haec ille memoriae tradidit, p. 506. Edit. Gronov. Cum eſſet Theſſalonicae Conſtantinus, *Gothi*, (et Sauromatae ſub rege Rauſimodo, ut Zoſimus refert L. II. p. 93. ſeqq. Edit. Sheldon.) *per neglectos limites* erumpentes, et vaſtata Thracia Moeſiaque *praedas* agentes, Conſtantini tenore (Valeſius *terrore* legit) et metu repreſſi, captivos impetrata pace reddiderunt. Zoſimus Libr. II. p. 111. Edit. e Theatr. Sheldon. hac occaſione optimum Imperatorem inſectatur, quod limitem Imperii Romani Barbaris expoſuerit, utpote ſubmota majore militum parte a limitibus, contractisque iis in urbibus, nullius opis indigentibus. Sed quis de fide Zoſimi dubitare non incipiat, cum e Daphnes extructione in limite, Barbarorum incurſionibus infami, alia omnia pateant. Firmat hoc ulterius Cl. Gothofredus ad *L. I. de commeat.* ubi tam enixe in id incubuit vigilantiſſimus Imperator, ne milites a caſtris aut ſignis vel praetenturis ſuis abducerentur, Barbaris hoc ipſo praedandi facultatem adimens. Verum eſt itaque Photii Patriarchae de Zoſimo judicium, referentis, eum, religionem paganam ſecutum, in pluribus adverſus pios ſaepiſſime latrare.

Inſtituit autem Conſtantinus his in limitaneis locis diſciplinam militarem, milite nominatim ſub ſignis ſuis retento, *praetenturarum* nomine, de quibus fuſius Cl. Dodwellus in elegantiſſ. Diſſ. de Ripa Striga §. VIII. et IX. Abunde hoc porro probant Conſtantiniani Daphnenſes et Baliſtarii Dafnenſes, quorum mentio in Notit. Dignit. Imperii. Suberant hi Magiſtro militum per Thraciam, qui tres vexillationes Palatinas, quatuor Comitatenſes, legiones Comitatenſes XXI. quas inter Conſtantiniani et Baliſtarii Dafnenſes erant, regebat. Priores in ſigno geſtabant, ſecundum *Pancirolum* l. c. in lutea parma globum aureum,

duobus

duobus circulis, caeruleo luteoque, cinctum, quem a IV. partibus terna coerulea flagella circumſtabant. Indicabat hoc flagellandos hoſtes, qui Romanum orbem, duobus junctis Imperiis munitum, impetierint; quale flagelli genus in aureis nummis ipſum Juſtinianum Imperatorem, barbaris minitantem, manu tenere aſſerit toties laudatus *Pancirolus*.

Poſteriores, nempe Baliſtarii Dafnenſes, in parma rubra habebant aureum globum, duobus circulis, coeruleo et luteo, cinctum, qui octo acutas cuſpides emittunt, quemadmodum Fortenſes auxiliarii ſub Magiſtro militum per Orientem. Margo duplici limbo circumdatur, luteo et viridi.

Ex his ſatis apparet, inter munitiſſima munimenta extitiſſe Daphnen Conſtantinianam, nummumque hunc fuiſſe cuſum et ſignatum, cum Gothi, uti Anonymus ſupra citatus, et a Valeſio editus ſcribit, Conſtantini terrore et metu repreſſi eſſent, captivique impetrata pace redditi, Daphnes nempe ope. Δάφνη enim Graece Laurus: itaque Conſtantiniana Dafne, Victoria eſt Conſtantini Maximi. Sic fatur R. P. *Harduinus*. Hanc Victoriam obtinuiſſe ſuſpicatur Cl. Patinus XII. Kal. Maji A. V. MLXXXXIV.

Gothicae hujus Victoriae teſtes exſtant quoque, apud Nobiliſſ. du Freſne in Familiis Byzantinis, bini Nummi Conſtantini M. alter *de devictis gentibus Barbaris*, alter de *Victoria Conſtantini Gothica*. Quae Numiſmata apud Dn. du Freſne disjunguntur, in nummo Palatini Theſauri Cl. Begeri p. 569. conjuncta cernuntur, pleniore inſcriptione, typo elegantiſſimo. Caput eſt laureatum, cum inſcriptione: IMP. CONSTANTINVS MAX. AVG. In averſa miles Romanus captivum ad Imperatorem, militari habitu adſtantem, trahit. Inſcriptio talis eſt: DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM. GOTHIA. Scilicet Imperatori Maximo, gentium barbararum debellatori, nec Gothi potuere reſiſtere. *Tametſi Barbari et Gothi*, ſcribit *Socrates*, in agros Romanos irruptionem facerent, tamen Imperatoris inſtitutum in Eccleſiis conſtruendis neutiquam praepeditum eſt, ſed utrique negotio provide ab eo proſpectum. Nam iſtos, crucis vexillo, quod eſt Chriſtianorum proprium, in praelio fretus, tam fortiter devicit, ut non ſolum tributum,

quod

quod ab antiquis Imperatoribus dari ſolebat Barbaris, ipſe illis penitus ademerit, ſed illi etiam, quod incredibile, victoria obſtupefacti, tunc primum Chriſtianae religioni colendae, cujus praeſidio Conſtantinus incolumis evaſerat, ſe totos traderent. Ob tantam partam Imperatori Chriſtianiſſimo victoriam, cur non Dafnen porrigeret triumphalem, contra Barbarorum irruptionem erecta Conſtantiniana Dafne? Hincque patet, cur Imperator hic Graecis ἰσαπόστολος, vel ὁ ἐν βασιλεῦσι Ἀπόστολος dicatur, et Eccleſia ipſi feſtum diem d. 21. Maji indixerit. Vid. Acta Sanctorum *Bollandi*, T. V, menſe Maj. et R. P. *Wiltheim* in explicat. Num. Conſtant. M. p. 22.

Promeruit porro in condendis munimentis, et limitibus contra Barbarorum incurſiones aſſecurandis, Imperatoris indefeſſa vigilantia nummum, a Cl. *Patino* in Num. Imper. ex aere Med. et minim. formae p. 466. recenſitum, in quo turris vel aliud aedificium, quod Dafnen Conſtantinianam interpretatur Rev. P. *Harduinus*, Curis ſecund. ad Numm. Pop. et V, cum Inſcriptione: PROVIDENTIA AVGG. Cl. Patinus ſuſpicatur, nummum a Filiis in Conſtantini Patris memoriam percuſſum, Auguſtosque plures duplicata litera GG. deſignari. Stellam inſuper ſuperimpoſitam Apotheoſin denotare credit. Sed cum plures Imperatoris hujus nummi ſimiles, omnes ſine Dafnes inſcriptione, memorentur, dubius haereo, an noſtram hanc Conſtantinianam tangat. Quod ſi quis nobis demonſtret, ſtellam hujus munimenti fuiſſe proprium inſigne, quae tamen in pluribus Conſtantinianis nummis conſpicitur, aliquid roboris accederet huic conjecturae; praeſertim cum baliſtariis Dafnenſibus, uti jam innuimus, in parma fuerit globus aureus, octo acutas cuſpides emittens, adeoque ſtellae parum diſſimilis.

Melius in hanc Imperatoris conſtantiſſimam induſtriam vigilantiamque quadraret nummus aureus, inter Ducis Arſchotani Caroli Numiſmata a Jacobo de Bie recenſitus, et apud Harduin. in Numiſm. ſecul. Conſtantin. p. 476. in quo Caput Conſtantini laureatum; in averſa parte Inſcriptio: PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI SAPIENTIA; expreſſum autem in figura Symbolum conjuncta cum prudentia et ſapientia virtutis militaris. Columna ſapientiae robur ſtabilitatemque deſignat et conſtantiam. Noctua Minervae ſacra, ſeu ipſam Minervam Deam gentilem ſapientiae tutelarem, ſive dotes eas Conſtantino communicatas.

Ad columnam reclinatur haſta, clypeus, galea, ac ſi ſapientiae arma ſe ſubmittant, et *vim*, ut ait Horatius, *temperatam* ſapientia, Dii quoque promoveant in majus. Abſit tamen, quae ad providentiam Auguſti ſpectant, ad Daphnes exſtructionem trahamus.

Cum ſucceſſu temporis a Barbaris et Daphne et Trimariſca deſtructae eſſent: conſtabant enim primitus, e *Procopii* teſtimonio libr. IV. de Aedific. cap. 6 potiſſimum e turri, ſtabili muro circumdato: Juſtinianus Caeſar in muniendis limitibus, ſi *Procopio* fides habenda, occupatiſſimus, ut plura alia caſtella ad Iſtrum, ita haec quoque inſigniori amplitudine, et ad majorem ſecuritatem firmioribus munimentis reſtauravit, ex quibus illinc retro actis Romanis militibus, (belli enim alea anceps) novo vigore novoque robore hoſti poſſent reſiſtere; quo ipſo loca haec variis incurſionibus Barbarorum expoſita, in firmas ſecurasque ſedes mutavit. Addebat enim Imperator his limitaneis munimentis, praeſidio inſtructis, qualem Daphnen fuiſſe ex Conſtantinianis ac baliſtariis Dafnenſibus jam probavimus, externum caſtrorum obſidionalium limitem. Id diſcimus ex *Anonymi libello de rebus Bellicis*, citato ab Excell. *Dodwello* Diſſert. de Ripa Striga: Sic enim ille: *Eſt praeterea inter commoda Reip. utilis limitum cura, ambientium ubique latus Imperii, quorum tutelae aſſidua melius caſtella proſpicient, ita ut millenis interjecta paſſibus ſtabili muro, et turribus firmiſſimis erigantur. Quas quidem munitiones poſſeſſorum diſtributa ſolicitudo, ſine publico ſumtu, conſtituat, vigiliis in his ex agrariis exercendis, ut provinciarum quies circumdata, quodam praeſidii cingulo requieſcat.* Pro-

Promittebam mihi ex *Operis Danubialis Marſigliani Prodromo*, maximo ſtupendoque molimine, aliquid de Daphne, vel ejus minimum ſitu et ruderibus ſolatii, quippe ripenſes antiquitates omnes militares, conſtantes ex fortalitiis ſive aggeribus et circumvallationibus, recenſendo, clare demonſtrat, Romanas fuiſſe, quod ſub aggeribus iſtis ac ruderibus, numiſmata, lapides cum inſcriptionibus, et ſimilia, quae inter Elephantum quoque oſſa, fuerint inventa; ſed in enumeratione harum antiquitatum militarium Danubii Daphnes noſtrae plane dememinit; ac ingenue tandem fatetur: *antiquas denominationes, quae alicubi dantur locorum, ab Auctoribus priſcis indicatorum, adjicere nec libuiſſe, nec profuiſſe, cum tanta ſit inter eos diſcrepantia, ac in univerſum tanta ambiguitas, ut negotium conciliationis inter illos ſuſcepturus, potius in Labyrinthum inextricabilem videatur incidere, quam ut optatum finem ſit conſecuturus.*

Interim tamen *ſtationem ad Daphnem luſoriarum* fuiſſe, haud abſonum erit ſtatuere. De his *luſoriis Danuvii* (ſic pariter in nummo Trajani apud Cl. Triſtan Commentair. hiſtorique T. I. p. 391. et R. P. Harduin. in Hiſt. Auguſt. e num. p. 749. et in Gruter. Inſcript. oper. pro Danubii legitur,) libr. VIII. Cod. Theod. Tit. XVII. agitur. Luxuriae et luſoriae militares naves, ad belli aleam praeparatae erant; eas diſtinxit a Liburnis Vegetius, Vir inluſter, Comes, et bellici apparatus ſcriptor ſcientiſſimus, libr. II. c. I. *Liburnae, quibus maria, luſoriae, quibus flumina ſervabantur.* Sic de *luſoriis Rheni Vopiſcus* in Vit. Bonoſi: *Hic idem, quum quodam tempore in Rheno Romanas luxurias,* (pro luſurias) *Germani incendiſſent, timore ne poenas daret, ſumſit imperium.* Et fuſius adhuc de his luſoriis Rheni, mili-

N 2 taris

taris ille Hiſtoricus *Ammianus Marcellinus* libr. 18. qui et *luſoriarum Moſae* libr. 17. meminerat.

Id nominis e mente Cl. *J. Gothofredi* obtinuere, quod ludere ſit agitari et morari ac diſcurrere, ac proinde non abuſive, ſed proprie luſoriae naves omnes dictae, quibus diſcurritur, ſive ad delitias, ludum, laſciviamque ac luxuriam, ac proinde imbelles et delicatae; ſive ad excurſum militarem et armatae, ſeu militibus armatis inſtructae, cujuscunque illae modi ſunt, majores vel minores; id quod ex plurimis ſcriptoribus veteribus probare nititur.

Dicebantur autem luſoriarum aliae *judiciariae*, aliae *agrarienſes*, quod patet ex unica lege Tit. XVII. libr VII. *Cod. Theodoſ. Judiciariae* erant Dromones, qui per fluvium diſcurrebant, ſpeculaturae, judicaturae, exploraturae, num qua hoſtis perrumperet; *ſcaphae exploratoriae Veget.* libr. V c. 7. *Agrarienſes* vero luſoriae erant, quae in flumine quidem ludentes, id eſt, haerentes non diſcurrebant, verum ſtatariae erant, et interea dum judiciariae ſpecularentur, in conflictus ſpecula, munitiſſima ſtatione, (navali ſcilicet) degebant; id enim agrariae vox involvit; et ut brevibus rem explicem, pontis quaſi navalis vices praebebant. Ad Daphnen tales exſtitiſſe *naves ſtantes*, uti *Livio* et *Hirtio* paſſim vocantur, diſcimus ex *Ammiano Marcell.* libr. 27. c. V. p. 376. Edit. *Gronov.* ubi de Valente haec narrat: *Pubeſcente vere, quaeſito in unum exercitu, prope Daphnem nomine munimentum eſt caſtrametatus; ponteque contabulato ſupra navium foros flumen transgreſſus eſt Hiſtrum, reſiſtentibus nullis.* Haec ſatis confir-

mare

mare videntur ea, quae de luſoriis agrariis, ſive ponte navali ad Daphnen hactenus proculi, quamvis non pontibus tantum contabulatis ſupra navium foros, ſed et pontibus ſaxeis, et ſtupendis conatibus, fluviorum hic paene maximus ſub jugum raptus ſit; id quod pons Trajani, opus ſecundum *Procopium* Apollodori Damaſceni, quo ſiter ſuis in utraque ripa clauſtris communitus eſt, ſatis evincit. Vid. prae aliis, qui pontis hujus meminere, laudatiſſimi *operis Danubialis Marſigliani Prodromus* T. II. P. I. §. XXX. pag 21. Conſtantinum quoque Magnum pontem ſaxeum Danubio impoſuiſſe, ripasque et hinc inde conſtructa caſtella junxiſſe, non ex Cedreno tantum, ſed et fuſius ex Niceph. Calliſto L. 7. c 49. probari poteſt.

Scilicet maxima Imperatorum cura erat, cum in navibus ſecuritas Imperii, in his Danubii limitibus verteretur, ut ſingulis annis tot veteres luſoriae repararentur, vel tot novae aedificarentur, quod luculenter patet ex unica Lege jam citata Tit. XVII libr. VII. *Cod. Theodoſ.* quam Imperatores Honorius et Theodoſius A. A. Conſtanti Magiſtro militum per Thrachicas (leg Thracias) dedere. Hanc navium aedificandarum curam apud Athenienſes ad ſenatum quingentorum pertinentem, extollit in *Androtiana Demoſthenes*, et Pericles ipſis Auctor fuerat, ut viginti quotannis aedificarentur; hinc *Vlpianus* pariter teſtatur, quod et apud Romanos vix Reipublicae amans quis habitus fuerit, qui non ſingularem curam aedificandarum navium geſſiſſet.

Innotuit etiam hoc Imperatorum orientalium in luſoriis Danubii procurandis ſtudium, CAROLO Imperatori

 noſtro

noſtro, tot belli, tot pacis artibus ſapientiſſimo, ideoque aeternitate digniſſimo, quo certe nihil majus, nihil auguſtius orbis terrarum nunc alit et habet. Hinc ſuſcipiendo contra Infideles nuper bello, haud minimam curarum partem in claſſe Danubiali expediunda poſuit, ratus, inde ſuaviſſimos victoriae fructus, in advehendo exercitui commeatu, explorandisque hoſtium conatibus, percipi poſſe. *Annuit immenſa DEI bonitas, tantasque curas AVGVSTISSIMI CAESARIS, Patriae Patris Indulgentisſimi, internecina paene Saracenorum clade, nuperrime beavit.*

Nec ſine fauſtisſimo omine factum reor, quod, dum omne, qua late patet, Imperium Romano-Germanicum, imo univerſus orbis Chriſtianus, ob Natalem *LEOPOLDI, AVGVSTISSIMI INFANTIS*, non ſibi ſolum, ſed mundo geniti, gaudiis adhuc exultat, et ut, diſcuſſo nunc orbitatis metu, orbis aeternitati perennitatem Glorioſiſſimi Stemmatis aequare velit DEVS T. O. M. laeto pioque voto precatur; laetiſſime hoc Auſtriaco Aſtro exoriente, in truces Thracas Scythasque ſacrilegos Chriſtianus armaretur exercitus, caſtra moveret, denique hoſtes ſub illo belli fulmine, et tutelari Auguſtae Domus Genio, *EVGENIO* Principe, Duce fortiſſimo, adoriretur et vinceret. Poſt atrociſſimam enim pugnam, vix viſis Turcarum copiis commiſſam, ſupremi Numinis auſpicio, cui immortales ideo gratias dicunt boni omnes, tot millibus ſuorum deſideratis, relictis caſtris ſplendidiſſimis, omnique apparatu bellico, hoſtes capeſſere fugam ſalutemque feralem in Savi Iſtrique fluentis quaerere coacti ſunt. Sic Imperatorum Maximus frangit tumenten Boſporum,

Victor-

Victorque ſubmittit ſuperbum
AVSTRIACO ſolio tyrannum.

EVGENIVSque, tanquam MARS VINDEX,
mox tropaea,
E Geticis repetita caſtris,
Gente Germana volucri
Trans Scythiam Tanaimque

proferet et plantabit. Fugit nempe, oriente Sole Auſtriae novo, aſtrorum cohors, barbaricaque palleſcit Cynthia,

INFANTIS tenerum neſcia ferre jubar.

Quis hoc ſine DEI Providentia ſingulari factum credat? Vix ullum reperies, qui exinde non auſpicatiſſima capiat auguria, de hac caelo demiſſa Progenie Diisque ſimillimo Principe,

Nec me venturi fallent praeſagia: habendus
Ipſe tamen magnos maximus inter avos.
AVSTRIADVM *fortuna novum ni parturit orbem,*
Auguſto anguſtus Principe mundus erit.


Erit praeterea (laete ominor) victoria haec inſtrumentum ſequentis, et TVORVM, AVGVSTISSIME CAESAR, PATRIAE PATER clementiſſime, auſpiciorum conſors FILIVS, SERENISSIMVS ARCHIDVX LEOPOLDVS, vitae ſuae dies per victorias numerabit, ut jure ſummo EXVPERATOR OMN. GENT. BARBAR. dici queas, quod nominis Conſtantino Magno tribuit nummus apud Cl. Valentium in Numiſm. max. Modul. pag. 250. Sic *AVSTRIAE Erit Imperare Orienti Vniverſo*, cum

ſocia-

ſociata Hadriacae ſali Reginae claſſe, fracta Getarum terra marique vi, per Helleſpontum Pontumque Euxinum, quo ruunt Danubii undae, ad exterminandam gentem impiam foedifragamque irruet, palmasque et laureas AVSTRIACAS cumulatis victoriis nulla ſeculorum diuturnitate marceſcentes, aeternasque efficiet. Sic de aeternitate Auguſtiſſimae Domus, bonorum Imperii civium quisque auguratur. Siquidem *AVSTRIA Erit In Orbe Vltima.*

AEmula nam coelo, nunquam caſura manebit;
Aut ſi caſura eſt, tunc ſimul aſtra cadent.

Haec, DAFNES occaſione uſus, ominor, atque Deo immortali humillima vota perſolvens, ardentiſſimas ad eundem preces fundo, ut hoc ipſo adhuc anno victricia Auguſtiſſimi CAROLI noſtri arma in viciniam collocentur Dafnes, atque e CONSTANTINIANA fiat DAFNE CAROLINA.



CVRAE SECVNDAE.

RElegenti mihi Diſſertatiunculae hujus plagulas, occurrunt, quae adhuc adjici poſſe videbantur: hinc meſſe facta, ſpicilegium venire oportet; quod B. L. non fore ingratum, totus confido. P. 9. lin. 20. adde: Clariſſim. Boxhornius Nehaleniam Deam Zeelandiae propriam, ibique cultam aſſerit, quod pluribus illuſtrat Cl. Blancardus in Collect. Medic. Phyſicis Part. I. Cent. III. Obſerv. XI. pag. 182. ſeqq. Accedit tamen Reineſii ſententiae Excell. Braunius in Select. Sacr. Libr. I. Exercit. VII. §. XXI. et Nehalenniam ita Syriace Deam fluviorum a voce נהלין Nehalin, fluviis, dictam credit, plurimaque occaſione Jariboli, fontium fluviorumque Dei, huc facientia more ſuo, id eſt, doctiſſime cumulat Vir vere πολυμαθέστατος, Palatinatus Patriae ſuae Decus ſplendidisſimum.

Derceto Aſcalonitarum Dea cum ad Nereidas pertineat, neſcio quo fato, typothetae e fugitiva ſchedula ſe ſubduxerit. De hac pag. 16. lin. 25. attexere ne graveris ſequentia: *Salaciae Veniliae* vel Nereidum claſſi accenſenda Asſyria illa *Derceto* Aſcalonitarum. Haec Atergatis eſt, a qua Syriae locus, cujus 2. Maccab. XII. v. 26. nomen obtinuit Atergation; quam Deam Heſychius corrupte Ἀτλαγάθην nominat. Diodorus Siculus eam depinxit L. 2. facie mulierem, et toto alias corpore piſcem. Lucianus de Dea Syria,

vocat ſpectaculum plane peregrinum, altera quidem parte mulierem, altera vero, quantum a femoribus ad imos pedes protenditur, in piſcem deſinens. Ovidius L. IV. Met. v. 43. de illa canit:

De te, Babylonia, narrat
Derceti, quam verſa, ſqvamis velantibus artus
Stagna Palaeſtini credunt coluiſſe figura.

His lucem majorem afferunt Nummi praecipue Aſcalonitarum, in quorum vicinia illuſtre Deae hujus Syriae templum, teſte Diodoro Siculo l. c. extabat. Sic apud Eminentiſſimum Cardinalem Noriſium de Epoch. Syro-Macedonum Diſſ. V. cap. 4. §. 1. nummus exſtat e ditiſſimo Cimeliarchio Comitis de Lazara, in cujus antica parte (vid. Tab. VIII. n. 1. 2.) Inſcriptio Graeca latine redditur. Imperat. Caeſ. M. Aurelius Antoninus: in averſa legitur: ACKAΛΩ. AKT. Aſcalo. Ann. CCCXXI. eſtque numiſma M. Antonini Elagabali; in eadem vero parte exhibetur ſub Syria Dea Semiramis, Aſſyriorum Regina Imperii conditrix, ſiniſtra coronam (concham interpretatur Cl. Valentius) tenens, cum matre Derceto, cujus ſquamoſae caudae inſiſtit. Alter nummus Severi eſt, cui pretium addit nomen praeter morem imperatoris ibidem ſcalptum A. K. Λ. C. CEOYH. Imperator Caeſar Lucius Septimius Severus: et retrorſum: ACKAΛ. AT. Aſcalo. A. CCCI. In hoc nummo Derceto diverſo ſitu exprimitur, ac in altero Elagabali, pedibus nempe e piſcoſa alvo prodeuntibus; pedes quippe humanos ipſi tribuit Beroſus; tenet praeterea Semiramis ſive Salacia Venilia dextra columbam, cum in altero typo coronam proferat. R. P. Harduinus in addendis ad Nummos Colon. p. 566. de illo Severi nummo ſcribit: *Palladem is praefert cum noctua*; cum revera Venerem prodat marinam ſive caeleſtem, ſub columbae effigie Deae inſtar cultam, ſi Diodoro Siculo credimus. Id clarius

rius diſcimus ex Platone Ebraeorum, Philone apud Euſeb. Praep. Ev. L. 8. c. 5. qui narrat: Cum Hieroſolyma ſacrificandi cauſa pergeret, Aſcalonem veniſſe, ubi magnam columbarum multitudinem videns admirabatur, interroganti que ipſi, quamobrem eae aves omnia paene loca illa occupaſſent, reſponſum fuit: lege apud eos columbarum eſum eſſe prohibitum, ne videlicet Deos ſuos devoraſſe viderentur. Finxit praeterea fabuloſa Antiquitas, hanc marinam Venerem ſive Deam Syriam Atergatim, per columbae fotum ex ovo excluſam fuiſſe. Sic enim Lucius Ampelius ad Macrin. *Dicitur et Euphratis fluvio ovo piſcis columba dies aſſediſſe plurimos, et excluſiſſe Deam benignam et miſericordem hominibus ad bonam vitam.* Quod ſi Dagonem (quem Nereum vel Neptunum aut Deum marinum figuraſſe Cl. Stukius de Antiquit. convivalib. Ariaemontanus, Tremellius aliique volunt) et Derceto, Marina Venus, Nereis, humidi exindeque fluentis nutritionis Parentes a Mythologis credantur, ac Germanica vox Nehren/ nutrire, inde nomen trahat, ut alibi jam innuimus: certe fabula illa de Nereidis ſive marinae Veneris ex ovo per columbae fotum excluſione, originem debet vel male intellectae, vel depravatae creationis Hiſtoriae, in qua Spiritus Sanctus מרחפת ut avis, κατὰ τὴν ἔικονα ἐποαζούσης ὄρνιθος, ut loquitur Baſilius Hom. 2 in Hex. ut avis excluſura pullos, incubuiſſe emphatice refertur. Semiramidem quoque Syriae Deae nomine cultam eſſe, Athenagoras refert, qui inſuper addit; propter Dercetum columbas et Semiramidem honorant Syri; in columbam enim mutata eſt mulier, ut nugatur Cteſias. Haec Athenagoras Legat. pro Chriſtian. p. 138. Edit Sheldon. Derceto haec Aſcalonitarum Dea ideo maxime culta, quod huic urbi navale in proximo extitiſſet litore, mercaturae maxime commodum; hoc navale dictum fuiſ-

 ſe

ſe Majumam Aſcalonis, ſicut Gazae portus Majuma Gazae dictus, probare nititur Purpuratorum eruditiſſimus Noriſius l. c. Majuma vero Syriace aquam ſignificari tradit conſultiſſimus Criticorum Jac. Gothofredus ad leg. 2. de Majum. libr. 15. Cod. Theodoſ. Praecipuam argumenti vim de Majuma Aſcalonis ſumit Noriſius ex Synodo Hieroſolymitana ſub Johanne Patriarcha, inſerta Actioni V Synodi C Pnae ſub Menna, ubi inter Palaeſtinae Epiſcopos recenſentur, Cyrillus Gazenſium, et Procopius Majumae Gazae, itemque Antonius Aſcalonis, et Stephanus Epiſcopus Majumae Aſcalonis. Sed ſi notitiam Epiſcopatuum Patriarchatus Hieroſolymitani in Geographia ſacra R. P. Caroli a St. Paulo cum Animadverſ. L. Holſtenii Edit. Amſterod. Anno 1711. in Fol. reg. inſpiciamus, Gazae, Majumae et Aſcalonis diverſi et diſtincti ſunt Epiſcopi: in Tabula quoque Geographica, Gaza, Majuma et Aſcalon diſtincta a ſe invicem loca. Vbi probe quoque notandum, Aſcalonis novam civitatem IV. paraſangis abeſſe a veteri, teſte Benjamino Tudelenſi in Itinerar. p. 51. Edit. l' Empereur. Doctiſſ. Rivinus Majumam conventum populi eſſe credidit, cui praetores urbis ludos in navibus dabant, id quod pluribus haud proletariis argumentis probare conatur in diſſ. de Majumis, Maicampis et Roncaliis inſert. Syntagm. Rarior. diſſert. variar. e Muſeo Graevii. Forte ludi hi Veneri marinae vel Dercetus inſtituti in urbe Aſcalon, ſicut Dagonis ludi Asdodi inſtituti. Sed minime erravero, ſi crederem, Dagonem et Dercetum, ſive mavis Dercetonem, a diverſis cultam civitatibus, eſſe unum eandemque Deum Deamque, praeſertim cum Stoici Diis omnibus Deabusque utrumque adſcribant ſexum. Hinc Jupiter ἀρσενόθηλυς (mas et foemina,) idem nempe Jupiter et Juno, proptereaque imberbis, hoc eſt ἄξυρος, qui non raditur, ſive

ut

ut Servius habet, ἄνευ ξυρᾶ (ſine novacula) inde Anxuris nomen, ubi colebatur. Hinc Bacchus et Baccha, Lunus et Luna. Affert iſtud ex Laevino Macrobius Saturn. libr. 3. c. 9. Venerem igitur almam adorans, ſive foemina ſive mas eſt. Sic Veneris et Fortunae barbatae effigies. Heſychius πωγωνίαν ἄνδρα τὴν θεὸν ἐσχημαλίσθαι ἐν κύπρῳ. Deam viri barbati figura exhiberi in Cypro. Vid. Reverendiſſ. Huetius Demonſtrat. Evangelica prop. IV. cap. X. §. 3. p. 247. ſeqq. Quid mirum igitur, Asdodi Nereum virili forma ſub Dagonis, Nereidis Aſcalone Dercetus nomine ſub foeminina effigie cultam. Qui plura de his Syriis Diis marinis ſcire deſiderat, adeat Generoſum Palladis togatae ſagataeque armigerum, Seldenum, Dietericum Antiquit. Bibl. p. 343. ſeqq. imprimis ſolertiſſimum Auctorem operis ſplendidiſſimi, artificioſiſſimi Goeree manu tot figuris aeneis illuſtrati, Belgice Inſcripti: Joodſe Oudheden en voorbereydſelen tot de Bybliſche Wyſheid. Libr. X. Art. 9. p. 1366. ſeqq.

P. 17. lin. 4. Sic Ἰάνειρα memoratur apud Heſiod. Theogon. v. 356. Excell. Braunius loc. cit. melius putaret legendum eſſe, Ἰάειρα fluvialis, ab Hebraeorum יאר jor fluvius: ineptiunt enim graeculi grammatici, qui hoc nominis deducunt ex ἴα ſola, et ἀνὴρ Vir, ſcilicet quae ſola animo virum imitatur, ut habet Georgius Paſor in Indic. Vocabul. Heſiod.


Ad pag. 21. lin. 14. Nereidi concham ſonacem inflanti addi poteſt Nereidum una tibiam inflans, juncta Tritoni cum buccino ad currum triumfalem nudae Veneris Pelagiae Anadyomenes dictae, e maris ſpuma genitae: Nummus eſt Agrippinae, quam Corinthii adulantes ſignarunt, quaſi alteram Venerem forma excellentem. Haec enim tutelaris urbis hujus Dea, quam in Cenchris altero urbis navali colebant, teſte Pauſania in Corinth. Tres nummi, ejusdem typi ſignati

gnati Agrippinae (Tab. VIII. n. et 4.) repertu dantur apud Excell. Valentium in Numiſm. aereis Imper. in Colon. Munic. et Vrbibus jure Latio donatis, duumviris a quibus cuſi ſunt diſtincti. Primus Q. Fulvio L. Annio II. Viris; ſecundus Q. Fulv. Flacco II. Viro. Tertius M. Silano duumviro. Extat quoque Nummus Neronis eodem typo a Corinthiis primis Imperii ejus temporibus percuſſus, cum is maxime matrem venerabatur, ut narrat Suetonius in Nerone cap. 9. *Matri ſummam omnium rerum publicarum privatarumque permiſit.* Comparet hoc in nummo Agrippina, inſtar Veneris Anodyomenis ita cognominatae, quod ex mari exiret, an ipſi Auguſtae adulantes Corinthii, quod Nero filius Tabulam alteram Veneris Anadyomenes ſubſtituerit in locum illius eraſae, quam olim Auguſtus in delubro Divi Julii patris dedicaverat, qua de Tabula Plinius libr. 35.

Ad pag. 59. lin. 9. Probabile eſt, Exercitum, quem prope Ormuzium aurae candentis in arenoſis deſertis afflatu ſuffocatum periiſſe ſcribit doctiſſ. Mundius de Aur. vital. p. m. 11. vento hoc Badſamur deletum eſſe.

Ad pag. 93. lin 22. Litem de Conſtantinenſi et Cirtenſi Epiſcopo diremit Eminentiſſ. Noriſ. Cenſura in Not. Garner. ad Synod. Epiſt. p. 30. Eſt et Conſtantina urbs Phoeniciae, de qua Euſebius libr. IV. de Vit. Conſtant. *Innumera Deorum ſimulacra in ignem conjecta fuiſſe in Vrbe quadam Phoenicum, quae Imperatoris nomine appellatur.* Sozomenus libr. II. cap. 4. eadem referens ait: *Simili etiam de cauſa Conſtantinam urbem Phoeniciae Imperatoris nomine appellatam cognovi.* Cum in ſubſcriptione Epiſtolae Synodicae Epiſcoporum Phoeniciae maritimae ad Leonem Aug. 3. par. Concilii Chalcedonenſis n. 37. poſtremo loco legatur Atticus Epiſcopus Aradiae Conſtantiae, credit Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius legendum

Tab.VIII.


NERO·CAESAR·AVG·GERM·IMP·P·M·TR·POT
Q·FVLVIO·L·ANNIO·II·VIR
COR.
2.
AGRIPINA AVGVSTA
M·SILANO.
II.VIR. COR.
1.
AY·K·A·CCCOYH
ACRA AVI AT
3.
A·K·M·AY ANTΩNEINOC
ART ACKAAG
4.

dum eſſe, Aradi Conſtantinae. Aradus locus ille, cujus mentio Ezechiel. cap. V. v. 11. cap. VI. v. 5. ſic dictus ab nono inter XI. filios Chaananis Geneſ. cap. X. Ante Conſtantini tempora tamen extitiſſe urbes, hoc inſignitas nomine, probat locus Stephani Byzant. Νικηφόριον, οὕτως ἡ κωνςαντίνα, ἡ περὶ ἐδέσσαν πόλις. Suidas eadem ex Stephano repetit. Extat Nummus Hadriani cum Inſcriptione: COLONIA NICEPH. CONS. Colonia Nicephoria Conſtantina. Illuſtr. Mediobarba, qui nummum p. 185. in medium protulit; cum figura togata, bobus ac vexillo, qui deductae Coloniae indices et typi, aliter legit: COLONIA NIC. PH. COND. Colonia Nicopolis. Philippus condidit, creditque ad Nicopolim ad Iſtrum inter Doroſtorum, et Odeſſum, teſte Ammiano Libr. XXVII. referri poſſe, in vicinia Daphnes noſtrae Conſtantinianae. Sed haud contemnendis rationibus Harduinus de Numm. antiq. Colon. Nicephorio in Praefectura Meſopotamiae vendicat, a quo Jovi inde nomen Nicephorii, ex Spartiani in Hadriano teſtimonio. Comparet hic Jupiter in nummo Gordiani Pii a Nicephoriis cuſus, ſedens, dextra victoriam, ſiniſtra haſtam tenens, pro pedibus Aquila. Sed nihil hae Conſtantinae omnes ad Conſtantinianam Daphnen.

Caeterum cum fato ſingulari quodam nihil fere incontaminatum a Typographis nunc prodeat, hoc quoque opuſculum erratis deturpatum eſſe, maxime cum inſtantes premerent Francofurtenſes nundinae, haud ambigo. Sphalmata igitur Typothetae et Calcographi in Tabula ſeptima, correctioni et candori Tuo B. L. permitto, et ut conatibus porro meis favere velis obnixe rogito. Vale.

MICHAELIS FRIEDERICI LOCHNERI
ARCHIATRI CAESAR.

ΜΗΚΩΝΟΠΑΙΓΝΙΟΝ

SIVE

PAPAVER

EX OMNI ANTIQVITATE
ERVTVM,
NVMMIS, GEMMIS, STATVIS
ET MARMORIBVS AERI INCISIS
ILLVSTRATVM.

AD

ILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM VIRVM
GOTHOFREDVM THOMASIVM
DIV. S. R. I. STAT. ARCHIATR. ET REIPVBL.
NORIB. MED. ORDINAR. SENIOR.

EDITIO SECVNDA AVCTIOR

NORIBERGAE
SVMTIBVS AVCTORIS ANNO M DCC XIX.

58709(2)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE







NOtam omnibus plantam producimus, incognitam nemini, quam omnis ferme fert tellus, nullus reſpuit ager doctis celebratam, indoctis laudatam hodie quidem ex hortis non exulantem, aſt ab antiquitate olim Diis aſſertam, & optimis quibuscunque plantis prælatam. Mortalitatis hujus ſedes, quam mundum vocamus, ejusque partes ſingulæ veteribus cognitæ, cultrices extitere papaveris, æternamque plantæ conciliarunt famam, ut plane ſupervacanea de ejusdem apud veteres PATRIA ſit quæſtio; cum autem regiones urbesque olim certaverint, ubi felicius germinarent provenirentque papavera, ubi lacrymam funderent generoſiorem, factum eſt, ut de regionis urbisque nomine, nomen Papaveri ſit tributum.

Africa novarum rerum ferax credita vetuſtati, Papaveris quoque feraciſſima, in primis littora, quæ lambunt divitis oſtia Nili. Et ſi ex Plinii effato, *gloria herbarum Ægypto tribuenda*; haud exiguam certe e Papaveris cultura merebatur: hæc enim planta cum elicito inde ſucco, proventus huic regioni, quæſtusque peperit haud contemnendos. Quin & hodie adhuc magna pullulare papaver ubertate in Ægypto, teſtis eſt Cl. Wanslebius, qui ceu Homericus Vlyſſes πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω. Relat. dell. Egytt. p. 3. c. 6. p. 61. ut hinc Bontius opium ſelectiſſimum


mum Miſri, (vox vero *Miſri* Ægyptum denotat,) ab Indis orientalibus vocari tradat, Hiſt. Natur. & Medic. L. 2. c. 4. p. 20. Hecatompolis opus Oſiridis & Iſidis, ſub Thebarum nomine notior urbs, Thebaidos provinciæ caput, lacrymæ papaveris opii Thebaici cognomen contulit, quod a Pergameno noſtro, l. 1. de Antidot. ſcribente: ἐκ τῶν θηβῶν τῶν Αἰγυπτίων ὀπὸς ἰσχυρότατός ἐςιν, ut omnium potentiſſimum laudibus extollitur, & hodie per orbem univerſum de principatu certat. Dioſpolis hæc urbs poſtea dicta, Dioſpolitanas aluit mulieres, quæ ex mente Excell. Borrichii de Hermet. Ægypt. & Chem. Sap. cap. 4. p.m. 129. *fortaſſe longa experientia edoctæ, rectius etiam temperare didicerant hodiernis Pharmacopœis.* Hinc concinne cecinit *Charaſius*:

Mittitur Thebis opium ſubalbum,
Sole quod ſummo generat Papaver
optimum, ſtillans capiti virenti
vulnere facto.

Cl. Proſp. Alpinus de Med. Ægypt. l. 4. c. 11. p. 121. b. Edit. Venet. refert, hodie adhuc e locis *Sajeth*, olim Thebis (nunc ex Cl. Herbelotii Bibl. Oriental. *Abutigue*) dicta urbe hunc deferri papaveris ſuccum: ibi etenim copioſiſſime luxuriat, cæterisque omnibus facultate præſtat. Plura & forte ſpecialiora de papavere Ægyptio & Thebano haberemus, ſi Medici cujusdam, olim Sultani in Ægypto imperantis mandato confectum opus Botanicum, (cujus Proſper Alpinus Libr. 4. c. 8. p. 133. meminit,) quo omnes Ægypti, Æthiopiæ Arabiæque locorum ſtirpes eſt complexus, Latio donatum, lucique expoſitum eſſet publicæ. Vberrima papaveris ſeges anſam Ægyptiis dedit, ut ſacris quoque uſibus deſtinarent plantam. Diſertius hic prædicanda foret ſacerdotis Iſiaci per papaver inauguratio, item ſceptrum Iſidis papaveraceum in Rameſſenſi Obeliſco obvium, menſa Iſiaca aliaque: ſed cum hæc, ubi de Iſide nobis ſermo, adducenda, metu tædioſæ repetitionis, hic omittuntur. De Canopo ſaltem, inter divos Ægyptios

Tab.I.p





Ægyptios relato, hoc referemus, in ejus tanquam Ignis victoris ſimulacro apud laborioſiſſimum Boiſſardum depicto, & Lectoris oculis exhibito, & eo quidem Canopi capite, pedibus manibusque perexiguis, attracto collo & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti, ante & retro characteribus Ægyptiis hieroglyphicis repleto, (ſic a Ruffino Aquilei. Hiſtor. Eccleſ. l. 2. c. 26. delineatur,) ſceptrum quoque papaveraceum, ſolaque papaveris capita repertu dari. Claudit Canopi latus ſacerdos Ægyptius, cum menſa Iſiaca, papavere forte fœcunda. *Tab. I. Fig. 1.* *Tab. I. Fig. 2.*

Ægyptio Papaveri aliud Africanum jungimus, Libycum nempe, quippe & Ægyptus & Libya ob fertilitatem & arva beata, cujus ſymbola ſpicæ cum papavere, Romæ orbis Dominæ fuerint horrea, teſte Claudiano:

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Vt dominam plebem, bellatoremque ſenatum
Claſſibus æſtivis alerent, geminoque viciſſim
littore diverſi complerent horrea venti:

& in Laudibus Serenæ:

Varios aptantur in uſus
Imperii Phariæ *ſegetes &* Punica *Meſſis.*

Imprimis de Punico papavere teſtatur nummus Diocletiani cum Genio Carthaginis apud Illuſtr. Triſtanum, (qui ex Spanheimiano elogio, operoſiori, quam hactenus factum fuerat, apparatu, & ſingulari diligentiæ, induſtriæ & ſolertiæ laude plures & præclaros utique Romanorum Cæſarum & Auguſtorum nummos protulit, & Græcos quidem plurimos, amplisque & eruditis commentationibus lingua vernacula explanavit,) Comment. hiſtoriq. Tom. III. dextra papavera tria, ſiniſtra dactylos oſtendente ob copiam palmarum Africanarum & ortum a Phœniciis, adjuncta inſcriptione: SALVIS AVGG. ET CÆSS. FELIX KARTHAGO. Eadem plane Genii figura & inſcriptio inter nummos Conſtantini apud eundem Cl. Triſtanum p. 535. obvia. *Tab. II. Fig. 1. & 2.*

Comparet quoque Didoniæ urbis genius in nummo Alexandri Phrygis apud Excell. Patin in Numiſm. Imperatorum Roman. ex ære med. & minim. form. pag. m. 454. habitu pacifico, ſpicas tenens & papavera, addita inſcriptione, INVICTA ROMA FELIX KARTHAGO. P. K. Junguntur hæ urbium Reginæ in plurimis nummis; *Carthago quippe Romæ quondam adverſaria, in Africano orbe quaſi Roma erat*, ut Salvianus de Gubernat. Dei Libr. VII. loquitur. *Felicis* epitheton illuſtrat locus Martiani Capellæ Libr. 6. *Carthago inclyta pridem armis, nunc felicitate reverenda*: & in fine ultimi libri *beatam* nominat: *Beata alumnum urbs Eliſa quem videt.* Literæ P. C. deſignant nummum Carthagine percuſſum. Superiorum temporum Principibus addit ςύλος καὶ ἑδραίωμα nummarii ſtudii, illuſtr. Seguinus, in Select. Numiſm. p. m. 52. Regem inferioris ævi, Hildericum Vandalum, in cujus nummo argenteo, denario paulo minore, caput imberbe diadematum, cum inſcriptione: D. N. HILDERIX REX; in averſa viſitur figura muliebris ſtans, utraque manu ſegetes protendens, cum inſcriptione: FELIX KART. Innuimus jam fœcundæ Punicæ telluris gratiam, ſpicis papaveribusque indigitari; quibus hoc addimus, Cererem & Proſerpinam, (etenim & his deabus papaver ſacrum) a Carthaginienſibus fuiſſe cultas, quippe quarum ſtatuas in templo Eliſæ, in medio urbis erecto, collocat Silius Italicus:

Tab. II. Fig. 3. *Tab. II. Fig. 4.*

Ordine centum
ſtant aræ, cælique Deis Ereboque potenti.
Hic crine effuſo, atque Ennææ numina divæ.

Cum præterea Carthaginienſes & Pœni a Plauto pultiphagonides dicti fuerint in Pœn. prologo:

Latine Plautus Patruus Pultiphagonides;

puls vero ſecundum Catonem, qui ejus faciendæ rationem docet, ſorbitio e Cerealibus in liquamentum ſolutis cocturæ genus, & papaver locum inter Cerealia haud infimum obtineat; cui mirum videatur, cognata hæc jungi?

Ex

Tab. II. p. 4


1
IMP·C·C·DIOCLETIANVS P·F·AVG
SALVIS AVGG·ET CAESS·FEL·KART·
N
3
IMP·ALEXANDER P·F·AVG
INVICTA ROMA FELIX KARTAGO·
PK
4
DN HILDERIX REX
FELIX KART
2
CONSTANTINVS MAX·AVG
SALVIS AVGG·ET CAESS·FEL·KART
N

Ex Africa in Aſiam trajicienntes, videmus hujus incolas præ cæteris excolendo papaveri incubuiſſe, provinciæ imprimis, quas Aſia continet minor. Bellonius teſtimonium dat, hodierno adhuc die, in Cilicia, Phrygia, Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia reliquisque, papaver abundare: hæ enim regiones omnes, integris jugeribus inter incolas diviſis, largiſſimo proventu illud promunt & exhibent, ex quibus quilibet majorem vel minorem colligit copiam, ut mirum nemini videatur, tot regionum harum urbiumque nummos, e cana ſuperſtites antiquitate, papavere notatos eſſe, hocque nobili, quo natura agros ditavit, dono ſuperbire. Vt dictis his eo facilius apud Lectores fidem conciliem, eorum nonnullos oculis ſubjiciam, cum omnes diſſertationis fines vix capiant, & quidem Alphabetico ordine:

Primam nomino *Æmonenſium* in Phrygia urbem, quam inter Phrygiæ majores locat Ptolemæus Geograph. Lib. V. c.2. Ciceroni quoque orat. pro L. Flacco memoratam. Hujus civitatis nummus exſtat ſub Serotimo Capitone & Julia Severa in honorem Auguſtæ Agrippinæ minoris cuſus, in quo caput Agrippinæ, ante quod duæ ſpicæ intermedio papavere; quo de nummo, inter nummos Cereris novæ imagine cuſos, & de Pace ſub Cereris imagine depicta. *Tab. XX.*

Antiochenorum Syriæ conterminæ urbis plures apud Auctores obvii, in quibus, uti paſſim in aliis Aſiæ minoris urbibus, mulier turrita ſedens in rupibus, dextra extenſa ſpicas gerens, pro pedibus fluvius, in vertice aries. Exhibuit amicus quidam integerrimus urbis hujus, nummum ab Antiochenis Elagabalo ceu gratæ mentis teſſeram cuſum, quod teſte Dione illos pro Macrino ſtantes, ipſo devicto, a militum direptione pecunia ſua vindicaverit. In hoc, uti in reliquis, urbis genius figura muliebri, turribus ornata, (eſt enim provinciæ Metropolis, citato jam Dione in Hadriano *Tab. III. Fig. 1.*

ſcribente, ἐν τῇ μητροπόλει συρίας Ἀντιοχείᾳ, Antiochia, quæ urbs eſt Metropolis Syriæ;) rupibus inſidet, ad ſitum denotandum, in clivo Silpii montis, ut tradit Euſtath. comm. ad Dionyſ. de ſit. Orb. Pro pedibus fluvius eſt Orontes, de quo Dionyſius v. 919. 920.

Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην κατασύρεται ὑγρὸς Ὀρόντης
Ἄσπετος, Ἀντιόχοιο μέσην διὰ γαῖαν ὁρίζων.

Ab hac autem ad orientem delabitur liquidus Orontes vaſtus, Antiochi mediam regionem perſecans.

Spicas gerit & papaver, ad arguendam ſoli fertilitatem & abundantiam, ut vere ſcripſerit de ea urbe Ammianus: Antiochia mundo cognita civitas, cui non certaverit alia adventitiis ita affluere copiis & internis. Literæ S.C. facultatem Monetæ Antiochenis a Senatu conceſſam innuunt. Δ. Ε. vero Δημαρχικὴν ἐξουσίαν, Tribunitiam poteſtatem Cl. Valentius in Numm. Colon. interpretatur, Eruditiſſ. Patinum arguens, qui literas has Δ. Ε. ad annorum numerum ſignificandum poſitas, perperam exiſtimarat. Aries in capite Genii Antiochenorum exhibebatur, ad indicandum illos anni principium inchoare a *Niſan*, i.e. verno tempore, ad æquinoctium, cum ſol ſignum Arietis ingreditur.

ΑΡΓΕΙΩΝ ſive Argivorum Aſiæ vicinorum vetuſtiſſimæ & nobiliſſimæ Achajæ urbis, Patriæ Junonis, (exinde Ἡρα Ἀργεία in nummis & Inſcriptionibus dictæ,) nummus exſtat e gazophylacio Ill. Sabbatii apud Eruditiſſ. Valentem de Nummis Græcis, in quo caput Imperatoris Lucii Veri, in averſa parte, mulier tunicata ſtans, ambabus erectis ſpicas & papavera monſtrans. Lucem hic nummus præbet Aetio Amideno, Aſianum modo, modo Achaicum papaveris ſuccum, commendanti.

Tab. III. Fig. 2.

Cæſarienſium urbs Cappadociæ Metropolis, prius Mazaca dicta, ſed poſt Regem Archelaum defunctum, ita a Tiberio appellata, Provinciæ caput, tandem ab Hadriano Metropoleos dignitate, in nova provinciarum ab illo facta conſtitutione, donata vide-

Tab. III p6.



ΑΥΤ·ΚΑΙ· ΜΑ· ΑΥ·ΑΝΤΟΝΕΙΝΟϹ·ϹΕ·
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ·ΚΟΛ
Δ Є
S C
ΑΥΤ·ΚΑΙ·Λ·ΑΥΡΗΛΙΟϹ·ΟΥΗΡΟϹ
ΑΥΤ·ΚΑΙϹ·ΤΡΑΙ ΑΔΡΙΑΝΟϹ·ϹΕΒ
ΕΛΑΙΤΩΝ
ΚΑΙϹ ΑΡΕΩΝ
ΕΤΟΥϹ·Ε
ΙΩΝ ΑΡΙΤΕ
ΙΕΡΑϹΙΝ ΚΛΗΤΟϹ
ΙΕΡ ΑΠΟ ΛΕΙΤΩΝ
ϹΕΠΤ ΓΕΤΑϹ
ϹΚΟΠ ΑϹ
ΙΟΥΛΙΟΠΟ ΛΕΙΤΩΝ
ΑΥΤ·Κ·Λ·ϹΕΠ ϹΕΥΗΡΟϹ·ϹΕΒ
ΜΟΚΑ ΙΕΡ ΑϹΥΛ·ΑΥ·
ΑΥ·Κ·ΠΟΥ·ΛΙΚ·ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ·ϹΕΒ
ΕΠ·ΑΡΧ·ΙΟΥ·ϹΑΤΟΡΝΕΙΝΟΝ ΠΡΙΗΝΕΩΝ
ΠΟΥ ϹΕΠΤ ΓΕΤΑϹ ΚΑΙϹ
ΠΡΥΜΝΝϹ ϹΕΩΝ
ΓΝ·ΕΡ·ϹΑΛΛ·ΒΑΡΒ·ΟΡΒΙΑΝΑ·ϹΕΒ
ϹΙΔΗ ΤΩΝ

videtur. Hinc a Solino mater urbium Cappadociæ nominatur. Nummus urbis hujus conſpicitur, in quo monti Argæo inſidet mulier velata, capite turrito, dextra tenens ſpicas & papavera, pedem imponens hominis capiti ex aquis aſſurgenti. Vid. Cl. Valent. Append. ad Num. Græc. *Tab.5.* Cum enim, Strabone teſte, Argæi montis vertex nunquam privetur nive, vel, ut Solinus loco jam cit. effert: *Argæus nivalibus jugis arduus ne æſtivo quidem torrente pruinis careat*; haud abſonum erit ſtatuere, radices montis rivis & fluentis haud deſtitui. Fortaſſe per caput hominis ex aqua aſſurgentis, fluvius Cappadociæ Halys denotatur, cujus meminit Claudianus in Ruffin. L. 2. *Tab. III. Fig. 3.*

Cappadocum volucrumque parens Argæus equorum
Jam rubet altus Halys.

Forte etiam calatho cum ſpicis in nummis Plautillæ, a Cæſarienſibus Cappadociæ cuſis, papaver ineſt. Occurrit apud Purpuratorum Patrum doctiſſimum Eminent. Card. Noriſium in Epoch. Syr. Maced. diſſ. ſecund. p. m. 144. nummus Commodi, a Cæſarienſibus Germanicenſibus cuſus, in cujus averſa parte mulier turrita, monticulos inſidens, medio ſubtus homine ex aquis emergente, dextra extenſa florem proferens: nec abſurdi quid dixerit, qui papaver pronuntiaverit ſpicis immixtum.

Cyzicenorum civitas Bithyniæ in Propontide, a Cyzico Rege nomen gerit, qui ab Argonautis & Jaſone per imprudentiam interfectus, exorto tumultu; ob fertiliſſimum ſolum celebratiſſima: hinc Valerius Flaccus in Argonaut. libr. 2. canit:

Nec procul ad tenuis ſurgit confinia Ponti
urbs placidis demiſſa jugis, Rex divitis agri
Cyzicus.

& Propert. l. 3:

Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus.

Hæc urbs, teſte Appiano in Mithridatic. a Jove in dotem Pro-

ſerpinæ

ſerpinæ data credebatur, quamque ideo Cyziceni præ omnibus venerabantur numinibus: nec ſatis conſtat, an templum illud auguſtiſſimum, cujus columnæ IV. ulnarum craſſitudine, L. altitudine, ſingulæ ſingulis conſtabant lapidibus, huic ſolum Deæ fuerit dedicatum. Proſerpinæ certe cultus e nummis elucet maxime. Sic nummus Severi, cum tæda Cereris & Proſerpinæ, cui ſerpens involutus, in vertice cum ſpicis & papavere apud Cl. Valentium de Numm. Græc. 2. Proſerpinæ quoque caput ſpicis & papaveribus coronatum exhibebant Cyziceni; de
Tab. XV. quibus nummis plura, ubi de Proſerpina. Cæterum urbs hæc Cyzicus, quæ in tantam olim excrevit potentiam, ut magnitudine & ornatu, cum primis Aſiæ fuerit comparata, arce, mœnibus, portu turribuſque marmoreis ſuperbiens, Aſiaticæ plagæ littora illuſtrans, tribus armamentariis inclyta, ut armis, inſtrumentis, frumento inſtructa ſemper eſſet, ſub Antonio una cum templo terræmotu concidit, ut urbis celeberrimæ vix ulla manſerint veſtigia, & niſi Propontidem noſſemus, locum ignoraremus, ut Cl. Grammaye in Aſia, ſive Hiſtoria Aſiaticarum Gentium p. m. 567. ſcribit.

Elæitarum in Æolide urbs, Pergamenorum navale, quæ Cidaenis vocabatur a Meneſtheo condita, quæ Stephanus e Strabonis libr. 13. deſumſiſſe videtur. Pro Magiſtratibus Prætores habuiſſe hanc urbem, nummi declarant; e quibus Hadriani nummus huc ſpectat, in cujus parte una caput Auguſti, in altera papaver inter quatuor ſpicas, apud Cl. Valent. de Num. Græc. nec aberrave-
Tab. III. Fig. 4. rit, ſiquis crederet, in alio Hadriani nummo ab Elæitis cuſo, in quo caniſtrum ſpicis & frugibus plenum, illud papavere non deſtitui; forte & in nummo Sabinæ conjugis Hadriani, in quo mulier medio corpore, utraque manu ſpicas tenens, papaver reperiundum, ſi accurate inſpiciatur.

Epheſiorum urbs, ſecundum Herodotum Lydiæ, ſecundum Strabonem vero Joniæ, in baſi marmorea Coloſſi, Tiberio Cæſari ob

civitates

Tab. XV.


ΚΟΡΗ·ΣΩΤΕΙΡΑ· ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ
ΝΕ ΩΚΟ ΡΩΝ.
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ·
ΔΙC CΑΡ
CΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ΚΟΡΗΣΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ
CΤΡΑ ΑΥΡΗΜC
ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ΛΥΔΙΑC ΕΛΛΑΔΟC Α ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC CΑΡΔΙC ΑCΙΑ C
L·CASSI·Q·
ΕΠΙ CΟΥ Λ ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑCΙΑΡΧ
CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β
ΝΕΩΧΟΡΩΝ

civitates Aſiæ reſtitutas poſt horrendos terræ tremores erecti & ab Excell. Laur. Theod. Gronovio notis illuſtrati, hominem tutulatum, dextra ſpicas & papavera tenentem, exhibet cum Diana Epheſia pone illum: de quo plura, ubi de Diana Epheſia.

Eumenenſium Flavienſium in Lydia urbs, cui a Flavio Veſpaſiano nomen inditum, qui Ciliciam, Lydiam finitimaſque regiones in provinciæ formam redegit, teſte Tranquillo in ejus vit. cap. 8. nummum ſignavit in honorem Otaciliæ Severæ, in qua Fortuna ſtans, dextra ſpicas & papavera cum temone, ſiniſtra cornucopiæ tenens, quem nummum invenies, ubi de novis *Tab. VIII.* Cereribus nobis ſermo. De Maconibus populis, antequam *Fig. 10.* hanc Lydiæ urbem mittamus, annotandum duxi, in Chronico Euſebii a magno Salmaſio edito, & ab Excell. Schurzfleiſchio nuper correct. p. 12. inter populos a Chamo ortos, ſemel iterumque Μάκωνες, nominari, pro quo vocabulo Salmaſius ſcribendum cenſet Μαίωνες & recte quidem, cum apud Malalam p. 15. Chronogr. inter Chami terras Lydia, quæ eadem eſt ac Mœconia, recenſeatur; licet ob divitem papaveris proventum Maconia vel Meconia quoque dici mereatur.

Gabalenſium urbis Syriæ, vel ſecundum Stephanum Phœniciæ nummum, cum Cybeles imagine ſedente dextraque ſpicas cum papavere intermedio tenente, producemus ubi, de Magna Deum Matre: nec enim nummum hunc ad Lydiæ Gabalam attinere *Tab. XIII.* crederem. *Fig. 1.*

Heracleenſium in Ponto, (ad differentiam ejusdem nominis urbium in Thracia, Macedonia, Theſſalia & Caria,) nummus, Bonum Eventum exhibet, papavera ſpicasque tenentem, de quo *Tab. XX.* ſuo loco mentio injicietur.

Jerapolitanorum Ciliciæ nummus exſtat, quem priſtinum nummarii ſtudii oraculum, Cl. Triſtanus, Auguſto, diligentiſſimus autem Patinus Sacro Senatui vindicat, ex inſcriptione: ἱερὰ σύγκλητος, & vultum genii Senatus eſſe credit; ſed cum de hoc

Tab. III. Fig. 5. nummo, ubi de papaveraceis veſtibus nobis plura dicenda, tantum iconiſmum exhibemus ejus.

Juliopolitanorum urbis Bithyniæ in Phrygiæ confinio nummi nunc ſuccedant. Fluvius Scopas ex Orminii montis radicibus ortum trahens, & per campos labens Juliopoleos, urbis mœnia alluit, dein in Sagarim ſe exonerat, ideo ſub muliebri Tab. III. Fig. 6. ſchemate depingitur in nummo Septimii Getæ, dextra ſpicas & papavera, ſiniſtra urnæ ad radices montis poſitæ innixa, arundinem tenet apud Helvetiorum in ſtudio nummario eruditiſſimum Morellum, Specim. rei Nummar. p. 185. qui duas fuiſſe Juliopoleos nomine urbes, alteram in Phrygia, in Bithynia alteram, clare demonſtrat. Doctiſſimus L. Holſten. Not. & Caſtig. in Steph. Byzant. de Vrbib. p. m. 86. Juliopolin quoque in Lydia profert, e pago Gordio a Cleone, latronum duce iſthinc oriundo, in oppidum ſub Juliopoleos nomine exſtructam.

Μαγνήτων in Aſia urbis nummus, Cererem ſtantem exhibet, dextra ſpicas, ſiniſtra tædam tenentem, ad pedes papaver apparet, cum inſcriptione: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. Ex altera parte ſeſe monſtrant capita Hadriani & Sabinæ adverſa, cum inſcriptione: ΑΔΡΙΑΝΟΝ CΕΒΑCΤΟΝ CΑΒΕΙΝΑΝ CΕΒΑCΤΗΝ. Cum autem duæ fuerint Magneſiæ, una ad Sypilum montem, altera ad Mæandrum fluvium, quæ ΝΕΩΚΟΡΟC ΑΡΤΕΜΙΔΟC dicitur, hæremus dubii, cui adſcribi debeat nummus. Plurima de Magneſiis collegit V. C. Laur. Theod. Gronov. Notis in Baſin marmoream Coloſſi Tiberii.

Μόκα in Arabia Petræa; quam regionem Dionyſius Syriæ accenſet, Stephanus autem tertiam Palæſtinam nominat: πέτρα. πόλις τῆν τῆς τρίτης παλαιςίνης. Palæſtinam vero Syriæ partem habitam, oſtendit Nobiliſſ. Hill. in Dionyſ. Periegeſ. p. 315. Vocatur Tab. III. Fig. 7. in nummo huc ſpectante ΜΟΚΑ ΙΕΡΑ ΑCΥΛΟC ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ. *Moca Sacra inviolabilis, ſuis legibus utens*, & exhibet oculis mulierem ſuccinctam, ſtantem, dextra ſpicas & papaver, ſiniſtra

cornu-

cornucopiæ tenentem; in averſa parte eſt caput Septimii Severi. Putat Bellonius hanc urbem eandem eſſe, quæ hodie appellatur *Mecha*, Mahometis impoſtoris omnium ſceleratiſſimi ſuperbiens ſepulchro; ſed toto aberrat cœlo; Mecha enim eſt in Arabia felici, Petra ſive Moka in Arabia Petræa, ubi eam quoque repoſuit Ptolemæus. Vid. literis politiſſimus Pinedo, gente Luſitanus, religione Apella, Not. in Steph. Byzantin.

Nicæenſium in Bithynia nummus Neronis apud Excell. Valentem de Numm. Græc. in quo ara, capricornus (abundantiæ & fertilitatis ſymbolum, ut fuſius probat μέγα θαῦμα βροτῶν Illuſtris Spanheim. de Vſu & præſtant. Nummiſm. Edit. noviſſ. p. 170.) cornucopiæ, globus, papaver & faſcia, cum inſcriptione: ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. *Sub Attio Lacone proconſule Nicæenſium.* Alius quoque Plautillæ nummus obvius, in cujus parte averſa Ceres velato capite ſtans, dextra ſpicas & papaver, ſiniſtra tædam tenet, cum inſcriptione: ΝΙΚΑΙΕΩΝ, ubi notandum Nicæenſes in quibusdam nummis uſque ad Veſpaſianum, Proconſulum provinciæ nomina poſuiſſe, uti ſupra e Neronis nummo elucet; poſtea nullos amplius magiſtratus in nummis expreſſiſſe. Hæc urbs imprimis coluit Cererem, uti ex plurimis nummis probat ὁ πάνυ Illuſtr. Spanheim. l. c. p. 636. in cujus mortem Reipubl. literariæ admodum luctuoſam, hos applicamus verſus, quos in eruditum Italum fudit Carolus Datus:

Conſtanset publica cauſſa dolendi,
In quo multa ſimul fata ſepulta jacent:
Præſidio viduata ſuo jacet orba vetuſtas,
Ipſa recensætas, ipſa futura ſimul.
Æternis cauſam lacrymis dedit ille peremptus,
omne ævum in cujus funere flere datur.

Nicomedienſium in Bithynia urbs Metropolis, ad quam dignitatem SCto evecta videtur ſub Claudio Imperatore,

ut illius nummi indicant , in quibus hæc dignitas inſcribitur, quæ in Tiberio non occurrit. Hadrianus ipſi Neocoriam conceſſit , quem ideo ΘΕΟΝ ΟΛΥΜΠΙΟΝ in nummis vocavit. Commodus ei ſecundam Neocoriam tribuit; unde illi templum dedicavit , & certamina in illius honorem decrevit , ut Xiphilinus teſtatur. Tertiam ſub Valeriano Neocoriam obtinuit. Cereris in hac urbe cultus maxime viguit; hinc a Libanio Cereris urbs vocatur, id quod fuſe probat toties citat. Illuſtriſſ. Spanheim. de Vs. & præſtant. numiſm. & πολυμαθέςατος Beger. Theſ. Brandeb. volum. 3. p. 140. Nummus huc collineans Fauſtinæ Junioris eſt, in quo imago Auguſtæ, in averſa parte tæda ardens, cui ſerp ens involutus, ex ea ſpicæ & papaver, apud Nobil. Valentem de Numm. Græc. p. 61.

Philippopolitanorum Thracicæ provinciæ urbs, inter Hæmum ſive Æmum & Rhodopen, ſi diviſioni ejus ab Hadriano in ſex diœceſes factæ, credendum, illi Hæmimontii contulit nomen. Eumolpias prius dicta, a Philippo Alexandri M. Patre inſtaurata, denominationem Philippi obtinuit. Sic Lucanus libr. 6:

Qua juga devexus Pharſalica porrigit Æmus,
Romanas acies iterum videre Philippi.

Lucem dat nummus apud Golzium ſtupendi operis Nummarii auctorem ſolertiſſimum, (non Belgam, ut a multis habitus, quod in ea gente Patronos ac Mæcenates nactus, collectiones ibidem ſuas antiquarias divulgavit, ſed Germanus, ſed Francus orientalis, popularis noſter, ac, uti ab Antonio Auguſt. etiam dicitur, Herbipolitanus, e Spanh. teſtimonio,) & quidem e Græc. Tab. 25. & in Cl. Nonn. Comm. p. 140. in quo Philipp. Amyntæ filius diademate ornatus, ab altera parte ſpicæ cum papaveris capite.





In nummo Septimii Severi a Philippopolitanis cuſo, præſide Tiberio Barbaro, mulier velata patrio more comparet, inſiſtens rupibus dextra, ſiniſtra ſpicas porrigit & papaver. Idem nummus, niſi quod mulier turrita & velata, ab eodem præſide Philippopolitanorum cuſus in honorem Juliæ Domnæ; claro indicio, hoc factum eſſe in memoriam, quod Imperator Severus ad Metropoleos dignitatem evexerit urbem, quem titulum primitus in Auguſti hujus nummis expreſſit. Mons igitur, cui urbis genius inſidet, Æmus vel Hæmus; ſpicæ & papaver divites Æmimontij campos indicat, a Virgilio lætos dictos, Georg. libr, 3:

Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro,
Æmathiam, & latas Æmi pingueſcere campos.

ubi plures codices *latos* legunt. Hanc poſtea urbem, cum Caracalla contra Parthos bellum per provincias pararet, Alexandri Magni æmulator, Macedoniam luſtrans ex ejus populis phalangem comparavit, in qua erant hominum ſedecim millia;

ceu Dio teſtatur: deinde urbem Philippopolin ingreſſus, illam declaravit Neocoram, ipſaque hinc edidit certamina Alexandria in illius gratiam nomine totius provinciæ. Occaſione Philippopoleos, Macedonumque Regis, Philippi, jungo nummum Pyrrhi, Macedoniæ & Epiri Regis, apud Cl. Golz. l. c. obvium, in cujus una parte Minerva armata, ab altera vero Ceres capite ſpicis ornato, infra papaver.

Tab. III. Fig. 8. *Prienenſium* nummus in Jonia, ſub Archonte Julio Saturnino cuſus in honorem Valeriani Senioris, in cujus averſa parte mulier ſuccincta ſtans, dextra ſpicas cum papavere, læva tædam porrigit, ad pedes autem modius, quæ omnia ubertatis ſigna; hinc Dionyſ. orb. deſcript. ἐυρυχόροιο πριένης meminit ob ſpatioſos campos circa hanc urbem, fertilitatemque ac commoditatem ad Panionia celebranda ab omnibus Jonibus electam.

Prymneſſorum urbem in Phrygiam majorem collocat Ptolemæus libr. v. c. 2. & Pauſan. l. v. Stephanus vero Byzant. Cariæ annumerat & Prymneſiam vocat. Vrbis hujus nummus Tab. III. Fig. 9. mulierem tutulatam ſtantem exhibet, quæ ſiniſtra elata ſpicas & papaver miniſtrat. Hunc nummum in honorem Septimii Getæ a Prymneſſis cuſum & inſcriptum: πρυμνεσσέων. (quod Cl. Luc. Holſten. Not. in Steph. Byzant. formatum videtur ex πρύμμεσσος) operi de Nummis Græc. inſeruit Cl. Valentius p. 119. ex Focaulti, ſupplicum libellorum magiſtri, ac regii Rei Judiciariæ in inferiori Neuſtria Præfecti, gazophylacio omni cimeliorum genere inſtructiſſimo, ac e multis id genus gazis locupletato, uni in Gallia Regio inferiori, præcipuis autem in Europa Cimeliarchiis merito comparando; illuſtr. Spanheim. teſte.

Sardianorum in Lydia urbs, Regia Lydorum Regum, imprimis Hyliattis & Crœſi. Antiquitate & majeſtate olim poſt Babylonem nullis in Aſia urbibus cedens, ſic ſentiente Xenophon-

te

te in Cyropæd. Libr. VII. qui Πόλιν πλουσιωτάτην ἐν τῇ Ἀσίᾳ μετὰ βαβυλῶνα, urbem totius Aſiæ poſt Babylonem opulentiſſimam nominat. Et licet terræ motu cum aliis Aſiæ urbibus peſſundata fere fuerit ſub Tiberio, nihilominus ſub Gordiano Pio Metropoleos Græciæ dignitatem adepta, a Floro jam altera Roma dicta, quæ nunc pro dolor! nil niſi ruderum cadavera & vilem viculum oſtendit. *Triſte erat ſpectaculum*, (ſcribit Excell. Th. Smith, qui in Aſiatica ſua Ἀποδημίᾳ coram oculis conſpexit) *nec tantæ urbis ruinis illacrymari puduit. Sardes in Sardibus quærebamus: viculus enim hodie ignobilis eſt, ædes anguſtæ & humiles ſine ſplendore, ſine ornatu, ad congeriem caſularum redacta eſt Lydiæ urbs primaria, & ſedes Metropolitica deſtituitur Eccleſiola.* Plures nummi Sardianorum exſtant, Gordiani nempe tertii cum Tranquillinæ conjugis effigie, ſub Proſerpinæ ſchemate, Juliæ Domnæ, aliique papaver oſtendentes; ſed cum de his nummis, ubi de Proſerpina mentio facienda, agendum, chorda oberrare eadem nolumus. *Tab. XV.*

Sidetorum in Pamphilia urbs, Cumæorum colonia, ſi Straboni credimus; ſecundum Steph. Byzant. dicta a Side, filia Mentauri; ubi Pinedo, laus non ultima ſabbatariorum prudens ingenioſus & peritus, in Not. in hunc autorem pro Μενταύρου legendum putat μὲν Ταύρου. Hæc enim urbs apud Svidam ſuo loco, nomen accepit a Side filia Tauri. Splendidiſſima & illuſtris appellatur in nummis; unde Neocora facta videtur ab Elagabalo, cum victor, occiſo Macrino, e Syria Romam rediret, cujus beneficii memores Sidetæ Certamina Olympia anno illo celebranda Oecumenica in ejus pronuntiavere honorem. Ab his ipſis Sidetis cuſus nummus in honorem Sall. Barb. Orbianæ, Alexandri Severi conjugis, in quo caput Auguſtæ cum inſcript. ΓΝ. ΣΕΙ. ΣΑΛΛ. ΒΑΡΒ. ΟΡΒΙΑΝΑ ΣΕΒ. in altera nummi parte mulier turrita inſidens ſcopulis, quibus ſiniſtra innititur, dextra ſpicas & papaver promens, ad pedes fluvius emergens *Tab. III. Fig. 10.*

gens cum inſcript. ΣΙΔΗΤΩΝ; fuit quippe Side vrbs maritima cum portu, id quod Scylax teſtatur, & ante illum Livius l. 35. c. 38. ubi oppidanos hos Sidetas, inter illas celebrat gentes, quas nullæ unquam nec arte nec virtute navali æquaſſent. Hinc Conſtant. Porphyrog. de Them. libr. 1. Th. 14. p. 43. Edit. Meurſian. eam vocat τὸ τῶν πειρατῶν ἐργαστήριον, *Piratarum officinam.* Hanc urbem ſuo condecoravit ortu, ex ordine noſtro Medico Marcellus, vulgo Empiricus, qui de Arte noſtra, imperante M. Antonino, *XLII.* Libros Carmine Hexametro compoſuit, teſte Suida, qui hodie deſiderantur, quippe plane ab illis hactenus editis diverſi.

Tarſenſium in Cilicia binos nummos fuſius explicaturi erimus de Magna Deum Matre, papaveribus & ſpicis exornata, quo B. L. ablegamus, his nummis potiſſimum ex Aſiæ minoris provinciis collectis impoſituri colophonem.

Nec dubium ſupereſt ullum, in reliquis quoque Aſiæ majoris partibus, cultum fuiſſe papaver, licet tot veterum monumenta nummorum, ſicut in minori haud amplius proſtent. Sic in hunc usque diem apud Perſas in deliciis papaver, e cujus ſemine infuſionem parant, quam *Kokenaer* vocant, inebriaminibus aptiſſimam, adeo ut tot in urbibus Perſicis proſtent tabernæ, quot potui Caffe ſunt dicatæ, ceu pluribus hæc memorat Gallicus ille Vlyſſes, Generos. Dn. Chardin in Itiner. Perſic. T. II. p. 68. ſeq. Edit. noviſſ. qui & hoc adjungit, ab Usbequis, Tartarorum gente Sinenſibus vicina, morem in Perſiam introductum, ut tabaco immixtum papaveris ſemen, per fiſtulos hauriant. A Perſis item pro cordiali lacrymam haberi papaveris aſſerit; hinc Teriac appellitant, illosque, qui ex nimio infuſionis hujus potu quaſi furiis acti, *Teriaki* ſcoptice nominant, quaſi ebrios & bachantes. Denique ex Indiæ Orientalis regionibus & olim, & nunc allatum opium norunt omnes, quibus res Medicas noſſe datum.

Sed ne Aſiaticus eſſe videar, in Europam noſtram redux, quam altricem Plinius vocavit victoris omnium gentiū populi, longeque terra-

Tab. IV. p. 17.



terrarum pulcherrimam, omnium fertilitate beatiſſimam, nec hanc apud canam antiquitatem papavere deſtitutam reperio. Imprimis Sicilia ſe offert, quam Illuſtriſſ. Comes Cæſar Ripa in Iconologia depingit, manibus papaveraceis floribus capitibusque exornatam, nec ſine prægnanti ratione, cum inſula hæc Sicula, teſte Cicerone 6. in Verrem, uti ex antiquiſſimis Græcorum literis atque monumentis conſtat, tota Cereri & Liberæ conſecrata fuerit, cui conſentit Ovidius Faſtor. L. 3:

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor,
Trinacris a poſitu nomen adepta loci:
Grata domus Cereris, multas ea poſſidet urbes &c.

ut nummos Cereris alibi allatos, eosque in Sicilia cuſos, prætercam? Jam vero cum Cereris ſit ſymbolum papaver, exinde factum, ut Sicilia Meconia fuerit cognominata, teſte ſolertiſſimo Bodæo a Stapel comment. in Theophraſt. p. 1097. b. Hinc forte apud doctiſſimum Cluverium, maximum certe gentis noſtræ miraculum, in Sicil. Antiqu. l. 2. c. 12. p. 387. pro monte Myconio, Meconius legendus, qui vertex fuit in jugis Pelori ſive Neptunii montis, inter Meſſanam, Pelorum & Nauledum, a ſiniſtra parte faucium Mylenſium. Papavera quoque in Siculorum nummis obvia, ulterius hæc, quæ protuli, illuſtrant. E plurimis duos tantum oculis Lectorum ſubjicio, quos recenſet Siculæ gloria gentis, Don Vincenzo Mirabella & Alagona, nelle dichiarazione delle Piante del anticha Siracuſa & alcune ſcelte medaglie d' eſſe, & de Prencipi, che quelle poſſedeſſero. Primus in Tabula XII. num. 30. comparet, cuſus ex auro, quintæ ſecundum Mirabellam magnitudinis. Ex una parte caput muliebre corona ſpicea redimitum, pone illud papaveris caput: ex altera ſive averſa parte, currui bigato inſiſtens, cujus capiti ſtella, vel ſtellæ quid ſimile, imminet. Nec dubitat vir Clariſſimus, eſſe nummum Hieronis ſecundi, Syracuſanorum Tyranni, quamvis effigies ejus cum Cereris ſit commutata. Currum, cui biga equorum *Tab. IV. Fig. 1.*

ad curſum concitatorum juncta, denotare credit Palmam & Victoriam, quam Hiero in Ludis Pythiis, & quidem ſecundum nonnullos, XXIX. obtinuit, in cujus honorem ſequentem fudit Pindarus odam. 2. Pyth.

Μεγαλοπόλιες ὦ Συρά-
κοσαι, βαθυπολέμου
τέμενος Ἄρεος &c. &c.

Alter itidem nummus e Tabula XII. n. 32. deſumptus, exhibet caput Palladis galeatum: pone illam eſt τὸ τρίσκελον Siculum, infra mentum litera Σ, Syracuſam forte denotans urbem, in qua erat, teſte Athenæo Libr. III. p. 109. & Lib. X. p. 415, ſimulacrum Cereris σιτῦς ſive frumentariæ, & ἱμαλίδος, Farinæ ſive Farinaceæ; in averſa parte victoria alata, coronam dextra, ſiniſtra palmam tenens, ex Claudiani deſcriptione: *Tab. IV. Fig. 2.*

Ipſa duci ſacras victoria panderet alas,
& palma viridi gaudens, & amica tropæis
cuſtos Imperii Virgo &c.

Victoriam hanc ambit inſcriptio: ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, adjuncto papavere & ſigno || Κ || Monetarii forte. Hunc Dionyſii nummum credit Illuſtriſſ. Mirabella cuſum in memoriam victoriæ, quam in Syracuſanos obtinuit, cujus Diodor. Libr. XIV. meminit. His nummis annectimus plumbeum, partim τὸ τρίσκελον illuſtrantem, partim papaver noſtrum concernentem. Cum enim Lycophroni Sicilia audiat τρίδειρος, trivertex, Orpheo ac Pindaro τρίγλωχις, tricuſpis, Martiano Heracleenſi τρίπλευρος, trilatera, Nonno τρικάρηνος triceps, & τρίλοβος, tricollis; Syracuſani, qui caput fuere provinciæ ac inſulæ, figura ex tribus cruribus, τῷ τρισκέλῳ, tribus promontoriis conſtantem Trinacrin ſive Siciliam expreſſerunt. His cruribus tres ariſtas, in unum deſinentes culmum, addiderunt, quibus in nummo noſtro plumbeo tria capita papaveracea adjuncta, indubia Siculæ fertilitatis ſymbola. Nec te moveat plumbea moneta, plumbeos quippe nummos, (quos mercium numero, quæ emi vendi- *Tab. IV. Fig. 3.*

vendique poſſunt, eximit Vlpianus l. 9 §. 2. D. ad Leg. Corn. de Falſ.) adhuc ſupereſſe, in Græcia olim vel in Sicilia cuſos, ac inter nummos etiam familiarum Romanarum, teſtem omni exceptione majorem produco Illuſtriſſ. Baronem Spanheimium Diſſ. I. de Vſ. & Præſt. Numiſm. p.46. Edit. Lond. in Fol.

In vicinam Siciliæ *Apuliam* transfretantes, regna olim imperio conjuncta, nunc invidis pro dolor! fatis disjuncta, (haud abſimili modo, ac

Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit, ſed pontus & æſtus
Mutavere ſitum; rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes,
Parvaque cognatas prohibent diſcrimina terras;)

cernimus papavere turgida arva, quæ medicis antiquis jam opium miniſtrarunt haud infimæ notæ, illudque hodie adhuc non exigua copia Venetias deferri, Sylvaticus de Theriac. compoſ. Libr. 1. Cap. V. p. m. 101. auctor eſt, teſtatus inſuper, tertiam papaveris ſpeciem Dioſcoridis in Ferrarienſi agro copioſe creſcere; magis etiam quam in montibus efficacem, Braſavolus obſervavit.

Superat tamen Apuli papaveris lacrymam longe *Hiſpanicum* opium, a Galeno de compoſ. Medicam. ſec. loc. Sect. V. commendatum, & a Plinio Valeriano L.2. c.30. memoratum, qui Spanum opium, loco Hiſpani nominat. Forte Hiſpanico hoc opio Licinii pater interemptus, de quo rigidus papaveris cenſor Plinius: *Scimus interemptum Licinii Cæcinæ Prætorii viri Patrem, in Hiſpania Bavili* (Harduinus *Bajuli* legit) *cum valetudo impatibilis* (i. e. non ferenda,) *odium vitæ feciſſet.* Sed optime jungit Plinius, tunc *mortiferum per ſomnos extare, ſi copioſior ſuccus hauriatur:* tunc enim e narcotico fit necroticum. Illuſtrant præterea papaveris in Hiſpania copiam, plures nummi.



Fig. 1. Sic Hiſpaniæ genius ſub figura mulieris tunicatæ exhibetur, dextra ſpicas & papaver, ſiniſtra parvum clypeum, ſeu cetram e Livio dicere malis, quibus armis Hiſpani olim utebantur, oſtendens, in nummo Galbæ, & quidem in memoriam iſtius provinciæ, quæ illi imperium prima detulit. Vid. Cl. Valentius Tom. II. Numiſm. Imp. Aur. & Argent. p. m. 75. & apud Cl. Patinum Theſ. Numiſm. pag. 55. Exſtat etiam aureus hic nummus in gazis Schwarzenburgicis cum Regiis certe comparandis. Alius Ha-
Fig. 2. driani nummus occurrit apud eundem Patinum Theſ. Numiſm. ubi Hiſpania ſupplex Imperatori ſtanti, ceu Hiſpaniæ Reſtitutori, dextram porrigit, ſiniſtra ſpicas & papavera tenens. Aſſidet ad dextram cuniculus, ex quo animalculo *cuniculoſa* Celtiberia dicta Catullo; quamvis eruditiſſimus Nonnus in Hiſpan. haud abſurde ſuſpicetur, ob metallorum uberes ſecturas, quæ cuniculis ſub

lis ſub terram aguntur, ita dictam; ſiquidem nec hodie adhuc deſierunt, multijugæ metallorum divitiæ, ſed Regum interdicto, Hiſpaniæ parci nunc jubetur, donec India theſauros ſuos non amplius ſuppeditet. Eandem fovet opinionem Anton. Auguſtinus, in quem illud quadrat, quod de Fabio Pictore alicubi Cicero: & Juris, & literarum & antiquitatis bene peritus. Dial. II. p. 41. Sunt autem ſpicæ & papaver, uti in aliis, ſic in his quoque nummis, Hiſpanicæ fertilitatis & abundantiæ ſignum, quod merito mirum nobis videtur, cum non ex auritis teſtibus, ſed qui oculis conſpexerunt, abunde de hodierna Hiſpaniæ ſterilitate conſtet, quibus ex JCtorum edicto, *uti teſtibus de viſu deponentibus magis credendum, quam deponentibus de auditu.* Arg. eor. quæ not. in l. Teſtim. C. de teſtibus; & in C. cum cauſam, extrav. de teſtibus. Exſtant tamen de Veteris Hiſpaniæ ubertate inſignia auctorum teſtimonia, ita ut Pacatus: *Terram omnibus terris feliciorem* prædicaverit, *cui excolendæ ditandæque impenſius quam cæteris gentibus ſupremus ille fabricator indulſerit*, & Solinus, *nihil in ea otioſum, nihil ſterile*, pronuntiaverit. Si in cauſas hodiernæ ſterilitatis inquiras, modo citatus Nonnus de patria ſua reſpondet: *Sed unde tantum a priſca fertilitate degeneravit? an occulti aliqui & noxii ſiderum poſitus genitalem telluris vim infecere? an effeta & laſſa terra inani ſpe agricolas lactat? neutrum ego in cauſa putem. Æque enim ac priſcis ſeculis, in omnia frugum genera fecunda eſt. Sed deeſt induſtria. Nam cum natura ſua in arma magis, quam aratra propenſi ſint Hiſpani, per longinquas in utramque Indiam expeditiones & continuata bella, exhauritur juventus. Hinc agricolarum infrequentia, hinc agri neglecti potius, quam ſteriles cernuntur.*

Galliam papaveris altricem extitiſſe jam Catonis ævo, Gallicanus papaver, cujus de R. R. meminit, affatim teſtatur: & forte ſpicis quoque junctum fuit papaver, ſculptoris incuria ob parvitatem omiſſum in nummo illo Galbæ ab Illuſtr. Triſtano *Fig. 3.*

T. III. Comment. Hiſtoriq. p. 73. ubi Tres Galliæ, ſive tria ſpicis affixis capita, occurrunt. Sic in Narbonenſi Gallia hodienum luxuriare papaver, ex illoque inciſo lacrymam ſe collegiſſe gloriatur ſolertiſſimus Charaſius in Theriac. licet labor voluptatem & quæſtum ſuperarit.

Ex his omnibus, quæ leguntur de Patria papaveris apud veteres potiſſimum, audacter affirmo, nullum tunc temporis orbis veteris cogniti partem caruiſſe papavere, & æternæ veritatis eſſe illud, quod Angliæ literatorum decus ſummum, Excell. Rajus Oper. Botanici T. I. Libr. XVII. p. 855. ſcripſit: *Credimus, quod ſi in Europa, ut Gallia, Germania & Italia, ea diligentia adhibeatur, quam orientales adhibent, poſſet etiam fieri papaveris lacryma, ſicut in Aſia. Natoliæ enim clima eſt æque frigidum atque Gallia.* Vt ſilentio involvam, Excellentiſſimum Helvetiæ Medicum, e papaverum in ipſius horto florentium, ſucco paraſſe opium, palmam omnibus aliis laudanis, ab anodynam & minime narcoticam vim, reddens dubiam. Sed ut promiſſis ſatisfaciam, medica relinquo, reverſurus ad papaveris antiquitates.

Demonſtravimus hactenus, papavera junctis ſpicis fertilitatem denotare καὶ εὐετηρίαν, nunc ulterius probandum eſt, veteribus innumerum numerum deſignaturis, papaveris grana, & frumenti montes ceſſiſſe in adagium. Probo hoc ex Ovidii Triſt. Lib. V.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quotque ſoporiferum grana papaver habet.

Hinc irata in Pſychen Venus, diloricatis prius plurifariam ejus veſtibus, capilloque diſciſſo, & capite conquaſſato graviter afflictam, increpat, & pœnæ loco, accepto frumento & hordeo & milio, & papavere & cicere & lente & faba, commixtisque acervatim, confuſisque in unum grumulum, (in Edit. Pricæana Apuleji, quam poſſedit olim Norici gloria Pindi B. Wagenſeilius noſter, ubi in margine variantes Lectiones ab Illuſtr. Octav. Ferrario ex optimis Manuſcriptis ipſi communicatæ, loco *grumuli*

muli glumulus legitur,) ad ejus frugem periclitandam injungit, ut ſeminum iſtorum paſſivam congeriem diſcerneret, ſingulisque granis rite diſpoſitis, atque ſejugatis, ante veſperam opus expeditum approbaret Veneri. Sic aſſignato tantorum ſeminum cumulo, ipſa cœnæ nuptiali conceſſit; uti fuſe hæc apud Mileſiorum lepidum ſcriptorem Madaurenſem Metamorph. Lib. 6. pag. 116. Edit. Pricæan. reperiunda. Incondito illi & inextricabili ſuccubuiſſet labori, (ſtulta quippe cura eſt, quæ ſpem non habet; labori incumbere oportet, ubi effectus promittitur, teſte Quintil. Declam. VI.) nî formicula illa ruricola, difficultatis laborisque miſerta, corrogata cuncta formicarum accolarum claſſe, & ſepedum popŭlorum undis, acervum ſeparatim diſtinctis diſtributisque generibus digeſſerit. Forte hæc Apuleio, de formicis recenſenti, illud decimæ Muſæ, Plauti, in Trinum. Act. 2. Scen. 4. ſuboluit, ubi Straſinus ſervus narrans, quadraginta minas intra quindecim dies fuiſſe conſumptas & dilapidatas, his verbis expreſſit: *Conſit cito, quam ſi tu objicias formicis papaverem*; ubi obiter notandum, quod a Chariſio Lib. I. annotatum, in genere maſculino *papaverem* exprimi, quod & a Plauto factum Pœnul. Act. I. Scen. 2. itemque a Catone ac Varrone, quorum hic (ceu jam meminimus) *papaver Gallicanus*, ille in Admirandis dixit: infria ſeni *papaverem*. Vid. ὁ κριτικώτατος τὴν ἀκοὴν Meurſius Not. ad Caton. c. 79. Nec mirum, cum & apud Græcos maſculino genere ὁ μήκων dicatur.

In triplici, & ditiſſimo naturæ regno infinitus numerus, *papaveris* deſignatur nomine ac numero. Sic in regno vegetabili paſſim ſemina oculum pene fugientia & innumerabilia, e. gr. in ficu, *papavera* audiunt, Græce σπερμάτια μηκωνικά. In regno minerali arenæ quædam granulatæ; ſecundum Pollucem Onomaſt. L. VII. c. 27. p. 760. Edit. Hemſterhuiſ. Μήκων δὲ ἦν τι ψάμμου εἶδος, *Mecon arenæ quædam ſpecies.* Ex hoc arenæ coagulo forte *lapis Meconites*; (cujus apud Plinium mentio Hiſtor. Natural. L. 37. c. 10.) con-

concreſcit, quia *papaveris* ſemen exprimit; nam ſecundum ſolertiſſimum naturæ Myſtam Geſnerum, videtur totus quaſi ex arenulis rotundis conflatus, ideoque ovis piſcium ſimilis, quæ recentiores quidam *arenida* cognominarunt, h. e. ψαθυρὰ & friabilia. Confriatur autem & reſolvitur facile hic lapis in arenulas, ſive granula, e quibus conſtat, quæ quidem ſingula perdura ſunt, inſipida & inodora. Vocatur lapis Meconites alio nomine Hammites, quia ovis piſcium ſimilis: hinc Germanice **Rogenſtein / weil er nicht minder / wie den Fiſch-Rogen / alſo auch dem Mahen-Saamen gleich.** Non ſemper tamen friabilem eſſe hunc Meconitem ſive Hammitem, & ita diſtinctum, ut arenulæ ſive ovula ſingula ab invicem diſcerni & ſolvi queant, ſed haud raro ita confuſum, & in ſolidã duramque maſſam coagmentatum, quæ ſilicem non figuratum primo aſpectu refert, teſtis eſt αὐτόπτης, φίλτατον κάρα Excell. Scheuchzerus (cujus ſtupendum in Hiſtoria naturali ſtudium, Magnum Ruſſorum Αὐτοκράτορα movit, ut benigniſſime ipſi Protomedici munus obtulerit,) in Specim. Lithograph. Helvet. curioſ. pag. 40. ubi plura de Meconite ſive Hammite curioſe annotata proſtant. In agro noſtro, & quidem inter **Heimburg** & **Sultzberg**/ frequenter obvium eſſe Meconitem, ex ovulorum ſubluteorum congerie in maſſam friabilem compactum, teſtis eſt in ὀρυκτογραφίᾳ Norica, elegantiſſimo certe opuſculo, Excell. Bajer. Med. Prof. Altorfinus meritiſſimus, Collega æſtumatiſſimus cap. 7. p. 67.

Sed ad papaveris puſilla & pene innumerabilia ſemina calamum revocans, hos Poëtæ verſus annecto:

Magna Dei virtus, quæ tot miracula rerum
Seminis exigui tantillo cortice clauſit!
Quod licet haud ſuperet cineris vel lævis arenæ
Fallentis digitum, & numerantia lumina molem,
Mox dabit ingentem frondoſo tegmine ſylvam,
Et certa in dubiis promet medicamina rebus.

Si

Si ex regno minerali ingrediamur animale, in aquatilibus & marinis papaveris nomen ſæpius obvium. Sic μήκωνες piſces gregales eſſe, in notis ad Athenæi Deipnoſoph. Cl. Dalechampius ex Ariſtot. Hiſtor. Animal. libr. IX. p. 1012. Edit. Scaliger. Toloſ. memorat; aſt ſi textus inſpiciatur, μήκονες legitur, non μήκωνες. Nullum tamen dubium, hos piſces gregales a multitudine dici Mecones, ſive papaveres. Non infrequens nomen in aquatilibus & marinis porro μήκων eſſe innuimus, idque probamus teſtimoniis e σοφίης πρόμῳ Ariſtotele, & quidem ejus Hiſtor. Animal. potiſſimum deſumptis. Sic libr. IV. §. 112. buccini anfractus μήκωνα dici annotavit, qua de cauſa, ignotum ſibi eſſe fatetur in commentario non minor Ariſtotele Jul. Cæſ. Scaliger. Ariſtoteli conſentit quoad buccinorum anfractus Athenæus libr. 3. qui libr. eodem quoque p. 88. C. annotavit, illud, quod intra pinnam eſt, ab Epæneto in Artytico vocari papaver. Rurſum Ariſtoteles Hiſtor. Animal. libr. IV. §. 105. mytidem & μήκωνα eadem eſſe tradit. Jam vero in explicanda mytidis & papaveris vera ſubſtantia, operoſus eſt vir ſummus Scaliger: *Mytis*, inquit, *fiſcus quidam eſt ſub ovo, in quo atramentum continetur*, (de ſæpiis loquitur) *per hanc tranſit gula ad ventrem, & in eam recipitur inteſtinum rediens a ventre, perque ipſum excipit excrementa & atramentum.* Et paulo poſt: *Mytin etiam papaver dici, vidimus, nos potius fiſcum diceremus: eſt enim perſimilis* κύστει. Veteres ea ratione ſubfiſcum dicebant; κύστει comparat Athenæus, qui etiam Μήκωνα vocat in ſeptimo. Præterea ad libr. IV. §. 105. pag. 428. annotat, Μήκωνα non mytidem & fiſcum, ſed humorem certum croceum, aut luteum, in cancrorum genere denotare; id quod repetit §. 107. p. 429. Ejusd. libr. §. 151. Papaveri item alium ſenſum affingit Stagirites, ſcribens: ἀπὸ δὲ τῆς κοιλίας στόμαχος διπλοῦς μακρὸς μέχρι τῆς μήκωνος, ἥ ἐστιν

ν τῷ πυθμένι. *A ventre gula duplex longa ad papaver uſque, quod papaver in fundo eſt.* §. 152. autem innuit: ἔςι γὰρ ἡ μήκων οἱονεὶ [κοιλίας] περίττωμα πᾶσι τοῖς ὀςρακηροῖς τὸ πολὺ αὐτῶν. *Eſt autem papaveris magna pars quaſi excrementum in omnibus oſtraceis.* §. 158. τὴν δὲ μήκωνα πάντα ἔχει, ἀλλ' ἐκ ἐν τῷ αὐτῷ, ἐδὲ ἴσην ὁμοίως φανερὰν, *papaver quoque omnibus ineſt, ſed neque eodem loco, neque eadem quantitate, neque eodem modo apparet.* & §. 162. ἡ γὰρ μήκων, ὥσπερ εἴρηται, περίττωμά ἐςιν ἅπασιν ἐν ὑμένι. *Siquidem papaver excrementum quoddam eſt omnibus in membrana.* Nullum plane dubium eſt, exinde fluxiſſe Meconii nomen, excrementi nempe, quod recens nati primum emittunt, forſan a coloris vel ſpiſſitudinis ſimilitudine. Sic enim toties jam laudatus naturæ interpres Hiſtor. Animal. libr. VII. cap. 13. §. 107. pag. 844. καὶ τῦτο τὸ περίττωμα πλέον ἢ τῦ παιδὸς κατὰ μέγεθος, ὃ καλῦσιν αἱ γυναῖκες μηκώνιον. Χρῶμα δὲ τῦτε αἱματῶδες, καὶ σφόδρα μέλαν καὶ πιττῶδες, *cujus excrementi quantitas major quam pro pueri magnitudine; quod appellant mulieres* papaverculum. *Color ejus cruentus ac valde ater ac piceus.* Certe quæ hic de infantum primis fæcibus, hoc de Polypodis atramento in veſicula peculiari, cui itidem nomen Μήκων, contento, ex Æliani Hiſtoria Suidas refert. Oppianus vero libr. III. Halievtic. inquit: ἔςι τις ἐν μήκωσι θύλος. add. Athen. libr. 7. Reſtat Μηκώνιον ſive ὄπιον, opium papaveris ſuccus, & alterum Μηκώνιον, Hippocrati πέπλον καλούμενον, Dioſcorides libr. 4. c. 168. μήκωνα ἀφρώδη, & Aëtius Amidenus μηκαφροδίτην nominat; ſed cum de his ſeculi hujus ἀςὴρ καὶ φῶς ἰατρικῆς ex profeſſo egerit in Opiologia, eo B. L. ablegamus. Conſul. quoque ςέφανον τῶν χαλκογράφων Henr. Stephanum in Indic. Theſaur. Græc. voce μήκων. Supereſt, ut de papaveris parte media, quæ μήκων quoque Ariſtoteli dicitur, mentionem injiciamus; ſed hæc manu quaſi ad veſtes papaveraceas nos ducit.

DE

DE PAPAVERATIS VESTIBUS,
ſive lanis poſt *undulatas*, *ſororiculatas* (in Not. Tironis apud Gruterum *Sororeclatas*) *Phryxianas* aliasque, Plinius meminit Hiſtor. Natur. libr. VIII. ſect. 74. p. 230. Edit. Harduin. *Crebræ papaveratæ antiquiorem habent originem, jam ſub Lucilio Poeta in Torquato notatæ.* ὁ πάνυ Salmaſius in erudita congerie notarum in Solinum, nullo quidem ordine, ſed copia felici, legit *papaveracas*, pro quo vir doctiſſimus *papaveratas* corrigendum putavit, idque multis jam viris eruditiſſimis, ceu Salmaſius teſtatur, perſuaſit. *Vetus & optimus liber vocat papaveractas, pro papaveracas. Veſtis papaveraca eadem forma ac ratione dicta, ut lingulaca piſcis, ut portulaca, perſonaca, herbæ. Quia Græci* μήκωνα *vel* μηκωνῖτιν *veſtem vocarunt tenuiſſimam ex Mecone ſive papavere pinnarum textam, Lucilius, qui ubique ac ſemper græciſſabat, papaveracam delicatam ac byſſinam veſtem dixit.* Hæc Salmaſiana criſis nobis ſuggerit. Cum vero Plinius non explicaverit, quales iſtæ veſtes fuerint, & unde dictæ, anſam dedit ſtudii Philologici principibus viris, varia ex inexhauſta eruditionis abyſſo hac de re depromendi. Magnus & modo laudatus Salmaſius ex pinnarum papavere textas veſtes credidit: μήκωνες, inquit, *in medio oſtreæ fibræ ſunt vel fimbriæ. Neophytus:* εἰσὶ δὲ αἱ κροκύδες αὐτῶν. *Martialis* Cirros *appellat. Plinius* crines. *Fibræ, quas ambit crinis Plinii purpureus, ſunt* τὰ μηκώνια. *Hæc omnino vera in Dioſcoride lectio, non* κιόνια, *aut* ἴονια. *Male etiam apud Neophytum* εἰκέονα *pro* μηκώνια. *Ita etiam dicta ſunt pinnæ vellera, quæ* τριχώματα (vulgo legitur περιττώματα) *Heſychius vocat. Ab illo pinnarum capillitio, & molli lanoſitate, tenuis veſtis* μήκων *appellata. Nam & nebatur ejusmodi pinnarum vellus, & veſtes ex eo texebantur. Inde veſtes papaveracæ Latinis pro tenuibus ac delicatis, ut Græcis* μήκω-

 νες.

νες. Hæc Salmaſius, Seculi noſtri Varro, ſolertiſſimus Voſſius *in Etymol.* tenuem ex byſſo linoque ſubtili, (μήκων Heſychio dicitur, quæ vox & papaveri communis eſt,) veſtem interpretatur. Sed cum ex R. P. Harduini mente, neuter virorum κριτικωτάτων appoſite quidquam habeat, in Democriti puteo res adhuc latet, & nil niſi conjecturis locus. Vir quidam eruditiſſimus, qui mihi in rebus dubiis oraculi loco, circa Ariſtotelis verba Hiſtor. Animal. libr. V. c. XIV. §. 145. dubium movit. Purpuræ illic tres partes conſtituuntur, ſuperior τράχηλος, cervix, media μήκων ſeu papaver, ima vero πύθμη (ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου, inter cirrum & ſpondylum, ut Philoſophus loquitur, ſive ex Plinii interpretatione, *in mediis faucibus*,) ubi hæreat purpuræ textura denſa, & unde purpuræ florem tingendis veſtibus expetunt, ſecundum Plinium libr. IX. c. 36. p. 338. Oritur hinc quæſtio, annon ἱμάτιον μηκώνιτος e vicinia floris purpuræ ortum traxerit? Imo cum ex eodem Stagirita pateat, μήκωνα ſive papaver lentorem eſſe tenacem, viſcidulum, in ventre purpurarum obvium, quem alii pro corde, alii pro hepate venditant, ad cujus latus purpureus apparet mucus, (de quo vid. Excell. Major Annot. XII. p. 18. Tr. de Purpur. Fabii Columnn. & Diction. Oſtracol. in voce μήκων, Mecon;) quis non crederet, lanas vel veſtes hoc tenaci lentore mucoque *fuſci coloris* infectas, *papaveratas* fuiſſe appellatas? præcipue cum apud veteres haud una fuerit purpuræ ſpecies, & forte hæc *papaverata* vilior, cujus Cicero pro Sext. c. 19. meminit: *Purpura plebeja ac pæne fuſca.* Sic Plutarchus in Catone minore, optimæ notæ purpuras καταкόρως ἐρυθρὰς καὶ ὀξείας appellat, atque iis opponit μελαίνας, nigras. Athenæus quoque Deipnoſoph. libr. III. p. m. 89. Purpuræ florem nigrum eſſe aſſerit, ſcribens: καὶ τὸ ἄνθος αἱ μὲν πλεῖσται μέλαν ἔχουσιν. *Obſcuram* Latine dixeris; Macrob. libr. 2. Saturn.

Saturn. c. 4: *Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur.* Vid. Deſid. Heraldus Digreſſ. VII. p. m. 205. Imo cum purpureus color, ſive puniceus & extreme rubens, (hæc enim apud veteres vulgo Synonyma,) non e concha ſolum Tyria, vel Coa, vel Laconica, aliorumque maritimorum locorum, ſed præterea e florum & herbarum ſucco ad ejus imitationem a lanarum infectoribus frequenter paratus fuerit, (hinc Petronius ait: *Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro*;) cui adhuc ſupererit dubium, e papavere purpureo fucum ad imbuendos colore puniceo lanas & veſtes productum fuiſſe? Hunc quippe colorem ſuppeditat

Munus Eleuſiniæ Matris Cereale papaver,
Cui ſublime caput, folium ſandice rubenti
Puniceum.

Et Propertius libr. 2. canit:

Candida purpureis mixta papaveribus.

Sic balauſtio uſi tinctores Rhodii ad lanas colore puniceo imbuendas, teſte Dioſcoride, vel Alga Cretenſi, ſecundum Theophraſtum, vel Amorgo, ſecundum Suidam. Ita florem purpureum Cteſias apud Indos, radicem coccineam & purpuream tincturam ſuppeditantem Strabo, coccum e granis Galatiæ Plinius, vaccinia Vitruvius, ſandicem Indicam Vopiſcus, arborem Perſicam Argiawan ex Tiphaſio de diſcrimine ſignorum exhibet eruditiſſimus Bochartus in Hierozoico T. II. p. 736. ſeqq. & ὁ πάνυ Spanheimius de Vſ. & Præſt. Numiſm. Diſſ. Sext. p. 321. Edit. nov. Londin. in fol. His, quæ hactenus attulimus, illuſtrandis apprime inſerviunt Aquæ Ierapolitanæ, quæ ſucco vegetabilium impraegnatæ lanam colore coccineo vel purpureo inficiebant, teſte Strabone libr. 13. circa finem, ἔςι δὲ καὶ πρὸς βαφὴν ἐρίων θαυμαςῶς σύμμετρον τὸ κατὰ τὴν ἱεράπολιν ὕδωρ, ὥςε τὰ ἐκ τῶν ῥιζῶν

βαπτόμενα ἐνάμιλλα εἶναι τοῖς ἐκ τῆς κόκκου καὶ ταῖς ἁλουργέσιν. *Eſt & ad lanas tingendas mirum in modum accommodata aqua Hierapolitana, ita ut e radicibus facta tinctura coccineam & purpuream æquet.* Forte & papaveris, inprimis erratici, ſuccus Jerapolitanis immiſcebatur aquis, quippe papavera in nummo Jerapolitanorum ſub Auguſto cuſo, obvia, quem Ill. Triſtanus Comment. Hiſtor. T. I. p. 97. exhibet. Hunc autem nummum Cl. Patinus de Numm. ær. Imp. p. 5. Sacro Senatui vendicat, non Auguſto, ex inſcriptione: ἱερὰ σύγκλητος, & vultum genii Senatus eſſe credit. Vid. quoque R. P. Harduinum de Numm. Colon. p. 214.

Tab. III. Fig. 5.

Papaver quoque refertur & locum habet inter illa,

Quæ faciem commendat cura puellæ,
& quo ſit - - forma tuenda modo.

Inter Coſmetica nempe. Probant hæc, quæ Carmen de Medicamento Faciei Ovidio adſcriptum habet:

Vidi, quæ gelida madefacta papavera lympha
Contereret teneris illineretque genis.

Huc etiam quadrat, quomodo aquam papaveris, imprimis erratici, deſtillatam elegantiſſimum rubini colorem e floribus contrahere doceat D. Hulſe, apud doctiſſimum Rai. Hiſt. Plantar. T. I. p. 855.

His conjecturis innixus credebam, me plus reperiſſe, quam pueri in faba; ſed disjecit hæc, ceu Sibyllæ folia, locus apud Plinium libr. XIX. p. 565: *Eſt & inter papavera genus quoddam, quo candorem lintea præcipua trahunt*; addit libr. XX: *Ex hoc lino ſplendorem trahunt æſtate.* Nolo hic repetere, quam dicam data hac occaſione Plinio poſt Hermolaum Barbarum, Leonicenum, Matthiolum & Dalechampium, ſcripſerit ſolertiſſimus Solini Commentator, geminum illum errorem erraſſe accuſans. Suſcepit quippe Plinii partes R. P. Harduinus ex Collenutio contra Leoni-

Leonicenum plurima decerpens. Hoc tantum addimus, ex his Plinianis locis elucere, papaveracas veſtes & candidas fuiſſe & ſplendidas, non abludentes a papavere,

Quæ ſpecies eſt alba crepanti
Concolor argento gaza reſplendet agreſti.

Hinc quoque pictores ex artis ſecreto, ut colorem lucidum albumque faciei concilient nitorem, quem tempus edax rerum non conſumeret, nec in flavum luridumque tandem converteret, albis coloribus, quibus penicillo prima ponunt rudimenta, papaveris immiſcent oleum, quod experimentum loco Plutarchi, de purpura Hermionica mox adducendo lucem affert.

Nec paradoxon eſſet, ſi quis ſtatueret, papaveratas veſtes, licet candidæ fuerint & ſplendidæ, purpureas tamen recte dici, eadem plane ratione, qua *purpureos cycnos* Horatius libr. IV. Carm. Od. 1. v. 10. pronunciavit, ubi Cl. Cruquius contra omnium Codicum MStorum lectionem *porphyreis* legere vult, ab inſula Cytherea Veneri conſecrata, quæ Porphyris olim dicta. Et Pedo Albinovanus *purpuream nivem* dixit:

Brachia purpurea candidiore nive.

Et alibi:

Purpurea ſub nive terra latet.

Ovidius autem *purpureum amorem* nominavit:

In me purpureus tela reſumpſit Amor.

Imo purpuram albam quoque fuiſſe, locus Plutarchi de purpura Hermionica videtur innuere, Edit. Paris. p. DCXXCVI. Ὅπȣ φησὶ καὶ πορφύρας Ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης μὲν ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, πρόσφατον δὲ τὸ ἄνθος ἔτι καὶ νεαρὸν φυλαττȣ́σης· αἴτιον δὲ τȣ́τȣ φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλȣργῶν δι᾽ ἐλαίου δὲ λευκοῦ, τῶν λευκῶν. Hinc *purpurare* in verſu Furii apud Agellium:

Spiritus

Spiritus Eurorum virideis cum purpurat undas.

Legimus & apud Homerum πορφυρέοσσαν ἅλα. Tanaquillo Fabro Epiſt. libr. I. Epiſt. I. verbum hoc *purpurare*, nihil aliud eſt quam λευκαίνειν, fait blanchir la mer, albeſcere, nitefacere. Theocrit. Idyll. β. v. 2:

Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ
Cinge calicem purpureo ovis flore:

Vbi Poëta per τὸ φοινίκεον οἰὸς ἄωτον; *purpureum ovis florem*; candidiſſimam & præſtantiſſimam ovis lanam, nullis unquam coloribus tinctam intelligit. Eadem ſunt, quæ Scholiaſtes Apollonii ad libr. IV. de Vellere Arietis, quo Phryxus in Colchos delatus eſt, teſtatur, Simonidem, modo album, modo purpureum in ſuis Poëmatibus hoc vellus appellitaviſſe, ut ex ejus verbis liquet: πολλοὶ δὲ χρυσοῦν τὸ δέρας εἰρήκασιν, οἷς Ἀπολλώνιος ἠκολούθησεν, ὁ δὲ Σιμωνίδης ποτὲ μὲν λευκὸν, ποτὲ δὲ πορφυροῦν. Vid. Magnus Salmaſius Not. ad Aram Prim. Doſiad.

Hæc omnia declarant, purpuram aliquando non tam pro certo colore ſumi, quam pro nitore & ſplendore, (Plutarchus λαμπρότητα vocavit,) qui in optimis coloribus effloreſcit; ſic quod candore rutilat, apud Latinos quoque *ſplendidum* vocatur, ut apud Senecam in Hippolyt. *Splendidæ Comæ:*

Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas.

Atque ex hoc fundamento quatuor Evangeliſtas, diſcrepantes circa chlamydem, Salvatori noſtro æternum benedicto, tempore luctuoſiſſimæ paſſionis injectam, conciliare ſtudet Cl. Borremanſius in Veſper. Gorrinchem. oſtendens, ἐσθῆτα λαμπρὰν Herodis apud Lucam c. 27. v. 11. χλαμύδα κοκκίνην Matth. XXVII. 27. 28. & ἱμάτιον πορφυροῦν Marc. 15. v. 17. & Joh. c. 19. v. 2. unum idemque fuiſſe. Vt de purpura

coloris

coloris hyacinthini & violacei nihil hic addam, cum materiam hanc more ſolito excuſſerit Cl. Bochartus Hierozoici T. II. p. 727. & 728.

Hæc occaſione locorum Plinianorum, de papaveris genere, linteis candorem & ſplendorem conciliante, ac de papaveraceis veſtibus, an purpureæ quoque vocari poſſint, dicta e veteribus ſcriptoribus ſufficiant. In ævi medii ſcriptoribus, obſcuriora adhuc de papaveratis veſtibus occurrunt, quæ collegit vir eruditiſſimus Dn. du Cange in Gloſſar: med. & Infim. Lat. T. III. p. 131. & quidem e veteri charta apud Joh. Schefferum ad Chron. Vpſal. p. 152. *Obtulit caſulam Dalmaticam & ſubtile, cum duabus cappis, omnia de papavere.* Infra: *Item aliud par dorſalis & antependii de papavere: item deputabantur duo panni de papavere ad ponendum ſuper ſepulchrum in ſolennitatibus.* Occurrit rurſum ibi. Item in Exceptione Corporis S. Florentini e Latiniaco MSt. *Inſcriptio hæc erat: Hic requieſcit* &c. *Erat autem ſcriptum in papavere.* Ænigmata hic videtur ſcribere vir ſolertiſſimus; ſed niſi me omnia fallunt, lucem aliqualem his in tenebris afferunt, quæ Heſychius loco jam citato protulit: μήκων, ὕφασμα βύσσινον, *papaver, textura byſſina*, tantæ ſcilicet tenuitatis, tantæ ſubtilitatis, quantæ *folium papaveraceum*, wie ein Maben-Blätlein. Jam vero byſſum pro purpura ſumi nonnunquam in veteri Fœdere, docuerunt plures viri magni, teſte Illuſtri Spanheim. de Vſ. & præſt. Numiſm. Edit. noviſſ. Anglic. diſſ. VI. p. 322.

Papaveraceæ Veſtes in memoriam revocant *Papyraceas*, quarum itidem Plinius meminit libr. 13. Hiſt. Nat. c. 11. ejusque in Papyrum Commentator doctiſſimus Guilandinus, ut nil abſurdi crediderit quis, *papaveraceas* & *papyraceas* interdum a ſcriptoribus confuſas fuiſſe, ſtatuens. Hebræis quoque

Papyraceas veſtes haud incognitas fuiſſe, teſtatur Cl. Buxtorfius, per quem

Miteſcit obrutum ſitu denſo
Iduma quicquid ſepſit & Palæſtina;

qui verba in Beres. Rabb. ſect. 37. לובשים כלי פפייר *veſtiuntur veſte Papyracea*, ita interpretatur: *E cortice in tenuiſſimas plagas ſoluto fiebant tegumenta, quæ imponebantur mortuis.* Et ex Sota cap. ult. in fine profert. עושה הוא אפיפיירות, *Faciebat ipſe papyraceas*, ſcil. veſtes. Gloſſa מין עשב לנוי מלבוש ממנו יש לו קליפי ועושין *Species herbæ eſt, quæ cortices habet, & faciunt ex ea veſtimentum ad ornatum.* Nunc diſquirendum foret, an papyraceæ & papaveraceæ veſtes uno eodemque modo fuerint paratæ? ſed cum artis deſtituamur intimiori notitia, ſeponimus calamum.

Latiſſi-

LAtiſſimum nunc Mythologiæ campum ingreſſuris, plurimi occurrunt Dii Deæque, quibus & ſacrum & amicum papaver. Prodeat e Dearum numero

CERES

Heſiodo Rheæ, Hygino Saturni & Opis filia, Dearum, ſi qua alia, apud Ethnicos celeberrima. A Callimacho in Hymn. Cereris paſſim *μεγάλα Θεὸς* audit, & in inſcriptione apud Gruterum cccix. producitur *ἡ σύνοδος τῶν μυςῶν* ΤΗϹ ΜΕΓΑΛΗϹ ΘΕΑϹ ΘΕϹΜΟΦΟΡΟΥ ΔΗΜΗΤΡΟϹ. Conventus ſacerdotum Magnæ deæ Legiferæ Cereris. Hinc quoque *Δαμάτηϱ μέγα & μέγα κϱεῖσσα Θεάων*, *magna Regina Deorum*, eidem Callimacho vocatur; cui conſentit Euripides, apud quem *Θεὰ ἁπάντων ἄνασσα*, *Dea omnium Regina*, ſalutatur Phœn. v. 691. Sic *Θεὸς εὐϱυάνασσα*, *Dea late potens*, a Callimacho l. c. In Orphicis vero ſub Naturæ nomine: *παμβασίλεια*, *omnium Regina*, dicta, uti Bacchus Cereris comes in iisdem Orphicis *βασιλεύτατε πάντων*. Ariſtophani Thesmoph. *Δέσποινα Δημήτηϱ*, *Domina Ceres*, Orpheo autem *Δηὼ παμμήτειϱα*, *Ceres omnium mater*, nominatur. A voce *Δηὼ* nonnulli per contractionem coaluiſſe credunt *Δημήτηϱ*, quaſi *Δηὼ μήτηϱ*. Quod ſi Phœnicie דיא ſcribatur, derivanda vox erit a radice די *Dai*, quæ *ſufficientiam* denotat & *copiam*, nomen huic Deæ convenientiſſimum, quæ inventrix & præſes frugum credita, quorum proventum augere aut mi-

nuere credebatur, prout propitia erat; aut irata. Sic ſentit πολύγλωσσος καὶ πολυγράμματος Clericus Notis in Heſiodi Theog. p. 77. & Bibliotheq. Univerſ. T. VI. ubi hiſtoricam Cereris fabulæ explicationem exhibuit p. 55. ſeqq. Vel Δημήτηρ idem eſt, ac ſi dicas γῆ μήτηρ, hoc eſt, interprete Lucretio, Poëta Phyſico:

Ut merito maternum nomen *adeptæ*
Terra ſit, e terra quoniam ſunt cuncta creata.

Vel ſecundum Ovid. Metamorph. l. 5. v. 342.

Cereris ſumus omnia munus.

Et illa omnia matris ad inſtar beneficæ ad victum neceſſaria miniſtrat.

Δηὼ δώσει πάντ' ἐπίμεσα,
Ceres dabit omnia abunde plena;

ceu Cyrenæus Vates canit in ſæpius citato Cereris Hymn. v. 134.

Ex Græco nomine Δηὼ quoque elucet, Cererem eſſe Deam Diam, *quibus arvorum ſacerdotes ſacra publica faciunt, ut fruges ferrent arva*, teſte Varrone l. 4. ſpicea corona, ſolito Cereris inſigni, redimiti. Nam

Spiceis ornata Ceres corollis.

Et Philippus in Anthol. Libr. VI. c. 7. n. 9. Δηοῖ τῇ σαχυοστεφάνῳ, *Cereri ſpicis coronatæ*, inſtrumenta ruſtica dedicat Lyſixenus: Et Phornutus de Natur. Deor. c. 28. de Cerere p. m. 207. ἡ μέντοι Δημήτηρ κατὰ τὸ ἀναδοτικὸν τῶν σπερμάτων εἰδοποιουμένη, πάνυ οἰκείως εἰσάγεται σάχυσιν ἐσεφανωμένη. *Ceres autem, quandoquidem traditur ſegetem proferre, admodum proprie coronam ariſtis gravem gerit.* Sic Venuſinus Vates in Carmin. ſeculari:

Fertilis frugum pecoriſque tellus
ſpicea donet Cererem corona.

& Tibullus: *Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona*
ſpicea.

ac alibi: *Spicis tempora cinge Ceres.*

Sic Propertius: *Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.*

Ut

Vt taceam Ovidium, alioſque pæne innumeros, quos congeſſit prudentiſſimus Conſil. Carol. Paſchalius Tr. de Coronis Libr. VII. c. 15. p.m. 503. ſeqq. quibus res omnis coronarum e priſcorum eruta & collecta monumentis continetur.

Nec *ſpicea* tantum erat, ſed *ſpicis papaverum capita* immixta hisque diſtincta. E gemma in Theſ. Brandeburg. reperiunda T. I. p. 6. lucem hæc, quæ hactenus propoſui, accipiunt. Ceres illic exhibetur κουροτρόφος, ſive *puerorum nutrix*, in quam maximum a corona *ſpicea papaveracea* decus redundat; ut vere ex Heſiodi mente Oper. & dier. v. 300. ſit ἐυςέφανος Δημήτηρ, *pulcre coronata Ceres*: inter ſpicas quippe fœcunda *papavera* vernant; qua de Gemma uberior dicendi campus ſe mox offeret. Sic in nummo Sardianorum apud Ill. Seguinum in nummis Cyzicenorum, apud erudítiſſ. Valentem & Cl. Bonarotam Proſerpina, Cereris filia, eadem redimita corona, uti fuſius in Proſerpina demonſtrabimus.

Nec tantum *capiti Cereris* exornando inſerviit *papaver*, ſed & *circa imaginem Cereris* poſitum memoratur Euſebio in Præpar. Evangel. Libr. III. c. 11. Quid quod *manibus* Cereris & *ſpicas* & *papavera*, eademque jam ſola, jam conjuncta, indita fuiſſe, nemo neſcit, cui gemmas & nummos noſſe datum eſt, quique Poëtas legerit antiquos. Sic Theocritus, cujus Gratias & Veneres, Heinſio teſte, nemo ſatis capit, Idyll. 7. v. 153.

Δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέρησιν ἔχοισα,

Spicarum manipulos & papaver in utraque manu geſtans,

Et Callimachus in Hymn. Cerer. v. 44. 45:

γέντο δὲ χειρὶ
ςέμματα καὶ μάκωνα.

i. e. *accepitque manu*
coronas & papaver.

 Gem-

Gemmam hæc, quæ diximus, illuſtrantem, mutuo ſumſimus e Leonh. Auguſtini Gemmis, ex ſculpturis antiquis ab Excell. Gronovio in Latinam linguam verſis; n. CXXII. Nummos vero hinc inde inſperſimus.



Vnde Ariſtophani in Ran. p. 202. Edit. Scalig. a *fœcundo papavere* aliisque fructibus καρποφόρος βασίλεια audit, & Orpheo, σαχυοτρόφος, *ſpicarum altrix*; a meſſoribus apud Theocritum in Idylliis invocatur:

> Δαμάτηρ πολύκαρπε, πολύσαχυ, τȣ̃το τὸ λαῖον
> ἔυεργον τ' εἴη, καὶ κάρπιμον ὄττι μάλιστα.

Ceres

Ceres frugifera, ſpicifera, effice, ut ſeges
pulchre elaborata ſit, & fœcunda quam maxime.

E Latinis Poëtis Manilius Libr. II. p. 43. de Virgine, Zodiaci ſigno, Cereris tutelæ dicato, canit:

Spiciferæ eſt Virgo Cereris,

vel ut Gemblacenſis codex legit:

Spicifera eſt Virgo Cereris:

& Cicero:

Spic'um illuſtre gerens præſtanti corpore Virgo.

Præter *ſpiceam papaveraceamque coronam*, *myrteam* quoque Cereri & Veneri communem, vindicat Artemidorus l. 1. c. 79. Iſter Demetrius apud Scholiaſt. Sophocl. ad Oedip. v. 715. myrtum & ſmilacem Cereris coronæ adjudicat, cum Sophocles ipſe ſolus ex Poëtis Cereri & Proſerpinæ *coronam e floribus narciſſi* tribuerit: ubi tamen Scholiaſt. Sophoclis paulo ante ſcripſerat: ἀλλὰ ταῖς θεσμοφοριαζȣ́σαις τὴν τῶν ἀνθινῶν ςεφάνων ἀπειρῆσθαι χρῆσιν: *in Theſmophoriis probibitum mulieribus, ſacrum illud obeuntibus, omnem coronarum e floribus uſum.* Nec enim *coronata* ſemper conſpicitur Ceres, ſed & *vittata & velata*; cujus plures nummi, gemmæ, & ſtatuæ teſtes ſunt. Hinc Juvenalis expreſſis verbis CERERIS VITTAS vocat Satyr. 6. v. 5.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ:

Vetus Scholiaſtes hoc interpretatur: *quæ poſſunt eſſe Cereris Sacerdotes.* Ex quo loco liquet, Sacerdotes Cereris, Meliſſæ dictæ, μητροπόλοι ac ἱεροφάντιδες *vittis* olim fuiſſe redimitas; licet Callimachus in Hymn. Cereris v. 43. Nicippem ſacerdotem Cereris, *coronis & papavere ornatam* introduxerit.

Αὐτίκα Νικίππῃ, (τάν οἱ πόλις ἀρήτειραν
Δαμοσίαν ἔςασαν) ἐείσατο: γέντο δὲ χειρὶ
Στέμματα ϗ μάκωνα, κατωμαδίαν δ' ἔχε κλαῖδα.

Statim

Statim Nicippæ (hanc ei civitas ſacerdotem
Publicam conſtituerat;) aſſimilata eſt , accepitque manu
Coronas & papaver, deque humero pendentem habebat clavem.

Sæpius tamen hæ Meliſſæ, ſive Cereris ſacerdotes , non *ſpiceis coronis*, ſed *vitta & galero* Cereris conſpiciuntur, quod ornamentum capitis Poëtæ κεκρύφαλον ἢ μίτραν forte vocarunt, de quibus Ariſtophanes, (apud quem Euripidis ſocer ſacerdotum Cereris habitum induit , quo ſe pro una τῶν θεσμοφοριαζουσῶν impune venditaret,) ſcribit:

κεκρυφάλου δεῖ, καὶ μίτρας ΑΓ. ἡδὶ μὲν οὖν
κεφαλὴ περίθετος, ἣν ἐγὼ νύκτωρ φορῶ.

Reticulo opus eſt & mitra. Ag. *hæc quidem eſt*
Capiti quæ circumponitur, quam ego noctu geſto.

Certe vel *mitram* , vel mitræ ſimilem Apulejanam *mitellam* geſtat Ceres in elegantiſſimo vaſe onychino Sereniſſimi Ducis Lüneburgenſis & Brunſuicenſis , Myſteria Cereris & Bacchi adumbrante , quod vas eruditiſſimo Commentario illuſtratum edidit vir in deliciis nummariis omnique politiori literatura verſatiſſimus (ex Cl. Begeri judicio) Nobiliſſ. Eggelingius. Stat in Vaſe hoc Ceres in ſacello , faces tenens accenſas, nivea veſte ob repertam filiam, quæ ejus latus claudit, læta. Inſuper *Tab. V.*

crura diſtincto religavit auro,
luteo plantas cohibente ſocco,

ut ideo non inconcinne φοινικόπεζαν Pindarus μεγαλοφωνότατος nominet. Quid autem ſub hac Cereris imagine denotatum fuerit , pluribus agendum , ubi de Proſerpinæ Mythologia. In hoc ipſo vaſe quoque Ceres conſpicitur in curru cum Triptolemo a ſerpentibus tracto.

In

Tab. V. p 40



In manu illud geſtat Ceres , quod pudor nominare prohibet , naturam nempe ſive arvum genitale, ſive, ut ab Apuleio nominatur in Apologia, *Cereris mundum.* Vti enim in Bacchi ſacris oſtenſi phalli ; ſic muliebria in Eleuſiniis. Audiamus Theodoretum Therap. Libr. VIII: ϗ γὰρ αἱ τελεταὶ, ϗ τὰ ὄργια τὰ τȣ͂τον εἶχον αἰνήγματα τὸν κτένα μὲν ἡ ἔλευσις, ἡ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. *Nam & initiationes & orgia habebant ſua ænigmata: Pectinem quidem Eleuſis, Phallagogi vero mentulam.* Ante currum Cereris, Sacerdotum ſive Meliſſarum una, *vitta* vel κεκρυφάλῳ ornata, dextra ſacrum offert porculum ſive myſticam Catulli porcam, ſiniſtra *papaver.* Cauſam hujus oblationis mutuemur e Phornuto de Nat. Deorum c. 28. de Cerer. p. m. 210. ὗς δὲ πλήξαι προσανελεῖν λέγεται, διὰ τὸ τὰς ὗς δοκεῖν ληϊβότειρας εἶναι. ἢ τὸν τῆς ὕνεως ὀδόντα αἰνιττομένων αὐτῶν, ὑφ᾽ οὗ κατὰ γῆς κρύπτει τὸ σπέρμα. i. e. *dicitur & porcos interfeciſſe, quia iſtud animal ſegetem depaſcere & vaſtare conſueverit. Aut iſtud animal deſignat dentem vomeris, cujus ope ſulcis ſemina condere ſolent agricolæ.* Et paulo poſt p. 211: Θύουσι δ᾽ ὗς ἐγκύμονας Δημήτερι, πάνυ οἰκείως, τὸ πολύγονον καὶ εὐσύλληπτον ϗ τελεσφόρον παριϛάντες. Ἀνατιθέασι δ᾽ αὐτῇ ϗ τὰς μήκωνας, κατὰ τὸν λόγον τό, τε γὰρ ϛρογγύλον ϗ περιφερὲς αὐτῶν παρίϛησι τὸ σχῆμα τȣ͂ς γῆς, σφαιροειδȣ͂ς οὔσης, ἥ τε ἀνωμαλία τὰς κοιλότητας ϗ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν. τὰ δ᾽ ἐντὸς, τοῖς δενδρώδεσι καὶ ὑπονόμοις ἔοικε. σπέρματά τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. i. e *immolant autem Cereri admodum convenienter ſues prægnantes, propter terræ fertilitatem & facilem conceptum, & abſolutam maturitatem. Offertur Cereri etiam papaver. Ratio autem oblationis eſt talis: Papaveris rotunditas & globus, terræ formam, quæ ſphærica eſt, repræſentat, Papaveris autem inæqualitas indicat terræ valles, & montium cacumina. Interiora autem papaveris, ſimilia ſunt arboribus & cavernis terræ. Per ſemina innumerabilia terræ fœcundam generationem intellige.* Sunt &

alia hac in gemma, quæ ad *papaver noſtrum* ſpectant, imprimis globuli in calatho cum mappa, quos *panes e papavere* factos credit eruditiſſimus Eggelingius.

Vidimus *ſpicis papavereque coronatam ac velatam Cererem*; nunc *calatho* ornatam producimus, & *papavere* inſuper ſuperbientem. In Mythologia Ægyptiaca hæc Ceres ſe conſpiciendam præbet, nec mirum, cum Iſis Ægyptia una eademque cum Athenienſi Cerere. Sic duos exhibet nummos, in quibus Ceres in capite calathum geſtat, Illuſtriſſ. Baro Spanheim. Obſerv. in Callimach. Hymn. in Cerer. p. 651. Primus Cererem ſiſtit, aut potius Saloninam, Galieni Imperatoris conjugem, ſub Cereris ſedentis, quam calathus in capite ornat, imagine; dextra autem duas ſpicas, forte & ſimul *papaver*, ſiniſtra haſtam tenet cum inſcriptione: CERERI AVG. In altero autem nummo eadem Dea ſtans viſitur, cum calatho itidem Cererisque ſolitis ſymbolis, ac cornucopiæ & temone, quæ mari haud minus ac terra potentem Deam arguunt, cum inſcriptione aliquot quidem literis exeſa, ſed quæ aliunde ſuppleri poteſt: ΡΟΥΦΟΥ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Rufo Sardianorum bis neocor.* Plane ſingulare capitis ornamentum eſt, calatho haud abſimile vel corbi, quod in ſtatua Cereris Eleuſiniæ inter templi olim ſplendidiſſimi rudera, ſuperbaque cadavera Eleuſis detexerunt Ill. Whelerus & Sponius, uterque

Tab VI. Fig. 1. & 2

Multum terris jactatus & undis,
Principibus gratus qui fuit usque viris;

Eo lubentius hanc Lectori exhibemus æri inciſam ſtatuam, cum ambo *papaveris* faſciculo exornatam ſcribant, qui tamen in ſchemate Sponiano exulat. Cum iisdem fere verbis ſtatuam deſcripſerint, nimisque longum foret, amborum inſerere, Wheleriana ſufficiat, quam mutuemur ex ejus itinere, Gallico ſermone impreſſo, Libr. III. p. 516: Nous y re-

Tab. VI. Fig. 3 & 4

Tab. VI. p. 42



y remarquâmes pluſieurs autres grands quarreaux, gravez d' epis de bled, & de gerbes de pavots liez enſemblez, qui etoient les caracteres de Ceres. Nous trouvames tout proche les reſtes d' une ſtatuë de la Deeſſe Ceres, depuis la teſte juſq' au deſſous de la ceinture, d'un tres beau marbre, blanc, parfaitement bien travaillé, n'eſtant pas d'un moindre Maitre que Praxitele, auſſi bien que celle qui eſtoit a Athenes dans le temple, qui luy eſtoit dedié. C'eſt un Coloſſe trois fois plus grand que nature: il porte deux baudriers qui ſe croiſent l'un l'autre depuis les epaules jusqu'a la ceinture. Sa poitrine paroit naturelle, mais ſon viſage eſt un peu defiguré, ſes cheveux tombent derriere ſes epaules, & ſont attachez avec un ruban, au droit du coû. Il porte ſur ſa tére un eſpece de panier, autour du quel ſont graves des epis de bled avec de fleurs de roſes & des vaſes &c. *Illic vidimus plures ſat magnos lateres quadratos, quibus frumenti ſpicæ & papaveris faſciculi invicem juncti inciſi, Cereris conſveta ſymbola. In vicinia triſtes reliquias Statuæ Deæ Cereris invenimus, a capite ad zonam uſque e marmore Pario elegantiſſime efficta, opus non inferioris certe artificis Praxitele, cujus in templo, Deæ huic dedicato, Athenis quoque ſtatua proſtat. Ad Coloſſorum molem efformata, naturalem magnitudinem triplum excedit; baltheis duobus decuſſatim ab humeris ad zonam deſcendentibus exornata. Pectus naturali haud abſimile, facies autem deturpata, capilli in humeros diſperſi fluctuanteſque, lemniſco ad colli dextram nectuntur. Fert in capite corbis vel calathi ſpeciem, ad cujus ambitum frumenti ſpicæ, cum roſarum floribus & vaſculis inſculptæ.* Cl. Sponius expreſſis verbis addit, des javeiles des pavots, qui luy eſtoient dediez. *Papaverum faſciculos ipſi* (Deæ Cereri nempe) *dicatos & ſacratos.*

Stylobatam quoque, ſeu baſin, cui ſtatua hæc Cereris impoſita, ab ambobus exhibitam, in quibus & Δᾴδια & daduchi in ſacris Cereris adumbrantur, a Numilio Nigrino ſacerdote Cereris erectam, adjunximus.

Ex hactenus allatis patet, *Cereri* haud inviſum fuiſſe *papaver*; ſed probabimus ulterius *amiciſſimum* fuiſſe, ut de *nomine* quoque *nomen* traxerit. Hinc Virgilio

Cereale papaver,

& Columellæ libr. X.

Cereale papaver anetho jungite.

Cereale autem illud dicitur, quod ad Cererem pertinet. Gloſſa Iſidori: *Cerealis*, qui ad ſacra ſtat, nempe Cereris. Turnebus libr. 9. c. 26. Adverſ. inde dictum putat, quod non ſolum, uti jam diximus, *Cereris* ſimulacra *manu papaver geſtare* ſolebant, ſed & ejus antiſtitæ, cum Cereri ſacra fierent. Sic *Eleuſis* quoque, Cereri ſacrata, a Virgilio vocatur *Cerealis*. Sic feſta Δημήτρεια ſive *Cerealia*, cumque in feriis iſtis omnis abeſſet luctus, omniſque moeror; hinc *Cereales cœnæ* de lautis & compluribus ferculis appellantur a Plauto Mœnæchm. A. 1. Sc. 1.

Ita eſt, adoleſcens, ipſius eſcæ maximæ
Cereales coenas dat, ita menſas exſtruit,
Tantas ſtruices concinnat patinarias.

in quem ſenſum *Cerealis pompa*, de coena, in quam longo ordine inferrentur fercula, a Varrone de R. R. libr. 1. cap. 11. dicitur.

Servius explicat *Cereale papaver*, quod ſit eſui, ſicut frumentum: hinc *Veſcum* quoque cognominatur, quod cibus veſcus eduliſque ſit: nam *veſcum*, *quo veſcimur*, ita *veſcæ* ſalicum *frondes*, quod eſcis jumentorum ſint accommodatæ, & Feſtus apud Lucretium *ſalem veſcum* interpretatur edacem, qui ſaxa peredat. Dantur tamen nonnulli,

quibus

quibus veſcum idem ac aridum, tenue, exſuccum, macilentum, & ad alendum minime idoneum. Feſtus quoque: *veſculi, male curati & graciles* homines, ausgehungerte. Hinc in Vet. Gloſſario veſcus ὀλιγόσιτος, ὀλιγοσθενής exponitur. Vid. Excell. Gronov. Not. in Agell. p. 7. Prævalet tamen Servii autoritas, cui *veſcum, illud quod eſui eſt.* Sed ad Cererem redeo, quæ longam famem, Ovidio teſte Faſtor. libr. 4. hoc cibo ſolverit:

Illa ſoporiferum parvos initura penates
Colligit agreſti lene papaver humo.
Dum legit oblito fertur guſtaſſe palato,
Longamque imprudens exſolviſſe famem.

Sic alius Poëta papaver quaſi loquens introduxit, his verbis:

Carpe mortalis mea dona lætus,
Carpe, nec plantas alias require;
Sed ſatur panis, ſatur & ſoporis,
Cætera ſperne:
Spiceis ornata Ceres corollis
Me manu geſtat, tetigitque primum
Ore materni diuturna poſt je-
junia luctus.
Prætulit cunctis mea jure grana,
Grana, quæ certe potuere ſola
Et famem longam ſimul & dolores
Solvere longos.

Non enim cuipiam mirum videbitur, e *papavere* confici poſſe *panes*, ſi locum Dioſcoridis quis inſpexerit libr. 4. c. 65. p. 266. edit. Sarac. ubi *papaver* θυλακῖτις producitur: μήκων ἡ μέν τις ἐστὶν ἥμερος κηπευτὴ, ἧς τὸ σπέρμα ἀρτοποιεῖται εἰς τὴν ἐν ὑγείᾳ χρῆσιν καὶ σὺν μέλιτι δὲ ἀντὶ σησάμης αὐτῇ χρῶνται, καλεῖται δὲ θυλακῖτις. *E ſativi papaveris genere, quod hortenſe ſemen in*

panem

panem denſatur, qui ſanis in uſu ſit, eo etiam ex melle pro ſeſamo utuntur, thylacitim, quaſi folliculoſum vocant. Hosque *panes papaveraceos* interpretatur, in Myſteriis Cereris & Bacchi jam citatus Eggelingius, occaſione onychini. vaſ. Sereniſſ. Brunſvic. Ducis, in caniſtris globulorum inſtar. *Panes equidem Cereri* exhibitos fuiſſe, nemo erit, qui neget; ſic panis Ἀχαίνης, a Dea Cerere Ariſtophani Acharn. Ἀχαιὰ dicta, denominationem trahens, offerebatur, tantæ magnitudinis, ut feriæ Cereris inde Μεγαλάρτια appellatæ fuerint, ut e Semo Delio notat Athenæus Libr. 3. Non abſimili modo ac in feſto Pentecoſtes, ſeu θερισμοῦ πυρῶ, meſſis triticeæ, oblati panes, de quibus Levit. 33. v. 17. Vægrandes & quidem longi VII. palmos, lati autem IV, ut ex Pandectis Judæorum vir ſtupendæ eruditionis Eduard. Bernard. ad Joſeph. monuit, ac inde feſtum illud μεγαλάρτια vocavit. Quibus Illuſtris Spanheimius Not. in Callimach. Hymn Cereris addit, Panes propoſitionis ſecundum Talmudicorum ſenſa, majores adhuc fuiſſe.

Cæterum ſi hæc de *eſu papaveris* nondum convincant quendam, adeat inſuper Galen. libr. 7. de Facult. Simpl. Medic. qui plurima de *papavere veſco* congeſſit. Hinc *papaver* a verbo *papare*, quod edere ſignificat, vel cibum poſcere, dictum putant Etymologi: Et Varro apud Nonium *papas* dicit a pueris appellari *cibos*. Sic *pulmentum* infantibus porrectum lingua quoque noſtra vernacula *Papp* vocamus; cumque pulmentum illud e farina conſtet, eoque potiſſimum nutriantur, non mirum, cur in elegantiſſima gemma apud eruditiſſ. Begerum in Theſ. Brandenb. T. I. p. 6. (quam Cererem κουροτρόφον καὶ παιδοφίλην, ex infantibus in pectore Deæ, cum cornucopiis hærentibus judicat Vir πολυμαθέστατος,) appareant, hæ quippe puſiones in memoriam revocant *Cererem Farinaceam*, cujus ſignum

Athen.

Athen. Deipn. ſub nomine *Cereris* ἱμαλίδος apud Siculos cultum meminit. Cl. tamen Taubmannus Comment. in Plautum credit *papaver inde dici*, quod *papæ* ſive pulticulæ infantum inderetur adverſus inſomnia. Doctiſſimus Martinius in Lexico putat, cum *papa* eadem ſit ac *mamma*, *papaver* vero *mammoſo capite*; inde denominationis fluxiſſe ortum, κεβληγόνος μήκων. Sic apud Gothos quoque *pappa lactare*, *lac ſugere*, & *pappar mammas* denotat, teſte acerrimo Gothicarum originum & antiquitatum vindice, maximi viro ingenii, Cl. Rudbekio in Atlant. ſive Manheim. Part. II. qui Suecicam Deam Diſam, (hæc cum Cerere terraque una eademque) *Papa* exinde dictam credit, & Herodotum citat, qui terram *Apiam* (corrupte nempe ex Papa) appellatam annotavit; additque vir ſtupendæ eruditionis, Lappones Moſcoviticos, quibus cum Lapponibus Suecicis lingua moresque communes, Diſam ſive Cererem vel terram *Slata Baba*, *auream nutricem*, nominare & colere. Si Papaveris a Papa origo, fortaſſe inde detortum Anglorum *Poppy* & Gallorum *pavot*, quaſi *papot*; ſed diverſam hac de re hypotheſin aluit Gallicorum Etymologorum phœnix, Menagius, dans les Origines de la Langv. Franc. qui *Pavot* deducit de *pappus*, hinc *paputtus*, *qui ſignifie ces petites papillotes*, *qui tombent des fleurs*. An Hiſpanicum *papoula* & *hamapoula*, quo papaver denotare ſcribit Toxit. in Onomaſtic. Philoſop. Medic. inde quoque fluat, illis dijudicandum relinquo, quibus linguam hanc intimius noſſe datum. *Amapoula* autem anemonem proprie denotare, teſtis eſt Balthaſ. de Victoria Theatr. de los Dioſes de la Gentilidad. P. II. lib. 6. p. 415. Vocatur quoque *Panis Maconides*, cujus Athenæus meminit: Μακωνίδων δ' ἄρτων μνημονεύει Ἀλκμὰν ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ οὕτως. κλίναι μὲν ἑπτὰ καὶ τόσαι τράπεσθαι μακωνίδων ἄρτων ἐπιςεφεῖς σελίνῳ τε σησάμῳ τε κὴν πελίχναις πέδαισε:

i. e.

i. e. *Maconidis panis Alcman libro decimo quinto ſic meminit: Lecti quidem ſeptem, menſæ totidem, onuſtæ pane Maconide, lino, ſeſamo, lividis compedibus.* Ad hæc verba ὁ πάνυ Caſaubonus, Animadverſ. in Athen. *Cum aliquid ſtudioſe politum ſignificare vellent,* σησαμόειδες *& papavere ac ſeſamo ſparſum dicebant.* Petronius: *Audiunt mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa.* Huc quoque collineant illa ex Plauti Pœnulo Act. I. Sc. 1. ubi puella amaſio videtur nil niſi *laterculos, ſeſamum papaveremque & triticum & frictas nuces loqui.*

Maconidibus Alcmani *panibus* non erant diſſimiles, qui aliis Græcis ἐνθαλάμια vocabantur, ſeſamo quoque papavereque condita. Heſychius ἐνθαλάμια πλάσματα ἐκ μήκωνος καὶ σησάμης. *Enthalamia placentæ e papavere & ſeſamo.* Spectat etiam huc *panis boletinus* apud Athen. Deipn. libr. III. p. 113. ὁ δὲ βωλητῖνος καλέμενος ἄρτος πλάττετε μὲν ὡς βωλίτης, καὶ ἀλείφεται ἡ μάκτρα ὑποπασσομένης μήκωνος ἐφ᾽ ἧς ἐπιτίθεται ἡ ματερία. i. e. *quem Boletinum panem appellant, forma boleti fingitur. Panem hunc antequam pinſant, oleo mactra inungitur, deinceps ſubtus aſpergitur papaveris ſemen, poſt ſuperinjicitur materia &c.* Quæ omnia hactenus allata demonſtrant ad oculum, *veſcum fuiſſe papaver*, & pinſendis panibus ac inſpergendis aptiſſimum. Firmat præterea Philoſtrati locus Imag. Libr. 2. p. m. 851. Edit. noviſſ. ubi pictura agri domino xenia ſua offerens, inter *obſonia papaver* recenſet: καὶ εἰ μὲν ὄψȣ τὶ χρήζεις, αὐτοὺς ἔχεις, τȣ̃ τε γὰρ μαράθρου μετέχουσι, καὶ τȣ̃ σελίνου, καὶ ἔτι τῆς μήκωνος, ἥπερ ἐστιν ἥδυσμα τȣ̃ ὕπνου. *Et ſi quid obſonio indiges, eosdem habes, nam & marathri & apii, papaverisque illis copia eſt, quod ſomni eſt condimentum.* Vt ſilentio involvam, *papaver*

ver toſtum cum melle in ſecundis menſis olim poſitum eſſe, teſte Plinio & Poëta Anglo:

Ipſe ſe noſtro exhilarat ſapore,
Meque commiſtus liquidoque melle
ſe vel ad menſæ relevat ſecundæ
panis honorem.

Sed quid opus eſt, ut canam hac in re conſulamus antiquitatem, cum exempla apud nos hodie affatim proſtent. Sic Tabernæmontanus Rei Herbar. Libr. VII. Sect. 6. cap. 1. annotat, multis in locis ſemine papaveris veſci plurimos, ad ſaturitatem usque immixto pani, illudque jucundum ac ſuavem ſaporem afferre, & minus ſtupefacere. Sic Matthiol. in Epiſt. & Bauhin. Hiſt. Plant. T. III. p. 393. teſtibus, omni exceptione majoribus, *placentas e papavere comedunt Tridentini, Auſtriaci*, aliique innoxie. Tilingius de Laud. Opiat. memorat: *Neapoli fieri pulmenta e papavere;* quibus plures ad ſatietatem veſcuntur. In Sileſia vulgus placentas & panes papaveraceos dictos conficere, Cl. Schwenckfeldius in Catal. Stirp. Sileſ. teſtatur. Sic Judæi in hunc usque diem papaveris ſemen panibus uberrime inſpergunt. Accidit nuper, cum in horto noſtro Furthenſi obambulans, maximamque papaveris hortenſis copiam oculis luſtrans, ex hortulano cauſam expiſcarer, cur tot in cultum plantæ hujus ſumptus, agellique partem collocaret, unde illi vel parum vel nihil lucri & ſolatii ſuppeteret? Vtique ex hac planta luculentum redundare quæſtum regeſſit, cum ſemen papaveris hortenſis avidiſſime expetant ad panes inſpergendos incruſtandosque Judæi, qui in cultiſſimo hoc vico, ſi Pragam, Hamburgum & Francofurtum excipias, in Germania alibi vix frequentiores degunt. Anſam hoc dedit, ut ex Affine dilectiſſimo, Dn. A. A. Knollæo, (qui

propinat ſeculo,
Quod impeditum Talmud arcanum tegit:
. . . . . . non unquam tulit
Documenta quis majora, quam fragili loco
Gens cæca ſtaret,)

ulterius quærerem, quid ex Hebræorum ſcriptis de papaveris uſu ipſi innotuerit. Reſpondit ad hæc Vir Ἑβραϊκώτατος, a nemine Judæorum Furthi agentium reſciſcere potuiſſe verum papaveris nomen, illudque ſub nomine שומשמא exprimi, ad unum omnes adſeveraſſe, idque acerrime medicum, gentis hujus Sabbaticæ ſalario conductum, praxique vacantem defendiſſe; nec fidem profecto his verpis recutitis habuiſſet, niſi apud eruditiſſ. Buxtorf. Lexic. Talmud. p. 2462. quoque exſtaret שומשמן ſeſaminum oleum quosdam pro papaveraceo habere.

Hoc tamen non obſtante, aliam alit vir mihi amiciſſimus ſententiam, פרגין potius quam שומשמן papaver noſtrum eſſe. Rationes, quibus innititur, hæ ſunt: (1) quod שומשמן vel ipſis literis cum *Seſamo* conveniat, a papavere plane diſtincta planta. (2) Arabice idem fere habeat nomen; ſi enim Verſionem Plempianam Canonis Avicennæ (optimam certe, & de qua vere cecinit Heymbachius:

Alter Arabs orbi velut eſt Avicenna vetuſtus,
Alter ſit Latius, ſic Avicenna novus,)

conſulamus, Seſamum Tſimſim dicitur. (3) Bartenorius פרגין expreſſe papaveris nomine exprimat. In Tractatu enim Talmudico שביעית Cap. II. § 7. legitur: Si oryza, milium, פרגין (papaver) & שומשמן (ſeſamum) ante primordium anni ſeptimi radices egerint, decimæ inde exſolvantur, prout præcedaneo anno ea decimandi ratio exigit, & dum licite iſta percipientur ipſo intermiſſionis ſeu ſeptimo anno; ſin ſecus, in Heptaëteridis feria uſu interdicuntur, & pro ratione anni inſequentis decimantur.

mantur. Ad hæc verba Obadias Bartenorius commentatur (α) פרגין Malogranati inſtar oppletur ſemine, quod intra caput ſuum agitatum, tinnitum ſive ſtrepitum aliquem edit, Arabice כשכש mea vero vernacula פפאוורה papavero appellatur. שומשמין vero oblongum eſt ſemen, in terra Iſraëlitica uberrime creſcens, Arabice dictum סמסם, cui ſententiæ (β) Rambam quoque adſtipulatur, (γ) ר"ש vero in hæc ſcribit verba: פרגין in Aruch exponitur lingua Cananæa מקו inſtar malogranati refertum eſt ſemine, quod in capite ſuo concuſſum, tinnit quemadmodum Seſama.

In Gemara Roſch Haſchona p. 13. b. allegatur eadem theſis, & quæritur? Cum cæteroquin de anni ſeptimi obſervatione regula prudentum habeatur: Arbores ſecundum protruſionem fructuum, olivæ ſecundum tertiam maturitatis partem, olera ſecundum collectionis tempus æſtimantur: hiſce enim momentis in ſeptimum annum incidentibus, fructus reputantur ſeptimi anni: Quæritur, inquam, ad quam ſpeciem iſta leguminа referantur? Rabban vero reſpondit, jure meritoque inde excipiuntur, cum non una vice, ſed hodie paucula grana, cras iterum aliquot colligantur, quo pacto in proclivi foret, nova cum antiquis i. e. granula novo anno collecta, cum granis præterito anno deſumtis commiſceri, quod autem nefas ducitur. Hinc rectius ſecundum tempus, quo radices egerunt, quod fere unum eſt, æſtimantur. Vid. etiam Toſephos. Ad vocem פרגין hoc loco expreſſam, Raſchi commentatur: Barbare dicitur מ׳קו quis hoc a Græco Μήκων detortum eſſe neget, aut amplius dubitet, cum itidem quoad crepitacula exprimatur. Hæc nobis hactenus de papaveris & ſeſami diſtinctione ſuggerit opus Talmudicum,

inconſtans breviarium relictum,
diſtortum ambiguumque deviumque
meræ Juppiter oſcitationes!

 Sed

Sed depromſit vir amicitia mihi conjunctiſſimus ex vetuſtioribus adhuc Judæorum monumentis, ſeſama & papavera diſtincta fuiſſe. Sic liber Siphro Talmude antiquior: p. 53. col. 4. c. 7. hæc habet: Vnde conſtat de oryza, milio פרגין (papavere) & שומשמין (ſeſamo) quæ ante primordium anni ſeptimi radices egerunt ſuas, quod anno ſabbatico ſeu ſeptimo licite poſſint colligi? e verbis liquet Lev. 25. 3. & proventum ejus colligito anno puta ſeptimo. Et Rabbos, ſcriptum Talmude pariter antiquius: p. 124. col. 4. R. Bajo de oleo ad ſacras lucernas juxta Levit. 24. v. 2. comparando tradidit: oleum requiri olivarum, non ſeſamorum (de pargin idem plane judicatur) non nucum, non raphanorum, non amygdalarum. Præmiſſis his, revertimur ad panes Judæorum, papavere conſperſos, illosque non quidem mazas Paſchatos feſto confectas non fermentatas eſſe, quod hortulanus rei hujus ignarus retulit, ſed alia panis genera. Quanquam ex commentatione R. Maimon. in Tract. Talmud. Challa cap. 1. §. 2. p. 72. b. licitum fuerit mazas inſpergere papavere, cum oryza, milium, פרגין & ſeſamum inter illa recenſeantur, quæ non ad fermentationem, ſed putrefactionem tendunt. Papaveris ſemine apprime panes ſabbaticos, *Berches* dictos, Die Sabbath-Wecke/ inſpergunt: cujus rationem reddidit Judæus, ſi ullus eorum re & nomine bonus: quod nempe ſemen papaveris ad maritalem multum tribueret conſvetudinem; piorum vero Iſraëlitarum mos ſit, ſabbathicis tantum noctibus uxoribus ſuis conſveſcere, ſanctiſſimique hujus officii partes explere. Teſtimonium vero typis excuſum, qualia exſtare non dubitat, ullum ſuppeditare vel non potuit, vel noluit.

In Thuringia & Saxonia inferiori quoque placentulas papavere inſperſas, quoties libitum eſt, ſine ullo detrimento comedunt, imo in acetariis quoque *papaverinum oleum*, vices olei olivarum ſupplet. Quod de incolis *Argoviæ* pariter confirmat Cl.

Wagnerus

Wagnerus Hiſtor. Natur. Helv. p. 262. ulteriusque annotat, nonnullos etiam *butyri* loco in cibis *oleum papaveris* adhibere, cum farina etiam ſubigere, & ſine noxa comedere. Confer. Excell. Sim. Pauli Quadrip. Botan. Cl. III. p. 424.

Dictum quoque *Cereale papaver* autumant, quod *Ceres* poſt amiſſam filiam, e Plutonis regia non amplius reducendam, conſilio Jovis, eo primum cibo ad doloris oblivionem uſa ſit, ut revera *papaver* Cereri extiterit, quod de *Nepenthe* Homerus θειότατος τῶν ποιητῶν ſcribens,

Νηπενθής τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,
Luctus atque iræ expers malorum omnium
inducens oblivionem.

Hinc Marius Shipanus, vir non tantum Medicorum, ſed omnium conſenſu doctrina & eruditione præcellens, e Petri de la Seina judicio, affirmare & facile aſſentiri conatur, *herbam Polydamnæ & Thebarum papaver*, idem fuiſſe. Sed nolo huic diffuſæ immorari materiæ, cum illam ſumma cum laude exhauſerint Petrus de la Seina in Homeri Nepenthe, ſive de abolendo luctu libro, & Petrus Petitus in Homeri Nepenthe, ſive Helenæ Medicamento. Sed plurimi dubitant, an Nepenthes, ſit ſimplicibus medicamentis accenſendum, & annon forte e Chemicorum prodierit ſchola, quæ nimium quantum in Ægypto floruit. Hinc aureum vellus liber fuiſſe dicitur e membranis ſive arietis pelle, in quo contineretur, ut ſcribit Suidas, auri conficiendi ratio, & apud Apollonii Rhodii Scholiaſtem μέθοδος χρυσοπράξιος καὶ χρυσογράφης, aureum vellus exponitur. Anonymus de Incredibilibus, Heraclito longe recentior, a Leon. Allatio edit. & cum opuſculis Mytholog. a Thom. Gale recuſis p. 86. de vellere aureo n. 3. ſtatuit, vellus aureum librum in pellibus ſcriptum eſſe, continentem, quanam ratione per Chemiæ artem aurum conficiendum eſſet. Imo Orpheus videtur id apertiſſime

demonſtraſſe, auream Ovis pellem, pendentem inter varia plantarum genera, deſcribens; qua in deſcriptione cum *papaver* quoque locum inveniat, ea hic ut inſeratur, neceſſe judicavi.

Ἀσφόδελος, κλύμενός τε καὶ εὐειδὴς ἀδίαντος,
Καὶ θρύον ἠδὲ κύπειρον, ἀριστερέων τ᾽ ἀμενηνά,
Ὅρμιόν τε καὶ εἰρύσιμον, κυκλαμίς τε θεουδής,
Στοιχὰς, παιονίη τε, κατερνές τε πολύκνημον.
Μανδραγόρης, πολιόν τ᾽, ἐπὶ δὲ ψαφαρὸν δίκταμον,
Εὔοδμός τε κρόκος, ἰδὲ κάρδαμον ἐν δ᾽ ἄρα κῆμος.
Σμίλαξ, ἠδὲ χαμαίμηλον, μήκων τε μέλαινα
Ἄλκυα, καὶ πάνακες, καὶ κάπασον, ἠδὲ ἀκόνιτον,
Ἀλλά τε πολλὰ - - - - - - - - -
Ἐν δ᾽ ἄρα οἱ χρύσειον ἐπεκρέματ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα
Ὄρπηκος ταναοῖο δέρας, τό κεν αἶψα δοκεύει
Δεινὸς ὄφις, θνητοῖς ὀλοὸν τέρας, ὃ φατὸν εἰπεῖν.

Aſphodelus, clymenusque & pulchra adiantus
Et thryon & cyperus, & ariſtereon evanida,
Horminumque & eryſimum, cyclaminusque divina,
Stoechas pœoniaque, depreſſoſque ramos habens polycnemon,
Mandragora, polionque, prætereaque ſubtilis dictamnus,
Odoraque crocus, & cardamon: præterea cemus,
Smilax & chamæmelon, *Meconque nigra*:
Alcea & panaces, & capaſum & aconitum
Aliaque multa. - - - - - - - - - - - -
Inde aurea dependet ab utraque parte
e longo quodam ramo pellis, quam prope obſervat,
Horrendus ſerpens, mortalibus perinitioſum portentum inenarrabile.

Extra omnem dubitationis aleam poſuiſſet, quid revera Nepenthes fuiſſet, & an in ejus confectione *papaver* locum invenerit, ſi Tract.

ſi Tract. de Nepenthe Turcarum, quem Cl. Vogelius, Hamburgenſium quondam Archiater, ſub manibus habuit, invida fata præli carceribus, quibus jam paratus erat, non eripuiſſent. In Pharmacopœa Perſica Fr. Angeli a St. Joſepho occurrit Magloun bah Moufarrah, *Electuarium exhilarans*, eandem cum Nepenthe vim poſſidens: atque hoc *papaver* ingreditur. Meminit quoque Electuarii Hoſchen beghi, ab ejus inventore nominati, quod ob ſtupendas, quas exhibet animo relaxando vires, Theombrotion Plinii libr. 24. c. 17. eſſe credit. Conferantur & ea, quæ de *radice Biſch* refert: hæc enim, dum miram lætitiam & ſenſuum quietem per totum quaſi corpus diffundere videtur, Nepenthis ſupplere vices, & *papaveri* comparari poterit.

Cerealis cognomen papaveri quoque tributum videtur Servio, quod Ceres *Meconem* Athenienſem juvenem dilexerit, & in *papaverem transfiguratum*, tutelæ ſuæ juſſerit reſervari. Fuiſſe autem formoſiſſimum juvenem, idem Servius ad Eclog. II. Virg. & quidem v. 47.

Summa papavera carpens
Narciſſum & florem jungens bene olentis anethi,

annotat, *Papaverem*, *Narciſſum & Anethum*, qui in flores ſuorum nominum verſi ſunt, pulcherrimos fuiſſe pueros. Certe quis noſtrum, quiſquilias has inanium & male cohærentium fabularum de Diis Deabuſque gentilibus recenſens, temperet a riſu? Hoc cum cerneret Imperator religionis noſtræ, cui ſemel ſe addixerat, deſertor, & Paganiſmi acerrimus promachus, tandem fateri coactus fuit: οὐκοῦν Ἕλληνες μὲν τοὺς μύθους ἔπλασαν ὑπὲρ τῶν Θεῶν ἀπίστους καὶ τερατώδεις. *Atqui Græci fabulas de Diis confinxerunt incredibiles & portentoſas.* Vid. Cyrill. libr. II. adverſ. Julian. p. 44. Edit ult. Oper. Julian. ab illuſtriſſ. Spanheim. procuratæ. Denique *Mecon*, quod hic obiter noto, Philoſophus

loſophus exſtitit, ad quem epiſtolæ exſtant a Theophylacto Simocatta ſcriptæ.

Amplius *Ceres locum*, in quo *fructum papaveris* primo invenit, *Mecon vel Meconem* ſive *Cerealem* nominavit, quæ poſtea Sicyonis nomen obtinuit, teſte Stephano Byzantino, qui eam in Peloponneſum, non procul a Corintho, collocat, qua in urbe templum Cereris Plemnæus, gratiam Deæ pro filii nutricatione referens, erexit, teſte Pauſania in Corinthiacis c. XI. p. 135. Porro eodem dicente, a *Sicyone recta Phliuntem contendentibus occurrit lucus Præſtiti Cereri & Proſerpinæ ſacer cum templo.* Heſiodus *urbis Mecones* meminit, Θεογον. 535.

> καὶ γὰρ ὅτ᾽, ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι
> Μηκώνῃ.
>
> *Etenim quando diſceptabant inter ſe Dii mortalesque*
> *Meconæ.*

Ad quem locum Scholiaſtes Tzezes: ἐν τῇ μηκύνῃ (forte Μηκώνῃ) ἐκρίνοντο τίνες Θεοὶ, τοὺς ἀνθρώπους λάχοιεν μετὰ τὸν πόλεμον . . Μηκύνη δὲ ; ἡ ποτὲ συκιὼν (leg. σικυὼν) λεγομένη, ἐςὶ δὲ πόλις Ἄργους, λέγει δὲ περὶ μήκους, ζωῆς τε Θεῶν καὶ ἀνδρώπων. *Mecynæ (Meconæ) diſceptarunt quidam Dii, quos homines ſortirentur poſt bellum. - - Mecyne (Mecone) quondam Sicyon dicta eſt, civitas Argus; & dicitur a longitudine vitæ Deorum hominumque.* Callimachus vocat *Meconen* Deorum ſedem in Fragmentis, & quidem e Collect. eruditiſſ. Rich. Bentley. n. CXCV.

> Μηκώνην μακάρων ἕδρανον αὖτις ἰδεῖν.
>
> *Meconam Deorum ſedem rurſum videre.*

Ad quem locum illuſtrandum Pindari Scholiaſtem VII. Nem. adducit, e quo palam fit, *Meconem in Sicyone fuiſſe.* Sic enim ille: Οἰκείως δὲ ἱερὰν τὴν σικυῶνα προσηγόρευσεν. ἡ γὰρ μηκώνη ἐπ᾽αὐτῆς ἐςιν, ἐφ᾽ ἧς οἱ Θεοὶ διεδάσαντο τὰς τιμάς h. e. *proprie autem ſacram Sicyonem cognominavit. In ea autem Mecone eſt, in qua Dii decreverunt de hominibus.*

Denique

Denique cum apud antiquiſſimos ſcriptores *trium præcipue papaverum* mentio fiat, *albi*, *nigri & lutei*, ſive *corniculati*; ſic & Ceres triplex memoratur, *alba*, *nigra ſive* μελαίνη, ac κερατῖτις. Ad *Albam* quod attinet, de illa locus Poëtæ:

Alba decent Cererem, veſtem Cerealibus albam
Sumite.

Quippe ſicut in omnibus fere ſacris albus uſurpabatur color, (unde alba & candida turba, linigeri, &c. pro ſacerdotibus;) ita quoque in ſacris Cereris. *Albus enim Color*, Cicerone ſic ſentiente, *Diis decorus eſt.* Aliquando tamen nigris uti ſolebant, cum & *Ceres nigra* ſive μελαίνη culta fuerit. Hujus meminit Pauſanias in Arcad. p. 608. Edit. Kühn. ἐπὶ Σίμου τῦ Φιγάλυ βασιλεύοντος ἠφανίσθη Φιγαλεῦσιν ὑπὸ πυρὸς τῆς μελαίνης Δήμητρος τὸ ἀρχαῖον ξόανον. *Regnante Simo Phigali filio conſumptum eſt igne apud Phigalenos vetuſtiſſimum nigræ Cereris ſimulacrum.* Simulacrum autem ipſum ſequenti delineat modo libr. 8. p. 686. καθέζεσθαι ἐπὶ πέτρᾳ, γυναικὶ δὲ ἐοικέναι τὰ ἄλλα πλὴν κεφαλὴν, κεφαλὴν δὲ καὶ κόμην εἶχεν ἵππου, καὶ δρακόντων τε καὶ ἄλλων θηρίων εἰκόνες προσεπεφύκεσαν τῇ κεφαλῇ, χιτῶν δὲ ἐνεδέδυτο καὶ ἄκρους τοὺς πόδας. δελφὶς δὲ ἐπὶ τῆς χειρὸς ἦν αὐτῇ, περιστερὰ δὲ ἡ ὄρνις ἐπὶ τῇ ἑτέρᾳ. i. e. *Saxa inſideret muliebri figura, præter caput, quod equinum, atque adeo cum juba eſſet, draconibus & aliis feris ad caput alludentibus, reliquo corpore ad imos pedes tunica velato, altera manu delphinem, columbam altera præferente.* Cauſam quoque ſubnectit, cur nigra dicta fuerit, nempe quod *Ceres nigram veſtem*, tum ira in Neptunum ob commiſſum concubitum, tum luctu de Proſerpinæ raptu commota, ſumſerit. Hæc origo nominis, quæ cum nigra diceretur, illi qui ejus ξόανον bajulabant, vel veſtem, aut peplum, aut velum portabant, jure dicebantur μελαινοφόροι, & a Deæ, quam colebant, nomine denominationem accerſebant, ceu erudítiſſimam his de Melanophoris epiſtolam ſcripſit ad Generoſ. Dn. Cuperum, coetus Gallo-Belgici quondam Antiſtes doctiſſimus, Stephanus le Moine, vir

H multi-

multijugæ certe lectionis. De *Flava Cerere* non eſt, quod dicam, cum paſſim apud Poëtas a meſſis *flavedine* hoc epitheton habeat, & jam apud Homerum Iliad. E. ξανθὴ Δημήτηρ. *Cornutam* vero Siculorum varii nummi exhibent, in quibus caput muliebre occurrit *cum ſpicis*, & *cornu* taurino e temporibus erumpente, quandoque etiam ſine ſpicis; cujus rei indicia ſuppeditabunt imprimis aliquot Panormitanorum numiſmata apud Parutam N. 130. & 149. Binos differt. VII. de Præſt. & Vſu Numiſm. p. 394. Edit. Londin. in fol. inſeruit Illuſtriſſ. Spanheim. ex quo mutuo ſumſimus B. L. oculis exhibendos.




Cur *Sicilia* quoque *Meconia* dicta fuerit, fuſius dicam, ubi de Sicilia, tota pæne Cereri conſecrata, ſcribendi materiam nactus fuero.

Sed hæc de *veteri Cerere* dicta ſufficiant; nunc juniores & novas Cereres papaveris ſpicarumque largitrices producam. Vocatur proprie Proſerpina Cereris filia, ſive Libera, νεωτέρα Δημήτηρ. Diſcimus hoc ex Euripidis Scholiaſte ad Phoe-

niſſ.



ACHATIS TIBERIANVS.



niſſ v. 689. p. 326. ſeq. Edit. Henr. Steph. in quarto: Διώνυμοι δὲ παρόσον ἡ μὲν κόρη καὶ περσεφόνη, ἡ δὲ Δημήτηρ καὶ γῆ καλεῖται, ἡ μὲν πρεσβυτέρα, ἡ δὲ νεωτέρα. *Binomines ſunt, altera Core & Proſerpina, altera Ceres & Terra vocatur, hæc quidem ſenior, illa autem junior.* Haud aliter nempe ac ab Aeſchylo diſtinctum legas Eum. v. 724. ἐν νέοισί τε καὶ παλαιωτέροις θεοῖς, inter novas ſeu juniores Deas & antiquas. Succeſſu temporis gliſcente & latius ſerpente adulationis crimine, novæ Deæ Cereris nomen & effigiem, tam nummis quam gemmis ac marmoribus, in Auguſtarum & Reginarum honorem cuſis & ſculptis, impreſſit maleſvada aſſentatio ſubditorum. Innumerum horum recenſere numerum, qui Cererem novam ſub Auguſtarum ſchemate exhibent, nimis longum foret; ſufficiat illorum nonnullos tantum oculis examinique ſubjicere, ſpicis papavereque ſimul inſignitos.

Agmen ducat *Livia Druſilla*, foemina omnium illius tempeſtatis præſtantiſſima nobiliſſimaque, Auguſti ultima conjux. Hujus ſtatua tanquam renaſcentis novæ Cereris, ſpicas & papavera manu dextra tenentis, a Claudio Imperatore templo divi Auguſti illata, atque in ſemiunciali numiſmate æris Corinthiaci mixti ſculpta eſt, cum ipſius Auguſti ex una parte effigie & inſcriptione: DIVVS AVGVSTVS, ex altera Liviæ, ſub Cereris ſedentis ex adjunctis ſymbolis cognoſcendæ, effigie, addita epigraphe: DIVA AVGVSTA. Jungimus huic ſtatuæ & nummo ab Æn. Vico in Auguſtar. Imag. p. 46. obviis, elegantiſſimam gemmam vereque Auguſtam Tiberii Cæſaris, quam illuſtratam Nobiliſſ. Rubenius edidit, eandemque, aliis inſuper additis, recudi curavit gente non minus quam eruditione illuſtris Baro le Roy in Achate Tiberiano. Apparet illic Julia Auguſta in eodem, quo Tiberius, ſolio ſedens, manu ſiniſtra ſpicas & papavera exhibens, Cereremque repræſentans. Vel ad hanc Juliam, vel illam Titi filiam, de qua mox, ſpectare videtur Inſcriptio Sponiana: *Tab. VIII. Fig. 1.* *Tab. VII.*

 ΙΟΥΛΙΑΝ

ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ
ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ.

Juliam Auguſtam Veſtam, novam Cererem conſecrat, ex Illuſtr. Cuperi verſione. Cl. Sponius quippe verterat: *Juliam Auguſtam Veſtam novam Cereri conſecrat Senatus*: hancque inſcriptionem non Juliæ Tiberii, ſed Juliæ Domnæ attribuerat. Hæc eadem Auguſta Julia, divi Auguſti filia, eſt in nummo eruditiſſ. Falconerii, & ex una nummi parte Junonem, ex altera Venerem exhibet, cum inſcriptione: ΙΟΥΛΙΑ ΗΡΑ & ΙΟΥΛΙΑ ΑΦΡΟΔΙΤΗ Vid. Cl. Harduinus, Societatis a Jeſu dictæ Presbyter doctiſſimus, in Numm. antiq. Popul. & Urb. p. 337. Nectimus Juliæ Auguſtæ *Livillam*, Germanici ſororem, Druſo Tiberii filio nuptam, in gemma Bukingamii, ſerto e ſpicis & papavere contexto coronatam, ceu Cererem novam, apud Rubenium in Gemma Tiberii.

Succedat *Druſilla*, Caji Caligulæ optimorum parentum, Germanici & Agrippinæ, peſſimi filii Soror, quam ſtupro maculatam pro Auguſta non tantum haberi, ſed cognomine Pantheæ coli & conſecrari voluit. Nummus hujus Druſillæ eſt apud Nobiliſſ. Wildium in Select. Numiſm. antiq. Ab uno latere eſt Caligulæ Laureatum caput, cum inſcriptione, admodum ob literas vetuſtate exeſas manca, . . . ΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΙΟΥΛΙΟΥ . . . . MANICVM SVB IVLIO. Ex altera parte Druſilla ſedens, haſtata, ſpicas & papaver dextra tenens, cum inſcriptione: ΔΡΟΥΣΙΛ . . ΜΕΝΟΦΑΝΗΣ DRVSIL. . . MENOPHANES. Et quia Prætoris hujus Menophanis nomen in Epheſiorum nummo apud Harduinum occurrit, hoc numiſma quoque ab Epheſiis in honorem Caligulæ, cui Druſilla cunctarum chariſſima erat, fuiſſe cuſum Vir Clariſſ. credit. Sed ſi ſcientiſſimum in ſtudio nummario Dn. Valentium de Nummis Græcis evolvamus, Smyrnæorum nummus ejuſdem Caligulæ occurrit, e gazophylacio Dn. Faucaut deſumptus, e quo Wildianus ſuppleri-

Tab. VIII. Fig. 2.

Tab. VIII


DIVUS AUGUSTUS
DIVA AUGUSTA
ΜΑΝΙΚΟΝ ЄΠΙ ΙΟΥΛΙΟΥ
ΜΗΝΟΦΑΝΗϹ ΔΡΟΥϹΙΑ
2
AGRIPPINAE AUGUSTAE
ϹЄΒΑϹ
4
ЄΥΤ ΟΚΙΑ
ΜЄϹϹΑΛΙΝΑ ϹЄΒΑϹΤΗ ΝЄΑ ΗΡΑ
5
ΝЄΡΩΝΟϹ ΚΛΑΥΔΙ ΚΑΙϹ ϹЄΒΑϹΤ
IMP DOMITIAN AUG GE
7
S C
ΡΟΥΦΟϹ ΑΝΘΥΠΑΤΟϹ ΤЄΛΛΙΟϹ
ΝЄΙΚΑЄΩΝ
ΜЄϹϹΑΛΙΝ ΑΙϹ ϹЄΒΑϹ
CERES AUG
S C
8
IMP V COS IIII PP TR P VIII
S C
9
ΜΑΛΑΚΙΛΙΑ ϹЄΟΥΗΡΑ ϹЄΒ
10
ЄΠΙ ΦΙϹΚΟΥ ΑΡΧ ЄΥΜЄΝЄΩΝ
ΦΟΥΡ ϹΑΒ ΤΡΑΝΚΥΛΛЄΙΝΑ
ΝΙΚΟΜΗΔЄΩΝ
11

pleri & illuſtrari poteſt. Legitur quippe circa caput Caligulæ ΓΑΙΟΝ ΚΑΙCΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΑΟΥΟΛΑ. Cajum Cæſarem Germanicum ſub Aviola, nempe Proconſule: ex averſa parte ΔΡΟΥΣΙΛΛ. CΜΥΡΝ. ΜΕΝΟΦΑΝΗΣ *Druſillam Smyrnæorum Menophanes* colit. Occurrit quoque Menophanis mentio in nummis Pergamenorum apud eundem Valentium eod. loc. & pag.

Auguſtarum tamen nulla ſæpius ſub Cereris ſchemate viſitur in nummis, quam *Agrippina*, ultimi Claudii Imperatoris conjux, Neronis mater. Spicis quippe papavereque coronata conſpicitur in nummo apud Æn. Vicum in Auguſtar. Imag. p. 88. Apud Doctiſſ. Patin de Numm. æreis Imper. p. m. 109. ſe offert nummus cum capite Agrippinæ, e collo ſpicæ prodeunt intermedio papavere, quem dabimus, ubi de Pace ſub Cereris ſymbolis depicta acturi erimus. Aliud inſuper Agrippinæ numiſma in Theſ. Brandenb. T. III. p. 95. in quo manus ſpicas & papavera tenens, cum inſcriptione: ΕΥΤΟΚΙΑ, quæ omnia in Agrippinam novam Cererem quadrant, illamque innuunt. *Tab. VIII. Fig. 3.* *Tab. VIII. Fig. 4.*

Valeria Meſſalina ſequitur, uxor Claudii, quæ libidine & avaritia omnes, quæ ſunt, quæ fuerunt, fœminas anteceſſit, quippe quæ, Plinio teſte libr. X. c. 63. & libr. 29. c. 1, intra unius noctis dieique ſpatium in publico lupanari ſe proſtituendo vigeſies & quinquies plus re abſoluta, meretricem, quacum veſtes mutarat, ſuperavit, adhuc dum

. . ardens rigidæ tentigine vulvæ,
& laſſata viris nondum ſatiata recedens.

ut Juvenalis de illa Satyra VI. canit. Illud omnis ævi proſtibulum, nova Juno appellatur in nummo ſtupendæ raritatis apud Cl. Valentium de Numm. Græc. p. 14. e cimel. Nobil. Veneti, Hier. Corrarii; ubi Junoni ſymbola Cereris, ſpicæ e mammis progerminantes, attribuuntur: nec dubito, papaver quoque adeſſe, ſculptoris incuria omiſſum. *Tab. VIII. Fig. 5.*

Tab. VIII. Fig. 6. *Statilia Meſſalina*, quæ poſt quatuor matrimonia diverſo exitu ſoluta, poſtremo Neroni nupſit, poſt quem interemtum cum opibus & forma, & ingenio plurimum vigeret, conſectata eſt uſum eloquentiæ ad ſtudium declamandi. Hæc Nerone adhuc vivo in nummo exhibetur, in quo caput Neronis cum inſcriptione: ΝΕΡΩΝΟϹ ΚΛΑΟΥΔ. ΚΑΙϹ. ϹΕΒΑϹΤΟΥ. ex averſa parte Cereris ſimulacrum, duo papavera dextra manu, ſiniſtra ſpicas tenens, cum inſcriptione: ΜΕϹϹΑΛΛΙΝΑϹ ϹΕΒΑϹ. apud Triſtanum, virum in re nummaria reconditioris doctrinæ titulo dignum, Comment. Hiſt. T. I. p. 245. Hæc illa Auguſta, cujus ætas nonaginta novem annos attigit; uti hoc Seneca memorat Epiſtol. 77: *Nulla vita eſt non brevis: nam ſi ad naturam rerum reſpexeris, etiam Neſtoris & Statiliæ brevis eſt; quæ inſcribi monumento ſuo juſſit:* Annis nonaginta novem vixiſſe. *Vides aniculam gloriari ſenectute longa?*

Domitiani nummus in Theſauro Brandenb. reperitur, in quo poſt Angelonum, eruditiſſimus Theſauri hujus interpres, Tab. VIII. Fig. 7. non Cererem, ſed ſub Cerere veteri repræſentatam *Domitiam Auguſtam* credit, in cujus nummi averſa parte faſciculus ſpicarum (Æn. Vico panarium) cum papaveribus, cerealibus muneribus obvius. Conjungimus Domitiæ *Juliam*, Titi filiam, repudiatæ a Domitiano Domitiæ ſuccedentem, quam cum abortivum abjicere perſuaſit, illam duxit, teſte Juvenali:

Cum tot abortivis fœcundam Julia vulvam
ſolveret, & patruo ſimiles effunderet offas.

Cum inceſtum commiſiſſet cum patruo, ubi eſſet adhuc vidua, credita eſt eo tempore ex Domitiano in utero geſtare. Huic Tab. VIII. Fig. 8. Juliæ e SCto nummus cuſus, in cujus parte altera Juliæ facies viſebatur, in altera impreſſa Cereris Deæ imago, dextra ſpicas & papavera, ſiniſtra haſtam ſive ſceptrum, divinitatis ſymbolum, tenens, cum inſcriptione: CERES AVG. apud Æn. Vicum in Auguſtar. Imagin. p. 182. Hæc cum in nummis Veſtæ imagine ſuper-

ſuperbiat, haud multum quis aberraverit, ſi Sponianam inſcriptionem, Juliæ Tiberii conjugi adjudicatam, huic vendicare voluerit.

Sabinam Hadriani Auguſti conjugem ceu novam Cererem cultam fuiſſe, inſcriptio Sponiana ſequens edocet, Megaris in Attica reperta, ejusque Itinerario Attico illata:

ϹΑΒΕΙΝΑΝ ΒΑϹΙΛΙϹϹΑΝ ϹΕΒΑϹΤΗΝ
ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ
ΠΑΜΦΥΛΟΙ ΥΠΟ ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΙΟΥΛΙΟΥ
ΚΑΝΔΙΔΟΥ
ΤΟΥ ΚΡΑΤΙϹΤΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ϹΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟϹ
ΑΙϹΧΙΩΝΟϹ ΤΟΥ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥϹ.

Sabinam Principem Auguſtam, NOVAM CEREREM, Imperatoris Hadriani conjugem, (venerantur) tribus univerſæ, Julii Candidi opera, egregii Proconſulis. Prætore Æſchione Democratis F. Firmat hoc magis nummus Magneſiorum Aſiæ, in quo adverſa Hadriani & Sabinæ capita, cum Cerere ſtante, dextra ſpicas, ſiniſtra tædam gerente, & papavere ad pedes, de quo in nummis Μαγνήτων.

Quod ad *Criſpinam* attinet, infelicem Commodi conjugem, elegantiſſimum nummum promit Nobiliſſ. Triſtan. Commentair. Hiſt. T. I. p. 723. in quo Criſpina Deæ habitu, ſiniſtra *Tab. VIII.* Cornucopiæ, dextra Victoriam tenens, quæ Criſpinæ Lauream *Fig. 9.* porrigit: adſtat panarium ſpicis & papavere repletum ad pedes, a tergo in puppi tres infantes ad partem mediam, quorum ultimus adhuc involutus faſciis. Licet Fortunam denotet Deæ effigies, quam Criſpina hoc in nummo exhibet; panarium tamen cum infantibus & fertilitatem & fœcunditatem ſignant, Cereri conſuetam. Cui accedit, in aliis quoque nummis Criſpinam Cereris adumbrari imagine, ut in nummo Byzantinorum & Cianorum, ubi tanquam Ceres gradiens, utraque tædam ferens, apud Cl. Valentium Lucem huic quoque nummo Criſpinæ affert, quem alibi explicavimus, nummus cum inſcriptione: *Felicitas temporum.*

Datur

Datur & *Juliæ Domnæ* nummus, a Philippopolitanis cuſus, ſub Tiberio Barbaro Præſide, forte teſſera grati animi, eo quod Imperator Septimus Severus ad metropoleos dignitatem hanc evexit urbem. In eo conſpicitur Auguſtæ effigies, juncta inſcriptione: ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ: ex averſa parte Ceres tanquam velata, turrito capite, medio corpore monti Hæmo ſive Æmo, (hinc urbi Hæmimontii nomen) inſidens, cui & ſiniſtra innititur, dextra ſpicas tenens & papavera. Vid. Cl. Valentius de Numm. Græc. p. 96 Edit. ult. Idem typus in nummo *Saluſtiæ Barbiæ Orbianæ*, Alexandri Severi conjugis, de quo plura in nummis Sidetorum Pamphyliæ.

Tab. VIII. Fig. 10. *Otaciliæ Severæ*, Philippi ſenioris Auguſtæ, nummus in averſa parte habet Cererem ſub Fortunæ ſtantis ſchemate, dextra ſpicas & papaver cum temone, ſiniſtra Cornucopiæ tenens, cum epigraphe: ΕΠ. Φ. ΦΙΣΙΚΟΥ ΑΡΧ. ΕΥΜΕΝΕΩΝ. ΑΧ. *Sub Flavio Phiſico Pontifice Eumenenſium Achæorum.*

Tab. VIII. Fig. 11. Claudat Auguſtarum agmen nummus *Furiæ Sabinæ Tranquillinæ* a Nicomedienſibus percuſſus, in cujus averſa parte Ceres velata, dextra ſpicas & papaver, ſiniſtra tædam ardentem præferens.

Et quis omnes Auguſtarum nummos, quibus novæ Cereres cerealiaque ſymbola declarantur, recenſeat? Plures enim prætermitto, quam deſcribo. Nec in admirationem quem rapiat, adulandi aſſentandique crimen eo proceſſiſſe, ut Auguſtas in novarum Dearum numerum receperint, cum & inferioris ſubſellii fœminæ Dearum ſe ſimulacro repræſentari, divinoque habitu effingi curaverint. Audiamus hæc explicantem Statium Sylv. Libr. V. carm. 1. v. 231:

Mox in varias mutata novaris
Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnoſſis.
Illa Maja tholo, Venus hoc non improba ſaxo,
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina.

Ad

Tab. IX. p. 65




ANNONA AVGVSTI CERES





Ad hæc Statiana illuſtranda ſtatuam muliebrem produco ex inſignioribus Romanis Joh. Dom. de Rubeis, cujus conditionem ſubſcriptio ob oculos ponit: Tab. IX.

VILIA HAGNE LIBERTA
VXOR C. PATRONI.

quæ ſub Cereris imagine & ſpicas & papaver manu promit; ut alias ejusdem notæ ſilentio involvam.

Nunc ordinis ratio poſtulat, ut rationes ſubjiciam, cur Auguſtæ præ reliquis Deabus ſub Cereris ſchemate adumbratæ? & videtur hæc ſubeſſe cauſa, quod cum Imperatoribus ſæpius curarum partem, ad procurandam frugum ubertatem, & invehendos commeatus ſuſceperint, populique ſic favorem alimentis ſalubri pretio diſtribuendis captaverint. Hinc e SCto ſæpius honor cudendæ monetæ illis decretus, modiique, panaria, faſciculi ſpicarum papaveriſque, ceu teſtes abundantiæ frugum Cerealium, aſſiduis etiam ſterilitatibus ingruentibus procuratæ, impreſſi, gloriæque ac laudis Cereris, frugum Procuratricis, novæ hæ Deæ participes redditæ. Nummi hactenus recenſiti, teſtes certe rei hujus uberrimi: firmat tamen inſuper elegantiſſima ſtatua, Romæ in Julii Tertii Pontificis hortis conſpicienda, ſub figura *Cereris Stolatæ*, ſpicis caput redimitæ, triticeumque manipulum, cui papaver immixtum, manu prementis, eoque alveare adjunctum tangentis. Tab. X. Statuam hanc e Boiſſardo, novo Inſcriptionum Gruterianarum Theſauro, ab Illuſtr. Grævio procurato, illatam invenies, cum inſcriptione, hactenus dicta apprime illuſtrante:

ANNONA AVGVST. CERES.

Eſt & nummus maximi moduli Antonini Pii, in cujus averſa parte Ceres ſedens, dextra ſpicas & papavera, ſiniſtra ardentem tædam tenens, prope illam Abundantiæ effigies cum cornucopiæ, eademque, quam jam allegavimus, inſcriptione: *Annona Auguſt. Ceres*; ſed cum nummus vulgo dictus Paduanus, a Joh. Cauvino & Alexandro Baſſiano confictus, inque Muſeo

Bibliothec. St. Genovevæ a Pl. Rev. P. Molineto publicatus, eo Lectorem ablegandum duxi. Ceterum quot modis Annona in nummis expreſſa cernatur, multis demonſtrat piiſſimus & eruditionis altiſſimæ varietate notiſſimus, Epiſcopus Tarraconenſium, A. Auguſtinus, Antiq. Rom. in Numm. Vett. Dialog. ab Andr. Schotto Latin. reddit. Dial. 2. p. 30. Edit. Bruxell.

Sed, inquies, quid Cereri, quid papaveri cum alveari ac apibus in ſtatua Romana commune? Ad Cererem quod attinet, lucem fœneratur Pauſanias in Arcadicis, referens, Cereri Phigalenſi favos fuiſſe oblatos; & in Eliacis auctor eſt, Elæos cum in Prytanæo monte Cereri ſacra facerent, thure & melle ſubactum triticum adoleviſſe. Ex quibus patet, Cererem mella & favos, inter alia libamina ſibi adſciviſſe, quod poſtea a Græcis cum Cereris cultu ad Romanos tranſiit: nam quotiescunque ambarvale ſacrum pro maturis celebrabatur frugibus, favi cum libaminibus offerebantur. Hinc a Porphyrio in Antro Nymphar. apes Cereris ſtatuuntur miniſtræ. Ingenioſisſimus Menetrejus in Symbolic. Dian. Epheſ. Explic. ob puritatem credit, & Pindari Scholiaſten in Pythic. Od. 4. v. 106. ad verba:

σέ δ' ἐν τούτῳ λόγῳ χρησμὸς ὤρθησεν Μελίσσας,

Te vero in hoc ſermone oraculum erexit Meliſſæ;

adducens, hoc probare conatur. Sic autem Scholiaſtes: Μελίσσας κυρίως μὲν τῆς Δήμητρος ἱερείας φασί. Καταχρηστικῶς δὲ, καὶ τὰς πάσας, διὰ τὸ τοῦ ζώου καθαρόν. Loquitur ἑλικώνιος κύκνος Πίνδαρος ἱμερόφωνος l. c. de Meliſſa Sacerdote Delphica, Meliſſæi Regis filia, quæ certe καταχρηστικῶς Scholiaſtes vel potius Cl. Menetrejus ob puritatem ad apiculas trahit. Evidentius de puritate apum teſtimonium tradit Didymus, Geoponicorum ſcriptor: ἐστὶ δὲ καὶ καθαρὸν ὑπερβολῇ τὸ ζῶον οὐδενὶ τῶν δυσώδων, καὶ ἀκάθαρτον προσιζάνον. οὔτε λίχνον, οὔτε δὲ σαρξὶν, οὔτε αἵματι, οὔτε λιπάσματι, οὐδενὶ προσίπταται, ἀλλὰ μόνοις

τοῖς

τοῖς γλυκὺν ἔχουσι τὸν χυλόν. *Eſt præterea puriſſimum animal, nulli graveolenti ac immundæ rei inſidens; neque guloſum eſt, neque ad carnes, neque ſanguinem, neque ullam pinguedinem advolans, ſed ſolum iis, quæ dulcem ſuccum habent.* Vid. Excell. Needham, Geoponic. Script. L. XV. cap. 3. p. 409. Magis certe quadrat hoc argumentum, ſub famulatu Cereris quoque apes eſſe, quod cymbala & tympana, ut Magnæ Deûm Matri, ſic & Cereri ſint communia: at quem latet, apes diſſipatas & diſplicatas, ut loquitur Varro de Re Ruſtica L. 3. cymbalis & plauſibus in unum locum reduci? Sic Claudianus:

- - - Qualis Cybelejia quaſſans
Hyblæus procul æra ſenex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes.

Si cui vero dubium, cymbala & tympana Cereri non competere, Pindarum legat Iſthm. Od. 7. v. 3. 4. ſeq. qui Bacchum πάρεδρον χαλκοκρότου Δαμάτερος, *aſſeſſorem æriſtrepæ Cereris*, vocat, quæ Scholiaſtes adhuc latius deducit. Sic Cereris ſtatua, quam ex Aſiatico itinere redux Nobiliſſ. Whelerus in Angliam ſecum attulit, ſiniſtra tympanum Cybeles geſtat, ceu in Præfamine Gallicus interpres monuit, cum in editione Anglica illud eſſe crediderit, cujus Hipponenſium St. Antiſtes de Civit. Dei L. VII. c. 24. meminit. Sic in Eleuſiniis ſexto die cymbalorum ſtrepitus auditus, de quo vid. Cl. Lampe L. 3. c. 5. p. 310. 311. de Cymbal. Vett. qui in Cereris quoque ſacris & myſteriis e cymbalis bibi ſolitum, e Clem. Alexandr. ad Gent. probat. Præterea perplacet alia ratio, quam Menetrejus quoque affert; quemadmodum Ceres non minus digno quam proprio elogio *Munifica* dicatur; ita apem munificam quoque eſſe nuncupandam: gratis enim nobis mellificat, & ſine impendio mortalibus labores ſuos elargitur. Poſſem huc infinita alia trahere, ſed longioris id operæ; Plura tamen qui deſiderat, citatum Barbarinæ Ceimeliothecæ Præfectum adeat. Nobis adhuc pro-

ban-

bandum reſtat, quomodo papavera apibus jungi & aptari poſſint, quod in ſtatua hac factum. Superioribus jam innuimus, a cibo infantum mutuaſſe, ſecundum Etymologos, papaver nomen ſuum; jam cum primitivus mos obtinuerit, ut melle quoque juncto paſcerentur infantes, quod a Jove & Beroë mellis alimento enutritis fluxiſſe nonnulli credunt, quis papaveris melliſque, rerum dulciſſimarum, connubium felix neget? Triptolemi edulia, ab Ovidio in Faſtis l. 4. Edit. Criſpinian. in Vſ. Delphin. P. 3. p. 591. exhibita, fuſe rem declarant:

Mox epulas ponunt liquefacta coagula lacte,
Pomaque, & in teneris aurea mella favis.

Et paulo poſt de Cerere: . . . *ſomnique papavera cauſas*
dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Sic Moſchion jubet, ut nutrix os infantis melle illinat. Nec infantum tantum deliciæ mel & papaver; ſed in lautioribus conviviis, inque menſis ſecundis, ſecundum Plinium, ſemini trito candidi papaveris cum melle locus. Vid. Platin. libr. 3. de Voluptat. & Cl. Bogdan. Not. in Sim. Seth. de Aliment. p. 166. qui a Polonorum menſis minime adhuc exulare illud meminit. Exoptatæ hæ vires papaveris, pretioſæque nectaris mellei virtutes, moverunt Plinium, ut Libr. XX. cap. 19. p. 74. Edit. Harduin. Tom. IV. exclamaverit: *Simplex & antiqua illa ſalubritas papavere & melle conſtat.* Virgilius Æn. II. de Dracone ad oblivionem redacto: *Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.* Sed vela contraho, hoc tantummodo pro confirmanda ſententia, alveare ſcilicet papaveri jungi, annectens; apibus maximopere prodeſſe papaver; Plinii iterum hac in re, ni grave erit, auctoritate utor Libr. XXI. c. 12. p. 133. Tom. IV. Edit. Harduin. *Hortis coronamentiſque maxime alvearia & apes conveniunt . . harum ergo cauſa oportet ſerere thymum, apiaſtrum, roſam, violas, lilium, cytiſum, fabam, erviliam, cunilam, papaver &c.* Inſervit ad hunc Plinianum locum illuſtrandum tabula

bula cum Spei imagine Romæ ad Hortos Bellajanos poſita, ad cujus pedes alveare roſis, papavere & ſpicis exornatum; de qua alibi. Sed quæ ſine impendio e papavere hauriunt pro conficiendo melle apes, id non ſine capitum papaveris maximo diſpendio peragunt culices, ut e Nicandri Georgicis apud Athenæum obſervare licet, cujus verba adſcribere non pigebit, cum errorem, quem Vir cæteroquin doctiſſimus erraverit, detegant.

Καὶ δ'αὐτῆς μήκων@ ἄπο πλαταγώνια βάλλοις,
ἄβρωτον κώδειαν ὄφρα κνώπεσσι φυλάξῃ.
Φυλασσίνη γὰρ, πάντα διοιγομένοισιν ἐφίζει
Ἑρπετὰ, τὴν δὲ δρόσοισιν εἰσκομένην βοτέονται
κώδειαν, κάρποιο μελιχροτέρου πλήθουσαν.
θρίων διοιχομένων ῥέα μὲν φλόγες ἄλλοτε ῥείπῃ
πλήξαν σαρκοτύπησι, τὰ δ'οὐ βάσιν ἐςήριξαν.
Θρία δ'οὐ λέγει τὰ τῆς συκῆς, ἀλλὰ τὰ τῆς μήκωνος
Οὔτε τὶ παιβρώμην ποτιδεγμένα πολλάκι δ'ἴχνη
ςιφροῖς ὠλίσθησαν ἐνιχρίμψαντες καρείοις.
Ἀδρύνει δὲ βλάςα βάθει ἐν τάχει καρπόν. e verſione Dalechampii:

Papaveris florem tu adime,
Vt intectum caput, & a culicibus eroſum cuſtodias
Foliis omnibus. Flos noxius eſt: inſident enim cum recluditur
Beſtiolæ, quæ rore madidum depaſcuntur
Codium fructu mellito plenum.
Detracto vero flore facile a cortice capitis alio tu rejicies,
Manu percuſſus ſi excutias: non enim gradum ea obfirmare poſſunt animalia,
aut aliunde cibum capere, & ſæpe accidit,
ut ſolidis papaveris capitibus dum ſe impingunt,
per lubricum ejus lævorem cadant.
Sic etiam celeriter germina in profundo capitis vaſculo ſemen amplificant.

Ex hoc loco vir quidam doctiſſimus, (cujus Parenti quod Grajæ . . . *gentis arcana nihil retruſum nec reconditum ſervet, debetur iſtud omne)* elicere vult, florem papaveris maximopere caput a culicum punctionibus defendere & liberare. Haud equidem me latet, quod proprie ex Grammaticorum mente Κώδειαν tantum de papaveris capite pronuntient: Lycophronem tamen in Caſſandr. & Homer. Iliad. ξ Nicandr. in Alexipharmac. aliosque pro capite quovis animato ponere κώδειαν, certum eſt, id quod Cl. Meurſius Notis in Lycophron. Caſſandr. p. 108. quoque notavit; ſed certe hoc in loco perſpicue plane de papaveris tantum capitibus agitur, ni in meridiana quis cæcutire velit. Sed parco nomini, cui omnes φιλέλληνες aſſurgunt, illudque ſubmiſſe venerantur. Eadem enim mihi, quæ Cl. Gyraldo, mens eſt: *Cum vero mihi occurrit*, inquienti, *ut tales errores caſtigem, ne tunc a me quæras illorum nomina, quos accuſo: libenter enim, homo cum ſim, magnis viris parco; ingenui quippe hominis eſſe duco, parcere perſonis, dicere de vitiis.* Syntagm. de Diis. p. m. 301. Edit. opp. Gyraldin. ult. Belgic.

Sed opus eſt, ut e diverticulo in viam redeamus, argumento noſtro ulterius inhærentes, rationesque ſuppeditantes, cur Auguſtæ præ ceteris Deabus Cereri, ſpicis papavereque inſtructæ, aſſimilatæ fuerint? Nimirum papaver fœcunditatis ſymbolum eſt: unde Porphyrius apud Euſeb. Præpar. Evangel. Libr. III. c. 11. p. m. 109. Edit. ult. Διὸ καὶ κατέςεπται τὸ βρέτας αὐτῆς τοῖς ςάχυσι, μήκωνές τε περὶ αὐτὴν τῆς πολυγονίας σύμβολον. *Quæ cauſa etiam eſt, quamobrem ipſius effigies ſpicis coronetur ac papaveribus, quæ magna fœcunditatis ſymbola ſunt.* Ceres vero fons & origo eſt omnis fœcunditatis: cui jam mirum videbitur amplius, Auguſtas imagine Cereris hoc fœcundo ſub ſymbolo adumbratas, cum ab iis opimius vix emolumentum quam e geniali retundarit thoro, Imperii hæredes Imperatoribus largiente. Nec enim frugum tantum fertilitas Cereri attributa,

ſed

ſed & animantium. Probat hoc de Vita Contemplativa, Philo. p. 890. Vocant τὴν δὲ γῆν Δήμητρα, παρ' ὅσον μήτηρ εἶναι δοκεῖ πάντων φυτῶν τε καὶ ζώων, *quod mater videatur omnium ſtirpium & animantium.* Sic Valerius Flaccus de epulantibus Argonautis libr. II. v. 69.

- - - - *Cereris tua munera feſſas*
reſtituunt vires.

& libr. III. v. 5. *dat Cererem lectumque pecus*, ovinas nempe carnes ad comedendum & ſtragula. Dilucidius hæc expreſſit Callimachus Hymn. in Cerer.

φέρβε βόας, φέρβε μᾶλα, φέρε στάχυν, οἶσε θερισμόν.
Paſce boves, paſce oves, fer ſpicam, fer meſſem.

hinc παμβῶτις γᾶ, *omnia paſcens terra* ſive Ceres apud Sophoclem dicta Philoct. v. 396. Quod ſi cui dubium oriatur, an partuum quoque humanorum ſoſpitatrix & præſes fuerit credita, ſolvet hoc exclamans in Priapæis:

Enneæ Cererem nurus frequentant;

ut fœtus ſcilicet hæredeſque obtineant. Et Orpheo Ceres audit Hymn. 39.

εὔτεκνε, παιδοφίλη, σεμνή, κουροτρόφε, κούρα, e verſ. Scaliger.
Proletaria, amans natæ, Dea Rumia, nutrix.

Non poſſum amplius continere calamum, quin nitidiſſimam gemmam, cujus jam mentio facta, e Theſaur. Brandenb. Cl. Begeri Comment. illuſtrato promat, quæ Cererem κουροτρόφον, ſeu Auguſtam forte ſub illa latentem exhibet. Caput corona ſpicea, papaverum capitibus diſtincta nitet, coma Cererem ἠΰκομον καὶ καλλιπλόκαμον ἀνάσσην, *pulchricomam & elegantes comarum nexus habentem Reginam*, ex Homerico elogio, exhibet. Præcipuum, quod gemmam commendat, ſunt infantes pectori adhærentes cum cornibus copiæ, indicantes eſſe & παιδοφίλην, *puerorum amantem*, & κουροτρόφον *pueros nutrientem*, ac εὔτεκνον καὶ πολύτεκνον, *& pulchros multoſque liberos*, vel ſi Nonni vocabulo exprimere malis, ἀγλαιόπαιδα, *illuſtres infantes habentem.*



tem. Si conjecturæ Begerianæ locus, cum Plemnæa Orthopolin recens natum, & Triptolemum, Meganiræ Celei uxoris filium, educaverit Ceres, hos in ejus pectore credit denotatos. Sic in nummo Commodi in Theſauris Regiis Gallicis obvio, Criſpinæ ſub Cereris imagine ante arborem ſedenti, & ex ea dextra pomum decerpenti, ad pedes tres pueruli adſtant, quibus nati ex ſe liberi deſignantur, id quod alius nummus ejusdem Criſpinæ apud Triſtanum, cujus ubi de Auguſtis novæ Cereris

reris imagine inſignitis egimus, injecta mentio, in quo in puppi tres infantes ad partem mediam, quorum ultimus adhuc faſciis involutus, viſuntur. Nec obſtat hac de re Hiſtoricorum ſilentium, cum nummi proſtent id luculenter probantes, inprimis nummus apud Illuſtriſſ. Spanheim. Diſſ. de Numm. p. 659, in quo hinc Commodus, iſtinc inſcriptio: LIBERI AVGVSTI, itemque alius apud Vicum in Numm. Auguſtar. in quo FOECVND. AVGVST. aliique. Summæ enim & temeritatis & impudentiæ fuiſſet ſignum, attribuere in nummis Liberos Auguſtis, cum nullos unquam habuiſſent. Sed redeo ad gemmam, ubi Ceres κουροτρόφος in collo quid appenſum geſtat cordis ſpecie, eodem plane modo, ut in gemma Auguſtea, quam Illuſtr. Baro le Roy exhibuit, Agrippina Germanici geſtat, quam Cl. Rubenius, qui primus gemmam hanc vulgarat, bullam arbitratur, eandemque etiam in imagine Cleopatræ apud ſe ſpectari, & eodem modo adornatas etiam eſſe Livillam Druſi, & Meſſalinam in iis, quas Dux Bukingamus olim a parente ejus comparaverit. Nec impedit, bullas infantum tantum eſſe, cum Tiraquellus ad L. III. Connubial. probet, iis quoque mulieres uſas fuiſſe. Figuram cordis quod concernit, lucem affert Clem. Alexandrin. Patrum Græcorum doctiſſimus, in Protrept. p. 96. ubi inter Myſtica Cereris ſymbola: ῥόιας πρὸς τοῖς δὲ καὶ καρδίαι, νάρθηκές τε, καὶ κίττοι, πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες, *mala punica atque etiam corda, ferulas & hederas & præterea placentas & papavera*, recenſet. Qualia vero corda iſta, vel e quibus conflata, nil certi, niſi ex meris conſtat conjecturis. Credo cordiformi hac bulla παιδοφιλίαν Cereris deſignari, hinc παμμήτειρα Δηώ, *Cererem omnium matrem* vocat Nonnus libr. 19. Dionyſ. Eadem ratione Ceres ſecundum Arnobium libr. 6. cum mammis grandibus effigiatur, hincque *mammoſa* a Lucretio vocatur, quæ vox haud apte exprimitur per *multimammiam*, cum multimammia Dea ſit, quæ multas, mammoſa, quæ non qui-

K dem

dem multas, ſed grandes mammas habet. Græce πρόμαςος mulier eſt mammoſa, quæ grandes habet mammas inſtar mulierum vel gravidarum, vel infantibus ubera præbentium; idem plane vocabulum ac μεγαλόμαςος; πολύμαςος autem Dianæ Epheſiæ mammis multis & uberibus inſtructæ, ut Minutius Felix loquitur, epitheton eſt. Vid. hac de re egregie diſſerentem Illuſtr. Cuper. in Apotheos. Homer. p. 253. ſeqq. Sic papaver quoque eſt mammoſo capite: hincque Nicandro in Alexipharm. v. 433. κεβληγόνος μήκων, ὁ ἐν τῇ κεφαλῇ τὸν γόνον ἔχων, *in capite fœtum habens*, non abſimili modo ac lacte mammæ turgidæ. Ita & gravidum vocavit papaver Auſonius:

Errantes ſylva in magna, & ſub luce maligna
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver.

Rationi denique non abſonum erit addere, ideo papaver Auguſtis ſub novæ Cereris ſchemate ſuperbientibus addi, quod papaver Civitatum ſignum, quarum Auguſtæ cum Auguſtis Dominæ erant, teſte jam citato Porphyrii loco apud Euſeb. de Præpar. Evangelica: πόλεως ὁ μήκων σύμβολον. Verum ſatis ſuperque de novis Deabus Auguſtis, Cereris imagine ſuperbientibus, ubique in nummis & marmoribus obviis. Sed quis unquam præderet, Auguſti quoque vultum ſub Cereris adumbrari effigie? Exhibet tamen gemmam talem, Imperatoris Juliani vultum præ-

Tab. XI. ferentem, cujus tempora ſpicis papavereque innexa, quale quid neque in hiſtoriis, neque in antiquitatibus ſe hactenus obſervaſſe meminit Excell. Beger. qui Achatem, cui inſculpta hæc imago, in Theſauro Brandenburgico exhibuit T. I. p. 130. Corona hæc papaveraceo ſpicea videtur vilitatem annonæ, populo procuratam, clare innuere: nec deſunt rei uberrima teſtimonia. Cl. Begerus ex Ammiano Marcellino promit libr. 22. p. 255. Edit. ultim. Gronovian. in fol. *Inter præcipua & ſeria illud agere ſu-*

per-

Tab. XI. p. 74.



perfluum videbatur, quod nulla probabili ratione, ſuſcepto popularitatis amore VILITATI STVDEBAT VENALIVM RERVM, *quæ nonnunquam ſecius quam convenit ordinata, inopiam gignere ſolet & famem.* Jungo evidentiſſimo huic loco alium, ex ipſiſſimo Imperatoris. Miſopogon. p. 369. Edit. Spanh. hæc, quæ Ammianus protulit, illuſtrantem & illud in ſubditos collatum beneficium, quod Ceres frugum genetrix, in genus quoque humanũ detulit, confirmantem: ἐπεὶ δ᾽ ἦν τὰ μὲν ἄλλα πολλὰ παρ᾽ αὐτοῖς πάνυ. Καὶ γὰρ ἦν οἶνος καὶ ἔλαιον, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα. σίτου δ᾽ ἐνδεῶς εἶχον, ἀφορίας δεινῆς ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν αὐχμῶν γενομένης, ἔδοξέ μοι πέμπειν εἰς χαλκίδα, καὶ ἱεράπολιν, καὶ πόλεις τὰς πέριξ. Ἔνθεν εἰσήγαγον ὑμῖν μέτρων τετταράκοντα μυριάδας. ὡς δ᾽ ἀνάλωτο καὶ τοῦτο, πρότερον μὲν πεντάκις χιλίους, ἑπτάκις χιλίους δὲ ὕςερον, εἶτα νῦν μυρίους, οὓς ἐπιχώριόν ἐςι λοιπὸν ὀνομάζειν μοδίους πάντα οἴκοθεν ἔχων ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου κομιθέντα μοὶ σῖτον ἔδωκα τῇ πόλει, πραττόμενος ἀργύριον οὐ κατὰ δέκα μέτρα, ἀλλὰ πεντεκαίδεκα τοσοῦτον, ὅσον ἐπὶ τῶν δέκα πρότερον. *Cumque cæterarum rerum magna eſſet copia, (erat enim vinum, oleum, cæteraque omnia,) frumenti autem inopia, propterea quod ſuperior anni tempeſtas paulo aridior magnam agrorum ſterilitatem effecerat, mittendum in Chalcide Hierapolin, cæteraſque finitimas urbes putavi. Inde vobis menſurarum quadringenta millia intuli: quo conſumto numero primum quinque millia, deinde ſeptem millia, poſtremo nunc decem millia modiûm, ut vos jam nominare conſvevistis, quod omne triticum ex Ægypto allatum ad me fuerat, domo mea eductum civitati donavi, neque pro decem menſuris, ſed pro quindecim tantum argenti, quantum antea pro decem accipi ſolebat, exegi.* Sunt plura alia, quæ hujus Imperatoris liberalitatem & curam in procuranda Annonæ vilitate commendant, quæ brevitatis ſtudio prætermitto.

ISIS.

INter Germanicas priſtini Latii reliquias ſequens inſcriptio ex Apiano in Theſaurum Gruterianum illata, apud Iſaram fluvium in Bojaria reperta:

ISIDI
MYRIONYMAE
SACRVM
FESTINVS T. JVLI
SATVRNINI. G. P. P. SE
RARI. POSVIT
FORTVNATVS. EJVSDEM
SERVVS
FACIVNDVM. C.

Repertu hæc datur in Nova Græviana Edit. Corpor. Inſcript. Gruter. p. 83. n. 11. & in inſcript. 10. ejusd. pag. dicitur eadem ISIS FRVCTIFERA. Prioris denominationis explicationem ſuppeditat in Luſu Aſini, Madaurenſis ille Mileſiarum ſcriptor libr. XI. p. 241. Edit. Pricæan. *Me primigenii Phryges Peſſinuntiam nominant Deûm Matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem: Cretes ſagittiferi Dictynnam; Siculi trilingues Stygiam Proſerpinam, Eleuſinii vetuſtam* (in Codice Wagenſeilii, ad cujus marginem variæ Lectiones ab Illuſtri Octav. Ferrario ex optimis codd. MStis

MStis collectæ, adſcripſit vir χαριέστατος, legitur *veſculam*) *Deam CEREREM, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecatem; Rhamnuſiam alii, & qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Æthiopes, Ariique, priſcaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorſum propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Iſidem.* Scilicet cum omnia Numina Gentilium Deorum maſculorum ad unum referantur Solem, ut Macrob. Saturn. libr. 1. vult; ita & optimo jure fœminei ſexus numina ad unam Lunam ſive Iſidem redigantur, conveniens eſt, ut optime ſentit gentis noſtræ decus eximium, in ipſo ætatis flore ereptum, El. Schedius de Diis Germanis c. 11. p. 172. qui ibidem adjungit elegantiſſimum ex Ariſtotelis libr. de Mund. locum: εἷς δὲ ὢν πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ. e. i. *unus vero Deus exiſtens multis nominibus dictus eſt; denominatus ab omnibus effectibus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet.* Vid. hac de re plura & exquiſitiſſima apud eruditiſſimum Nummi Panthei explicatorem, Cl. Nicaiſium, occaſione nummi Iſiaci, cum inſcriptione θεοῦ πάνος. cap. V. p. 57. Poſterioris, FRVGIFERAE nempe, rationem ex Herodoto diſcimus, qui Ægyptiorum Iſidem, Græcorum Δήμητραν eſſe innuit. Nec mirum, cum ambarum communia fuerint ſymbola. Sic Cereri attributam vidimus coronam ſpiceam, de Iſide Tertullianus de Coron. c. 7. teſtatur: *Prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit*; & Apulejus libr. XI. de Iſide: *Dextra lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita, ſpicis etiam Cerealibus deſuper porrectis &c.* quod tabulam Iſiacam Pignorii inſpicientibus quoque liquet, ubi Iſis cum ſacro capitis ornatu, vulturinis nempe pennis ſpicisque ſæpius occurrit. Sic calathus utriusque Deæ in capite geſtamen, ciſtæ in earundem ſacris, eadem denique in utriusque Deæ ſacris arcani ſeu τοῦ ἀποῤῥήτου religio, ut omni jure Cereri a nobis jungatur: quippe Iſidi æque ac Cereri amica papavera, quod e

nummis aliisque veteris ævi reliquiis palam fiet. Ad nummos equidem quod attinet, occurrit Imperatoris Hadriani Anno XVI. cuſus cum Nilo coram Iſide, ſiſtrum & papaver gerente, in Theſaur. Maurocen. a Cl. Patino edito cap. XII. de Numiſm. Græc. Imper. Rom. ex Ære. Sic nummus Commodi apud Guilelm. de Choul in noto ejus ad antiquitates illuſtrandas, nec vulgaris laudis vel induſtriæ opere, (e Spanheimiana commendatione) de Religione & Caſtramet. Vett. in cujus averſa parte Cæſar, cui lauream imponit victoria: adſtat cum ſiſtro Iſis, ad cujus pedes modius cum frumenti ſpicis immixtisque papaveris capitibus, ſed niſi omnia me fallunt, idem nummus e Stephanonio, elegantiſſimo artificioſiſſimi Dn. Goeree operi inſcripto: *Moſaiſe Hiſtorie der Hebreewſe Kerke Part. II.* inſertus, niſi quod modius cum ſpicis & papavere in aram flammantem ſit mutatus. Et quis Iſidis eſſe neget, quem nobis in Specim. Rei Nummar. exhibuit Antonini nummum, laborioſiſſimus Morellus cum muliere humi decumbente, Sphingi innixa, fruges in præcinctorio gerente, dextra ſpicas cum papavere, læva, cornucopiæ geſtante, cum inſcriptione: εὐθηνία L. H. *Abundantia A. VIII.* Quod ſi dubium adhuc alicui ſupereſſet, Iſidem hoc in nummo conſpici, magis inſuper probat & evincit, elegantiſſima Achatis ſculptura, omnia hucusque de Iſide allata illuſtrans, cujus ectypon e reliquiis muſei Dn. a Taliensker obtinuimus. Sphingi innixa Iſis Deam eo ſiſtit habitu, quo illam deſcripſit Apulejus libr. XI. p. 240. Edit. Pricæan. *Primum uberrimi crines prolixique & ſenſim intorti per divina colla paſſi ve diſperſi, molliter fluunt &c.* Læva manus ab Apulejana deſcriptione recedit, cum loco cymbii aurei, ſpicis immixtum papaver appareat. *Pedes*, ut verbis Platonici philoſophi me expediam, *ambroſios tegunt ſoleæ, palmæ victricis foliis intextæ*, ad cujus extremitates ſpicæ progerminant. Nilum ex oppoſito Deæ cubantem optime & ad vivum quaſi ex omni

Tab. XII. Fig. 2.


Tab. I. Fig. 3.

Tab. XII. Fig. 1.

1



3



Mensa Sacra 2

2





4



omni antiquitate depinxit, in Hercul. Prodic. doctiſſ. Vinand. Pighius, cujus verba gemmam hanc illuſtrantia, inſerenda duxi: *Nilus ingens, per cujus corpus ſedecim cubiti pueri*, (ut eos „Philoſtratus Lemnius appellat,) luſitantes ejus fluminis incre„menta notant. Quorum decimus ſextus humero ipſius inſidens, „calathum fructibus & floribus plenum capiti imponit; atque in„dicat XVI. cubiti juſtum Nili incrementum Ægypto fructuum „omnium ſummas adferre delicias: non ſecus ac XV. ſecuritatem, „ & XIV. hilaritatem. Reliquos inferiores, nempe ſi ſupra XIII. cu„bitum non excreſcat Nilus, famem ac penuriam Ægypto porten„dere. Plinius idem ſcribit Hiſt. Nat. L. V. cap. IX. Hæc etiam ele„gantiſſime in ipſa ſtatua per puerorum geſtus indicantur, in cujus „item baſi frutices, herbæ, plantæ *Nilo peculiares, ad vivum ex„ſculptæ viſuntur*: quas inter procul dubio papaveri quoque noſtro locus erit. Nili hæc ſtatua ad effigiem Sacerdotis Ægyptii ſive Iſiaci apud Cl. Auguſtinum in Gemmis P.II. Fig. 38. 39. 40. nos deducit, qui Menſam Sacram Ægyptiam manu tenet, cui impoſitæ binæ aqua nilotica repletæ hydriæ, & hinc inde ſpicarum faſciculi poſiti cum caniſtro, in quo an panes, an poma, an *papaveris capita* impoſita, dubium; a margine ipſius menſæ & a manibus brachiisque ſacerdotis pendent frondes, flores & fructus, fabæ Ægyptiæ calicesque ſeminales, quas ægre quis a *papaveris transverſim diſciſſis capitibus* diſtinguet, cum teſte Cl. Cluſio, qui

Tab. I. Fig. 2. & Tab. XII. Fig. 3.

> *Depinxit quicquid ſub cardine naſci*
> *ſciverat Eoo, viderat occiduo,*

Fabam quoque Ægyptiam accuratiſſime deſcriptam nobis reliquit; cui *prægrande papaveris caput*, cujus ſummum faſtigium transverſim fuerit præciſum, ciborium fabæ Ægyptiæ exacte refert; ita ut hæc deſcriptio paulum diſtet a Pliniana Loti deſcriptione Libr. 13. Hiſtor. natural. c. 17. & 18. cui fructus in capite *papaveri ſimilis inciſuris* omnique alio modo, intus

grana

grana ſeu milium. Et paulo poſt hæc adjungit Plinius: *Mirum eſt, quod præter hæc traditur: Sole occidente papavera ea* comprimi, & integi foliis, ad ortum autem aperiri, donec matureſcant, floſque, qui eſt candidus, decidat. Apte hæc conveniunt cum Ægyptia planta *Nilufar*, de qua Kircherus πολύγλωσσος in Oedip. Ægyptiac. Theatr. Hieroglyph. p. m. 76. quod proprie vocetur *Papaver paluſtre*. Hæc vero cum per

Tab. XII. Fig. 4. ſe ſatis obvia, tum firmat magis inauguratio Sacerdotis Iſiaci in Obeliſc. Ramaſſ. in ſummitate ſecundi lateris meridionalis oculis objecta, ubi ſacerdos inaugurandus flexis genibus ſupremi Numinis vices gerenti ſacerdoti mitrato & throno inſidenti ſupplicare videtur, ad influxu ſuo imbuenda duo vel punica mala vel potius papaveracea capita, quæ manibus geſtat. Rationem hujus inaugurationis verbis Kircherianis ex Oedip. ejus Ægyptiaco l. cit. ſuppeditabo: *Per papaveris hæc capita vel mala punica, Ægyptios nihil aliud intellexiſſe, niſi regnum, in papavere enim & pomo granato natura perfectiſſimam coronam effinxit, & papaver ſemper civitatis ſymbolum exſtitit, quia uti in civitate multi homines habitant, ſic in papaveris capite, quaſi intra eadem mœnia multa ſunt ſemina; & ut civitas in vicos & domos eſt diſtributa, ſic & papaveris caput in multas intus partes diviſum eſt, multaque interſtitia habet.* Hæc Kircherus.

Tab. XII. Fig. 5. Hanc Iſiaci Sacerdotis inaugurationem in Ramaſſæo Obeliſco ſequitur ſerpens atque ſtatua Iſidis averruncæ, ut flagellum in manibus docet, cum SCEPTRO PAPAVERACEO, quibus ſymbolis Apotropææ cultus potiſſimum perſuadetur. Iſis enim, teſte Diodoro, æque ac Ceres legum inventrix eſt, & ideo paſſim *legifera* audit. Sceptrum vero ex Kircheriana quoque interpretatione Papaveraceum, indicat politicam adminiſtrationem, in qua, quod in capite papaveris corona, id in Politico ſtatu Rex aut Princeps; quod in capite contenta ſemina, id in

politica

politica ſubditi; quod denique folliculi diſtincti in papavere, id diverſæ jurisdictiones in Politico ſtatu: atque adeo apposite Isis PAPAVERACEUM SCEPTRUM appoſitum habet. Sceptrum hoc Papaveraceum & ipſa papaveris capita apparent in ſimulacro Canopi, de quo jam dictum, ubi de Ægypto p. 3.

Poſt Iſidem prodeat in medium

MAGNA DEÛM MATER

Dea magna, Dea Cybele, Dindymi magna Domina,

e Catulli elogio, quæ papaveris quoque dona non recuſat. Nec mirum, cum apud ſcriptores & in marmoribus ſæpius cum Iſide & Cerere confundatur & conjungatur. Euripidem produco ex tot auctoribus teſtem in Helen. v. 1317. ubi Cereri, matris Deûm nomen expreſſe imponitur:

Ορεία ποτὲ δρομάδι κώλῳ
μάτηρ Θεῶν ἐσύθη
Αν᾽ ὑλάεντα νάπη,
Ποτάμιόν τε χεῦμ᾽ ὑδάτων,
βαρύβρομόν τε κῦμ᾽ ἅλιον,
πόθῳ τᾶς ἀποιχομένας
Ἀῤῥήτου Κούρας.
Κρόταλα δὲ βρόμια, διαπρύσιον
ἱέντα κέλαδον, ἀνεβόα,
Θηρῶν ὅτε ζυγίους,
ζεύξασα θεὰ σατίναν,
Τὰν ἁρπαθεῖσαν κυκλίων
χορῶν ἔξω παρθενίων. i.e.

Montana quondam veloci pede
Mater Deûm feſtinavit
Per ſylveſtres ſaltus,
& fluvialem fluxum aquarum,

 gravi-

graviterque ſtrepentes fluctus marinos,
Deſiderio amiſſæ
non nominandæ filiæ Proſerpinæ.
Crepitacula vero Bacchica clarum
ſonitum mittentia reſonabant,
Leones quando jugales
Junxit ad ſuum currum,
Raptam filiam rotundis
choris e virgineis quærens.

Sic in Inſcription. Gruter. nov. Oper. Magna Deorum Mater CERARIA dicta eſt, de qua fuſius portentoſi in omni antiquitate acuminis vir, Phil. a Turre de Diis Aquilejenſibus p. m. 311. In Inſcriptione quoque Syntagm. Reineſian. CERERI, MAXIMAE MATRIS appellatio additur. Sed quæris ex me, unde probem Magnæ Deûm Matri, Cereri item & Iſidi papavera fuiſſe dedicata? Δείξω δὲ μύθων τῶνδ' ἀλήθειαν τάχα, ut Euripides in Hippol. loquitur, *oſtendam vero ſermonum horum veritatem ſubito*, & quidem ex elegantiſſimis imaginibus, olim Romæ apud Albericos reperiundis, quas diligentiſſimus Boiſſardus Antiqq. T. III. p. 133. inſeruit, & novo Inſcriptionum Gruterianarum Operi p.
Tab. XIII. 29. intulit ſempiterna ſeculorum memoria reverendus Grævius.
Fig. 1. Monumentum ſiſtit a Martia Otacilla Auguſta Matri Deum dedicatum, in quo cornucopiæ, & tympana & Atys adſtans, & anguis & Dea ipſa, ſimulque πύργωτος ςέφανος ſive turrita corona in capite (uti Phornutus vocat) & leo aliaque Matris Cybeles conſueta ſymbola conſpiciuntur. Ad leonis pedes cum ſpicis bina papavera jacent, hæc quæ dicere volui elucidantia, ut non abſonum dictu judicem, illud, quod in vola dextræ ma-
Tab. XIV. nus ſymbolicæ Deorum Matris, vel Deæ Syriæ ſimulacri (ab Ill. Joh. Petr. Bellorio, viro eruditiſſimo & reconditioris antiquitatis titulis merito commendando deſcripti,) apparet, papaveris eſſe caput; hoc enim facile mihi Italicorum Antiquariorum


Decus






ΙΑΒΑ
BNP


Acriviola flore pleno
Acriviola flore gemello
Acriviola
Fol. quinque fide
Acriviolae Structura
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
Acriviola folia
Pelta Threcidica
Pelta Amazonica



Decus largietur, citius papaveris capiti quam pomo ſimile eſſe; & cum ubertatis ſignum denotare debeat, & a Dea hac provenientem fœcunditatem, papaveri hoc melius quam pomo adaptari poſſe. Exſtabat olim ſimulacrum ipſum ex ære ductum apud Virginium Vrſinum Anguillaræ Comitem, & ex codicibus Pyrrhi Ligorii, in Bibliotheca Reginæ Chriſtinæ adſervatis, Cl. Bellorius deſumpſit, & curioſiſſimo omnique antiquitatis guſtu ſcatente commentario illuſtratum, luci expoſuit publicæ. Idem quod hactenus de Papavere monui, innumeri pæne nummi quoque confirmant, e quibus aliquos tantum exhibeo, qui ἶσον ἐμοὶ φρονέουσι, ut cum Homero loquar. Sic nummus Fauſtinæ filiæ in gazis Regiis Gallicis obvius, in quo Fauſtina Auguſta, in averſa nummi parte Cybele occurrit, ſedens inter duos leones, una manu tympanum, altera papavera geſtans, apud eruditionis nummariæ Coryphæum, Generoſiſſ. Spanheim. de Vſ. & Præſt. Num. Diſſ. 7. p. 624. ſeqq. Edit Amſterod. in 4to. Idem vir Illuſtriſſ. alium promit Diatrib. de Numm. Smyrnæorum, ſeu Veſta & Prytanibus Græcor. Nummum nempe Gabalenſium Phœniciæ ſecundum Strabonem, aut ſecundum Plinium Syriæ urbis, in quo Berecynthia Mater, non quidem *Tab. XIII. Fig. 2.*

Invehitur curru Phrygia turrita per urbes
læta Deûm partu, centum complexa nepotes,

ſed ſedens cum calatho in capite, dextra tenet inter ſpicas papaver: adſtant ſolio in utroque latere leones, cum inſcriptione: ΓΑΒΑΛΕΩΝ, & addita urbis æra Ρ. Ν Β. ſeu CLII. Conſul. hoc de nummo Purpuratorum Patrum eximium Decus, erudiſſimus Noriſius Epoch Syr. Maced p m. 2[?]6. Nummum Tarſenſium e Cimeliarchio Schwarzenburgico, Specim. Rei antiq. nummar. intulit Helvetici gloria gentis, And. Morellus, in quo ſtatua Antonini cum victoriola & haſta ac inſcriptione: ΑΥΤοκρατωρ ΚΑΙΣαρ Τιτος ΑΙΛιος ΑΝΤΩΝΕΙΝος Σεβαστος ΕΥσεβης. Imperator Cæſar Titus Ælius Antoninus Auguſtus Pius. In averſa *Fig. 1.*



parte Mater Deûm πυργοφόρος ſedens, cum leone, uti apparet, alato ad latus, dextra tenens ſpicis immixtum papaver, ad cujus pedes fluvius Cydnus, de quo fluvio & Tarſenſium urbe mox plura. Fig. 2. Eſt & alter nummus, omnium elegantiſſimus & rariſſimus, quem e Muſeo Eminentiſſ. Cardinal. Ottoboni protulit Eruditiſſ. Blanchinus, in Libro Italice inſcripto : *Iſtoria univerſale provata & figurata con Symboli tratti da monumenti, che ſi conſervano de gli antichi* cap. 32. p. m. 568. Nummus eſt Tarſenſium, Commodo imperante cuſus, hinc inſcriptionis titulus : ΑΔΡΙΑΝΗ ΚΟΜΜΟΔΙΑΝΗ ΤΑΡCΟC ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. *Tarſus Metropolis Hadriana Commodiana.* Apparet Dea Syria Mater Deorum turrita in capite corona, in rupe ſedens, veſte induta, qualem ſupra jam laudatus Bellorius in imagine hujus Deæ exhibet; quamvis loci anguſtia in hoc nummo non exacte Zodiaci ſigna exprimat. Dextra tenet ſpicas & papaver, latusque claudit alatum animal, uti in priori nummo.

Ad

Ad pedes juvenis radiato capite, inſtar Solis orientis, horizontem illuſtrantis, ſurgit. Pars altera nummi ob inſolita, quæ in illa exhibentur, majorem admirationem meretur. Coronæ nempe e foliis contextæ bini palmæ rami incluſi, e corona florum loco prodeunt octo capita, quinque virorum, tria fœminarum. Quantum e lineis vultus maſculorum colligere licet, crederes Hadrianum, Antoninum, M. Aurelium, L. Verum & Commodum indigitari; fœminei vultus autem Fauſtinam minorem, Lucillam, & Criſpinam oculis exhibent, cum circumſcriptione ſequente: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΙΛΙΚΙΑC ΤΑΡCΟΥ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥ, *Commune Ciliciæ bis Neocoræ*. Videntur igitur per hunc nummum & fundamenta & incrementa ac reſtauratio urbis hujus deſignari. Dea Syria enim innuit Aſſyriæ Monarchiæ ſubjectam fuiſſe, a Sardanapalo quippe conditam, ſi Straboni fides habenda. Solis effigies cultum Soli a Syris exhibitum innuit; Palmæ a Phœnicibus ortum gentis hujus deducunt: Φοίνιξ enim palma. Capita papaveris & ſpicæ fertilitatem regionis in producenda ſegete, & uberrimum opii e Tarſenſi vicinia proventum indicant, quod in hunc usque diem Ciliciam, cujus Metropolis Tarſus, promere Bellonius Libr. 3. Obſerv. c. 15. teſtis eſt. Crederem inſuper, papaver Ciliciæ vel Tarſenſe generoſius pro podagra debellanda ſuppeditare remedium, quam frigidiſſimas Cydni fluminis aquas, Alexandro Magno fere, ſecundum Curtium Libr. 3. c. 5.; Friderico autem Imperatori, Barbaroſſæ dicto, vere lethales. Podagricis vero mederi Cydnum fluvium, poſt Strabonem Plinius refert libr. 31. cap. 1. cui Vitruvium jungimus Lib. 8. c. 3. p. 159. Edit. Laët. Averſam nummi partem quod concernit, Tarſum inſtauratam, oculis omnium exhibere videtur. Palmæ rami & corona, Certaminum Imperatoribus, cum Divorum numero adſcripti eſſent, dicatorum, evidentia ſunt indicia. Civitatibus conceſſa Neocoria in gloriam Imperatorum & pro eorum ſa-

luce ſacra publica faciendi, & certamina inſtituendi facultas ſæpius ab Auguſtis ſecunda, imo tertia vice, data eſt. Innuit hoc Inſcriptio ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Primam Neocoriam videtur ab Hadriano Tarſenſium civitas obtinuiſſe; ſecundam a Commodo, quippe in nummi inſcriptione audit: ΑΔΡΙΑΝΗ ΚΟΜΜΟΔΙΑΝΗ ΤΑΡΣΟΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. *Hadriana Commodiana Tarſus Metropolis.* Capita florum inſtar e corona prodeuntia, Auguſtos Auguſtasque produnt, quorum favor incrementa dedit urbi, Metropoleosque ſplendorem. Hadrianus equidem, qui Spartiano ſcribente Edit. ult. Haakian. p. 126. *per Aſiam iter faciens, templa ſui nominis conſecravit*, ſine ullo dubio favoris uberrimi ſigna huic civitati quoque contulit. Tot enim nummi a Tarſenſibus cuſi, gratiſſimæ in hunc Auguſtum Tarſenſium mentis teſtes uberrimi. Sic apud Rev. P. Harduinum, Societatis a Jeſu dictæ doctiſſimum Presbyterum, de Num. Pop. & Vrb. nummus cum fluvio Cydno decumbente, & inſcriptione: ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. Item nummus in Cimeliarchio Regio in Antinoi honorem, Cæſaris Amaſii, cuſus, cum inſcriptione: ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Apud Cl. Valentium, impenſe in hoc ſtudio nummario doctum, de Numm. Græcis p. 36 nummus ſe viſui offert, cum Jove ſedente & dextra pateram tenente, ad pedes aquila cum inſcriptione: ΔΙΟΣ ΤΑΡΣΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Jovis Tarſenſium Metropoleos*, quo ſub Jovis ſigno Hadrianum coluere. Imo multa ſunt, quæ me movent, ut ædificia illa in Tarſenſi urbe ab hoc Imperatore inſtaurata, illa ipſa exiſtimem, quæ nummi M. Aurelii quinque exhibent, in quorum uno templum X. columnarum, cum inſcriptione: ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, quem e muſeo Dn. Faucault Cl. Valentius Operi de N. Græc. inſeruit, quod templum in nummis Auguſti & Nervæ jam obvium, ab Hadriano forte inſtaurationi adaptatum, ab Antonino poſtea & M. Aurelio conſummatum. Alius Tarſenſium nummus e Cime-

liarchio

liarchio Regio apud eundem Valentium l. c. Templum VI. columnarum exhibet, cum inſcriptione: ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. Rurſus alius nummus cum obeliſco ſeu ædificio quodam fornice cincto, cui adſtant duæ figuræ, inter quas icuncula, cum inſcriptione: ΑΔΡΙΑΝΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. quæ omnia dilucidiſſime probant, quare Tarſus vocetur Hadriana, & cur effigies ejus in Auguſtifera hac nummi corona appareat. Et Commodum quoque huic urbi plurima contuliſſe, tot nummi, ab illis in ejus cuſi honorem, loquuntur. Secundam enim ab hoc Imperatore Neocoriam accepiſſe, jam ſupra innuimus, huicque templum erectum fuiſſe, teſtis eſt nummus apud Cl. Valentem, in quo duo templa octo columnarum; in prioris zophoro (pars hæc eſt ſupra epiſtylium) ΚΟΙΝΟΝ & in altero ΚΙΛΙΚΙΑϹ. Imo certamina in gloriam Imperatoris hujus a Tarſenſibus inſtituta fuiſſe, teſtatur nummus Tarſenſium cum templo X. columnarum, in cujus zophoro ΚΟΜΟΔΕΙΑ. i. e. *Certamina in Commodi honorem.* Clarius hoc evincit alius Tarſenſium ſub eodem Imperatore cuſus nummus, apud Cl. Valentium reperiundus, cum corona e radiis compoſita, & inſcriptione: ΤΑΡϹ. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΜΟΔΕΙΟϹ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. *Tarſi Metropoleos Commodianus* ἀγὼν *bis Neocoræ.* Certamina hæc Commodeia Pythia fuiſſe, corona e radiis compoſita denotat. Commodus autem Apollo vocari gloriabatur, teſtibus nummis, ubi Apollo monetalis dictus. Vox ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ Oecumenicum Certamen i. e. univerſale, ad quod e toto terrarum orbe athletæ reciperentur, deſignat. Reliquæ Auguſtorum Auguſtarumque imagines ſine dubio illorum ſunt, quorum beneficia publica in Tarſenſes cumulata & collata exſtabant. Sic apud Cl. Valentium nummus Alexandri Severi, cum inſcriptione: Αλεξανδροπολεως ταρσου Δη. ubi Vir eruditiſſimus legendum credit *Demetria*, ſive Cerealia certamina a Tarſenſibus inſtituta; ſed hoc de

elegan-

elegantiſſimo nummo, quem cum Tarſenſium alio oculis ſubjecimus, ad majorem quandam lucem illius, in qua verſamur, de Matre Deorum diſquiſitionis dicta ſufficiant.

Papaver porro in ſacris Rheæ ſive Cybeles locum inveniſſe, ΚΕΡΝΟΣ & ΚΕΡΝΟΦΟΡΙΑ teſtatur. Sunt autem vocis hujus variæ ac plane diverſæ ſignificationes. Corſica Inſula κύρνος ab Herculis filio Kyrno dicta, κέρνος quoque vocatur, & a Lycophrone in Alexandra κερνεᾶτις.

Οἱ δ᾽ αὖ πελασγῶν ἀμφὶ Μέμβλητος ῥοὰς
Νῆσόν τε κερνεᾶτιν.
Alii rurſum Pelaſgi circa Membletis vada
Et inſulam Cerneatîm.

Ad quæ verba ejus Scholiaſtes, Iſaacius Tzetzes, κερνεᾶτιν. Τὴν κέρνου νῆσον, παράγωγον ἀντὶ τοῦ πρωτοτύπου, κερνεᾶτιν εἶπεν. i. e. *Cerneatin, Cerni inſulam, derivativum pro primitivo* κερνεᾶτιν *dixit.* Eruditiſſimus Bochartus,

- - - Grande Muſarum decus,
Albo perennitatis inſcriptum caput,
Orientis aſtrum, cujus accenſas faces
Miratur orbis,

utriusque nominis κύρνου & κέρνου nomina ab Ebræo קֶרֶן *cornu* deducit, quia multis promontoriis angulosa, teſte Iſidoro libr. 14. Quam ob cauſam Cyprus olim κεράςις, quaſi *Cornuta* vocata. Vid Clar. Hill Not. in Dionyſ. Perieges. p. 188. Imo juga montium & omnia ſumma paſſim *cornua* vocata fuiſſe, non inepte ſuſpicatur multijugæ lectionis & eruditionis vir, Clar. Wormius de Cornu Danic. p. 9. id quod e Lycophronis Caſſandra, & Pindaro probat, qui ὑψικέρατον πέτραν uſurpavit pro ὑψηλὰ ἀκρωτήρια, altas ſummitates. Sic Pollux quoque κέρνα appellari ait πλαγίας δύο τραχύτητας τῶν ἑπτὰ, αἱ περὶ τοῖς νώτοις ἀνιςᾶσιν, *duas obliquas aſperitates e ſeptem illis, quæ in dorſo aſſurgunt.* Sed hæc omnia non ad κέρνον, de quo nobis agendum.

Propius

Propius accedit Muſonius Philoſophus de Luxu Græcorum, a Stephano Nigro congeſtus, cap. 2, qui definit κέρνον *vas teſtaceum, multa in ſe compacta continens acceptabula.* Æque ac κέρας ſive cornu Græcorum pro vaſe frequentius uſurpatur, ſicut & *Keren*, Ebræa vox, pro vaſe ſumitur: & nomen *Keren Happuch* filiæ Jobi, Excell. Fridericus Spanheimius per *vas elegans* interpretatur, modo in veteri fœdere haud inuſitato, ubi vaſa indignationis, fragrantiæ, violentiæ, pro hominibus paſſim obvia. Vid. Ejus Hiſtor. Jobi c. XV. p. 515. 516. quamvis ejus frater, Illuſtr. Ezechiel Spanheimius de Vſ. & præſt. Num. illud aptius de ſplendore gemmæ ſive lapilli accipi credat. Græcorum ille Plinius, Athenæus, Deipnoſophiſt. opere, quod Bibliothecam omnium veterum Hiſtoricorum, Poëtarum, Philoſophorum, qui temporum injuria ſunt amiſſi, (e Neandri judicio) complet, omnium optime declarat, quale vas κέρνος exſtiterit, quod ſacerdos in ſacris Rheæ ſive Cybeles portare ſolebat, quibusque rebus, haud excluſo papavere, fuerit repletum. Sic enim ille: κέρνος ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἔχον ἐν αὐτῷ πολλοὺς κοτυλίσκους κεκολλημένους, ἐν οἷς φασὶ μήκωνες λευκοὶ, πυροὶ, κριθαὶ, πίσοι, λάθυροι, ὦχροι φακοί. Ὁ δὲ βαστάσας αὐτὸ, οἷον λικνοφορήσας, τούτων γεύεται, ὡς ἱστορεῖ Ἀμμώνιος ἐν τρίτῃ περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν. Cer„nos fictile vas, cui agglutinatæ ſunt exiguæ cotylæ multæ, in „quibus alba ſunt papavera, triticum, hordeum, piſum, ervilia, „cicercula, lenticula, faba, zea, avena, caricarum offa, mel, „oleum, vinum, lac, illota ovis lana. His veſcitur, qui fert Cernos, „ut qui ciſtam geſtaverit, ut refert Ammonius libr. III. de ſa„crificiis & altaribus. Conſentit Athenæo Heſychius: κέρνεα ἀγγεῖα κεραμεῖα, καὶ τὰ τῇ μητρὶ τῶν Θεῶν ἐπιθυόμενα. *Vaſa fictilia & Matri deorum libata* ſive ſacrificata. Hæc ſacerdos Virgo, ſacrorum Matris Deorum antiſtes, κρατῆρας μυστικοὺς κέρνους vocatos ferebat: hinc ζάκορος κερνοφόρος dicta. Nicander porro lucem dat, cum Scholiaſte. Sic enim Poëta in Alexipharmacis:

Ἤ τε κερνοφόρος ζάκορος βωμίστρια Ῥείης.
Cernum ferens virgo ſacrifica Rheæ.

Scholiaſtes ejus tradit, intelligi κέρνοις μυστικοὺς κρατῆρας ἐφ' ὧν λύχνους τιθέασιν, & inde κερνοφόρον ζάκορον dici τὴν τοὺς κρατῆρας φέρουσαν ἱερείαν. E quibus hactenus recenſitis, ὁ πάνυ Caſaubonus,

cui Athenæum & totas debemus Athenas,

Not. & Animadvers. in Athen. p. 796. elicit, proprium earum fuiſſe miniſterium, quas vocabant *cernophoras*, e religionis avitæ ritibus ad ſacra κέρνον deferre, ſicut alios ob ſimile miniſterium *licnophoros*, *ceſtophoros*, *oſchophoros*, *thyrſophoros*, *paſtophoros* dictos. Ex ultimis vero verbis loci ex Athenæo adducti: (ὁ δὲ βαστάσας αὐτὸ, οἷον λικνοφορήσας, τούτων γεύεται, qui vas illud κέρνον tanquam vannifer vel ciſtifer geſtat, iis veſcitur) colligere licet, vannum & κέρνον & cum illo Pancarpiam & fructuum omne genus, (quos inter & papaver) continuiſſe. Nam ſecundum Harpocrationem in Lexico Edit. Blancard. p. 251. τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν. Ὁ τοῦτο οὖν φέρων λικνοφόρος λέγοιτ' ἄν. *Vannus in omnibus initiationum ritibus & ſacrificiis uſum habet. Qui vannum fert, vannifer dicitur.* Addit Cl. Blancardus in Diſſertatione Critica de Harpocrat. ejusque ſcriptis, λικνοφόρους aliquando viros, aliquando fœminas dici. Crederem porro, κέρνον vanno impoſitum fuiſſe, quam tamen ſententiam nemini, forte acutius inſpicienti & ſentienti, obtrudere volo. Pollux in Onomaſtico meminit κερνοφόρου ὀρχήματος. Adſcribamus textum ipſum libr. IV. cap. 14. p. 409. Edit. Hemſterhuis. τὸ γὰρ κερνοφόρον ὄρχημα οἶδα ὅτι λίκνα, ἢ ἐσχαρίδας ἔφερον. κέρνα δὲ ταῦτα ἐκαλεῖτο, *Nam de Cernophora ſaltatione ſcio, quod* λίκνα (vannos) *vel craticulos ferebant, quæ* κέρνα *appellabantur.* Athenæus Deipnoſophiſt. libr. 14. cap. 7. p. 629. Edit. Caſaub. inter furioſas refert ſaltationes: Μανιώδεις δ' εἰσὶν ὀρχήσεις κερνοφόρος καὶ μόγγας, καὶ θερμαυστρὶς *Furioſæ ſunt ſaltationes, Cernophoros, Mongas, Thermauſtris.* Aſſenſum præbet Muſonius

nius Philoſophus de Luxu Græcorum, a Stephano Nigro congeſtus, cap. 6 & inter inſanas has tres ſaltationum ſpecies refert. Vid. Cl. Meurſii Orcheſtram. An vero ſaltatio hæc cum cernophoria aliquid commune habuerit, Oedipo aliquo conjectore, qui Sphyngi interpres fuit, aut urinatore Delio indiget, uti & κέρνος ςεφανὶς apud Heſychium; qui porro addit, κερνοφόρος, ὁ τὰς θυσίας ἄγων. *Cernophorus, qui libamenta adducit.*

PROSERPINAM

Matri Cereri filiam jungimus, in cujus tutela papaver quoque fuiſſe, elegantiſſimi nummi & gemmæ evincunt. Binos Sardianos huc collineantes eruditiſſimus Seguinus nobis promit. Exhibet primus æreus, & quidem maximus, in antica parte caput muliebre cum velo, ſub quo corona ſpicea cum papaveribus cernitur, hac inſcriptione: CAPΔIC ACIAC ΛΥΔΙΑΣ ΕΛΛΑΔΟC A MHTPOΠOΛIC. *Sardis Aſiæ, Lydiæ, Græciæ prima Metropolis.* In averſa Pluto in quadrigis, caput velo volitante circumdatus, ſuæ divinitatis ſymbolo, ſiniſtra ſceptrum tenet, dextra Proſerpinam rapit. In aëre volitat Cupidinis larva quædam; ſub pedibus equorum jacet vaſculum: annon quaſillus Proſerpinæ, aut calathus floribus colligendis, quibus abundabant prata Ennenſia, ubi ſpatiabatur KOPH tum, cum Ditis thalamo digna viſa eſt: Inſcribitur nummus. EΠI COTA ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑΣΙΑΡΧ. CAPΔIANΩN B. NEΩKOPΩN. Videtur nummus hic e maximis Cl. Segvini, qui in nummariis dubiis oraculi loco, cuſus tempore Gordiani tertii; Hermophilus quippe, Sardianorum ille Aſiarcha, etiam notatur in averſa parte nummi hujus Imperatoris apud Occonem in Gordiano Tertio. Conjicit porro, hanc in nummo expreſſam Proſerpinam, Tranquillinam Auguſtam Gordiani III. Imperatoris conjugem. In altero Sardianorum numiſmate itidem æreo, ſed mediocris magnitudinis,

Tab. XV. Fig. 1.

Tab XV. Fig. 2.

gnitudinis, caput eſt fœmineum, partim velo (Sardianæ juriſdictionis & *ἀυτοκεφαλίας* indice, teſte R. P. Harduin. in Chronol. Vet. Teſt. p. 179.) partim corona turrita inſigne, ipſamque urbem denotat, addito nomine ΣΑΡΔΙϹ. In averſa parte videre eſt figura Proſerpinæ, ornatu ſingulari decoræ, & ſtantis inter ſpicam frumentariam ac papaver, conſueta Cereris inſignia, cum inſcriptione: ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Licet hunc nummum illuſtriſſimus Spanheimius de Nummo Smyrnæorum Cereri vindicare videatur; Clariſſimus Valentius vero de Nummis Græc. in Nummo Septimii Getæ, ab Hypæpenis cuſo, Dianam Perſicam, cui templum Hypæpis, teſte Pauſania libr. 5. erectum, vel Junonem pronubam eſſe credat: attamen in nummo Juliæ Domnæ ad Proſerpinam, ſpicam inter & papaver ſtantem, refert; de Numm. Græc. pag. 94. Sic Proſerpina quoque in

Tab. XV. Fig. 3. & 4. nummis Cyzicenorum, urbis Helleſponti celeberrimæ conſpicua, de quibus jam actum eſt, ubi de hac urbe. Hic ulterius annoto, quod in primo ab Excell. Valentio in Select. Numiſm. in ære maxim. modul. e Muſ. Abb. de Camps p. 36. exhibito, Fauſtina ſub Proſerpinæ Servatricis nomine, ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ repræſentetur. In averſa nummi parte ſignata eſt Ceres, Proſerpinæ mater, in curru a duobus draconibus tracto, utraque manu faces gerens, cum raptam a Plutone filiam quæreret. In altero Cyzicenorum nummo eadem Fauſtina ſub Proſerpinæ imagine exhibetur ab Illuſtriſſ. Buonarroti nel Oſſervat. Iſtorich. ſopra alcuni Medaglion. antich. p. 71. Caput, ut in priori, ſpicis papaveribusque redimitum, cum inſcriptione: ΚΟΡΗ ϹΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. In averſa parte oculis ſe offert AEſculapius & Hygeja, ſanitatis præſides, comite cucullato Teleſphoro, de quo plura, in Schediaſmate præli mox carceres ſentiente. Inſcriptio vetuſtate corroſa, hæc tantum exhibet :: ::CΤΡΑ ΑΥΡΗΜΟ :::: ΝΕΩΚΟΡΩΝ. SVB PRAET. AVRE MO :: :: :: NEOCORORVM,

Spectat

Spectat huc quoque nummus Familiæ Caſſiæ apud Fulv. Vrſinum, in cujus una parte Bacchus hedera coronatus, in altera Proſerpina, cujus caput vitis foliis & papaveribus exornatum. Hujus nummi uberior mentio, ubi de Baccho, injicitur. *Tab. XV. Fig. 5.*

Hæc omnia ſi non ſufficiant, indubium argumentum pro papavere Proſerpinæ amico capimus ex Vaſculo Onychino Sereniſſimi Luneburgenſium Ducis, Eggelingiano commentario illuſtrato. *Tab. V.* Cereri matri geminas tenenti faces flammis æthereis accenſas, & a Plutone raptam filiam, terrarum in regionibus cunctis quærenti, adſtat pone Proſerpina, dextro humero cum pectore & pedibus nudatis, quibus ver depingi videtur, & dulcia gelidæ divortia brumæ; hinc floriparum *Cerealis papaveris* caulem ſiniſtra extollit, reſpiciens autem retrogradientem poſt ſe contemplatur ſolem. Cererem ante & Proſerpinam viſui ſe offert maſculus barbatus, caput vitta vel faſcia redimitus, cætera nudus, Vertumnus nempe, nuditate torridam æſtatem exhibens, cui adſtat marito conjuncta uxor, ſoccis induta, in caniſtro poma præferens, Pomona,

Quæ rus colit & ramos, felicia poma ferentes,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus,
Vnde tenet nomen.

Autumnum deſignans. Quæ omnia doctiſſimum Eggelingium, hæc probe ponderantem, moverunt, ut per IV. hæc ſigna quatuor anni tempora non inepte denotari crederet; ita ut Ceres frugifera, in qua æſtatis ſemper veſtigia quærunt antiquitatis amaſii, hic hyemem facibus inſtructam adumbret, & ſubterraneum calorem, qui hyemis tempore a circumſtante frigore incluſus, radices frugum mirifice auget, ſeminibusque vim impertit percoquendi alimenta, aut augeſcendi. Huic Eggelingianæ opinioni favere videtur, quod Ceres pulchram comam mitella textili, qualem Græcis mulieribus Apulejus tribuit, contra frigus munierit. Sed ad Proſerpinam redeo, a qua elegantiſſimum hoc vaſculum extra oleas divagantem abduxit,

cujus calathus conſpicitur, in quo flores in campis pratisque Ennenſibus lectos repoſuerat; quos inter papaveris quoque fuere. Hinc Celeberrimus Triſtanus locum Virgilii Æn. libr. VI.

- - - - Manibus data lilia plenis
Purpureosque ſpargam flores,

de papaveribus interpretatur, cum papaveris ſuccus illos, qui opio abutuntur, mortuis ſimiles reddat, ſoporem conciliando. Hinc papavera Proſerpinæ ſacrata credit, & Artemidorum libr. 1. c. 79. ac Ælianum Hiſt. Animal. libr. 16. c. 12. citat, in quibus tamen nil ſolatii pro firmanda hac reperi ſententia. In Gemmis Jacobi Stephanonii Proſerpina eſt, ramum ſiniſtra, dextra ſecundum Stephanonium, mala punica, mea tamen conjectura, capita papaveris tenens; cui ſequens ſubjunctum Epigramma:

Plutonis dum rapta ſubit Proſerpina regnum,
Mæſta Jovem genetrix conſcia facta petit.
Juppiter hinc reducem ſuperas decernit ad auras,
Dummodo tartareas neſciat illa dapes.
Punica guſtaſſet cum mala, æqualiter anni
Diviſere ſuas, DIsque Ceresque, vices.

Firmat meam pro papavere ſententiam præ Punicis malis, quod hæc tanto Ceres cum Proſerpina proſecuta fuerit odio, ut uſus illorum in Theſmophoriis & Eleuſiniis ſacris prohibitus fuerit, cum papaver utriſque fuerit amiciſſimum. Vt ſilentio tranſeam, mala Punica & papaveris capita ſæpius confundi. Contingit illis, quod Plinio. Quia enim malum punicum ῥοιὰ dicitur, & Μήκων ῥοιὰς, ſive papaver erraticum; ex utroque monſtrum confinxit Punici ſylveſtris, cujus radicis cortices rubri, denarii pondere



dere poti, ſomnos faciant. Vid. Plin. libr. XXIII. c. 5. Idem iſle papaver *Rhœan* perperam appellavit, quaſi ὁ ῥοιὰς diceretur, unde & idem cum ῥοιᾷ, quæ Punicum malum ſignificat, errore nominum ſtatuit. Eſt ἀγρία ῥοιὰ malum Punicum ſylveſtre. Eſt & ἀγρία μήκων, quæ & ῥοιὰς, Plinio Rhœa vocata. Hinc illæ lacrymæ. Vid. ὁ πάνυ Salmaſius in Proleg. Hyl. Jatric. p. 3.

DIANA

DIANA

Succedat Proſerpinæ, cum & ipſa ab Æſchylo non Latonæ, ut vulgus Mythologorum credidit, ſed Cereris filia, eſſe tradatur. Latona autem tantum nutrix & σώτειρα fuit. Dianæ hujus encarpum, e collo dependentem, e variis fructibus concinnatum fuiſſe, quos inter poma emicant & *papavera*, auctores tradunt. Audiamus hujus Dianæ Epheſiorum ſtatuæ interpretem doctiſſimum, Claudium Menetrejum, Ceimeliothecæ Barberinæ Præfectum: *Papavera*, inquit, ob multiplicem cauſam Dianæ accepta oblataque fuerunt, ceu fertilitatis præcipue ſymbolum, tum quod ejus fructus; ſecundum Phurnutum, Telluris imaginem exprimere videtur, tum ob vim ſomniferam Lunæ, (quæ eadem ac Diana) nocturnoque tempori convenientem. Addimus rationem Cl. Tollii, quæ eſt, ut fœcunditas innuatur, quam Luna, ſive Diana, rebus mundanis præſtat. Sic reperitur nummus cum Diana multimammia, papavere & ſpicis exornata, cum inſcriptione: ΕΠΙ ΑΤΡηλία ΘΕΑΡΧΗΩ. - - - ΩΝ. quem videſis in Theſaur. Maurocen. ab eruditiſſimo Patino edito cap. XII. inter Numiſm. Græc. Imper. Roman. ex ære. p. 109. Huic conſimilis apud Eminentiſſ. S. R. E. Card. Noriſium de Epoch. Syro-Maced p. 544. occurrit Marci Aurelii Cæſaris nummus, a Neapolitana Syriæ Civitate cuſus, in regiis Galliarum Regis gazis obvius, in cujus antica parte viſitur caput M. Aurelii Cæſaris ſine Laurea, patre adhuc ſuperſtite & genis (*non genibus*) levi tantum barba obductis, cum inſcriptione: Αυρήλιος Καῖσαρ Ευσεβοῦς ΣΕΒάστου υἱὸς (non ut Harduinus legit Ευσεβὴς, cum nusquam M. Aurelius in nummis aut lapidibus PIVS inſcriptus legatur) *Aurelius Cæſar Pii Auguſti Filius.* In poſteriori parte nummi apparet Diana Epheſia πολύμαστος, dextra *papaver*, ſiniſtra ſpicas tenens, cum inſcriptione:

Tab. XVI. Fig. 1.

Tab. XVI. Fig. 2.

Tab XVI.







ſcriptione: ΦΛ. ΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡΙΑC ΠΑΛΑΙCΤ. Flaviæ Neapoleos Syriæ Palæſtinæ. Epocha ΕΤ. ΠΗ, Annum LXXXVIII. ſignificat. Nummis his ſtatuam jungimus, deſumptam e marmorea baſi Tiberiani Coloſſi, erecti ob civitates Aſiæ reſtitutas poſt horrendos terræ tremores, notis & obſervationibus Laur. Theod. Gronovii illuſtrati. Exhibetur urbs Epheſos ſub ſchemate hominis ſtantis tutulati, flammam ardentem in capite ferentis, incendii Heroſtrati præſagam, e cujus ruinis Epheſii propriis ſumptibus aliud ſplendidius & magnificentius templum erexerunt; manu dextra tenet faſciculum ſpicarum intermediis *papaveribus*, teſtibus fertilitatis Epheſinæ uberrimis; ſic in aliis, baſi marmoreæ Coloſſi hujus affixis, ſtatuis Tmolus vite, Moſtene fructibus & nuce, Apollonidea cucurbita celebratur. A dextris ſtatuæ eſt Diana Epheſia turrito & velato capite, cum mammis & verubus, a Summo Viro L. Holſtenio explicatis. Poſita eſt Diana hæc non in marmore ſtriato, ſed in ſtipite arboris fagino, quod fuſe demonſtrat Excell. Gronovius loc. cit. *Tab. XVI. Fig. 3.*

JUNONI LUCINÆ

Papavera dicata fuiſſe ab antiquitate, Cl. Mindererus innuit, in Threnod. Medic. ſive Planctu Medic. lugent. cap. 2. p. 62. ſed e quo fonte hæc hauſerit, latet. Exſtat autem nummus Samiorum Gordiani, in cujus averſa parte Juno velata Samia, cum calatho ſupra caput, & verubus utraque manu inſtar Dianæ Epheſiæ; prope eam modius cum ſpicis & in medio protuberantia (niſi me omnia fallunt) papaveris capita, cum inſcriptione: CAMIΩN. Nec eſt, quod quis regerere velit, Junoni, cui Samos dicata erat, ſecundum Virgil. Æn. l. 1.

Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo)

non competere papaver; *Juno* enim eadem eſt ac *Diana*, ceu erudite, uti ſolet, ex omni antiquitate eruit Illuſtr. Spanheim. Not. in Callimach. p. 285. quo ſimul comprobatur id, quod a Servio dictum ad Virgil. Georg. libr. I. v. 5. item LVNAM, eandem DIANAM, eandem CEREREM, eandem JVNONEM, eandem PROSERPINAM eſſe.


Cum Orpheo Hymn. in Cerer. Δημήτηρ audiat βρομίοισι συνέστιος, eodem cum Baccho habitans Lare, non inconſultum duximus,

BACCHVM

Cereris Natis annectere, cum & Cereris filius eſſe ſtatuatur apud Diodor. Sicul. Libr. III. p. 196. & aratri ac ſationis inventum Baccho æque ac Cereri fuerit tributum, teſte eodem Diodor. L. 2. p. 104. & libr. VIII. p. 494. Hinc Romanorum Vett. eruditiſſimus de Re Ruſtica libr. I. c. 1: *Horum fructus maxime neceſſarii: ab his enim cibus & potio venit e fundo.* Ideo quoque Baccho Αἰσυμνήτῃ ſacra Achæi faciebant ἀσταχύων ἐστεφανομένοι τὰς κεφαλὰς, *corona ſpicea caput redimiti*, uti in Cereris ſacris fieri ſolebat, ſcribente Pauſan. L. VII. c. 20. p. 573. Hanc ob rationem quoque inter Deos ruſticos frugiferos, & arborum cuſtodes, merito eum collocarunt Ægyptii ac Græci, & a Phornuto nominatur τῶν ἡμέρων δένδρων ἐπίσκοπος καὶ δωτὴρ θεὸς; & hoc eo magis, quod τῶν ἀκροδρύων καὶ ὅλος τῶν φυτευτικῶν ἡ δύναμις Διόνυσος ὀνομάζεται. h. e. quod Bacchus ſumatur pro virtute, ſemine & ſubſtantia omnium arborum, plantarum & fructuum. Vid. Illuſtr. Triſtan. T. II. Comment. Hiſt. dans l'Explicat. d'une Vaſe antique d'Agatte du Threſor de l'Abbaye S. Denys en France. Huic non abſonum illud Theon. ad Arat. p. 137. edit. Oxon. ubi ſimul ratio conjunctionis Cereris

Tab. XVII





reris & Bacchi traditur: διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὴν Δήμητρα συγκαθιέρωσαν, αἰνιττόμενοι τὸ γόνιμον τῆς ὑγρότητος: *ideo etiam veteres Bacchum juxta Cererem conſecrarunt, innuentes humidi vim genitalem.* Quadrat huc illud γνωμοτύπε Euripidis Bacch. v. 274. ſeqq.

δύο γὰρ, ὦ νεανία,
τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι Δημήτηρ Θεά,
Γῆ δ' ἐςὶν, ὄνομα δ', ὁπότερον βέλει, καλεῖ.
Αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτὲς
ὁ δ' ἦλθ' ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος.

Duo enim, o *adoleſcens*,
Præcipua ſunt *inter homines*, *Ceres Dea*,
(*Terra autem eſt* Ceres, *nomine vero utro* vis hanc *appella*)
Hæc quidem ſiccis alimentis *alit mortales.*
Sed præſtat contrarium Semeles filius.

Sic inſtituta in amborum honorem Θαλύσια poſt fruges comportatas, quaſi in gratiarum actionem propter ejus anni fertilitatem, uti ex Scholiaſte Homeri, Etymologico magno & Menandro Rhetore, probat Grajæ antiquitatis vindex, Meurſius in Græc. feriat. Libr. 4. In vaſe Onychino, Cl. Eggelingii doctiſſimis commentariis illuſtrato, communia Cereris & Bacchi myſteria exhibente, (num Eleuſinia fuerint, an Theſmophoria, lis inter Cl. Viros, Eggelingium & Fellerum, occaſione cenſuræ in Actis Eruditorum Lipſienſibus latæ, acerbiſſima eſt exorta, quam noſtram non facimus,) in quo Ceres, Proſerpina & Bacchus conſpiciuntur, Hierophantis ſive Meliſſa, eadem enim vox Cereris ſacerdotem denotat, dextra affert porculum, ſiniſtra papaver, victimas utrique communes & ſacras, de quibus pluribus jam de Cerere & Proſerpina actum eſt. *Tab. V.*

Jungimus huic Onychino Vaſi, Triumphum Bacchi in Cameo elaboratum, Muſei Eminentiſſimi Cardinalis Carpinei *Tab. XVII*

ſive Carpegnæ cimelium, & illuſtris Phil. Buonarotti eruditiſſima explicatione omnium oculis expoſitum. Expreſſit hac in gemmâ, polydædala artificis manus colorum varietate ea, quæ penicillo vix exprimi poſſunt, quam diligentiam chalcographus καδδύναμιν eſt æmulatus. Currui huic triumphali juncti ſunt Centauri, Baccho ob vini amorem dicati, de quibus Virgilius, Latina Siren, Georg. Libr. 2. v. 453.

Bacchus & ad culpam cauſas dedit; ille furenteis
Centauros leto domuit; Rhœtumque Pholumque
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Centaurus ſiniſtri lateris, dextram quidem porrigit, ſed cum abſciſſa iſta ſit, vel vetuſtate detrita, quid illa geſſerit, vix conjectura aſſequi licet: ſiniſtra accenſam facem præ ſe fert, in Bacchi orgiis geſtatam. Cornu in ſiniſtra manu alterius Centauri, crateres poculaque e cornibus parata denotat, de quibus jam, ubi de *Cerno*. Sufficiat hic teſtem adduxiſſe Nemeſianum Eclog. 3.

Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco.

Altera manu thyrſum tenet, de quo Poëta:

Subtilibus Liber committit prælia thyrſis.

Binis Centauris junctæ quoque fœminæ, currui huic triumphali annexæ, quarum una tympanum tenet manibus, humeri hinnuleis tecti pellibus, νέβροι Græcis dictæ, & Bacchantibus in ſacrificiis uſitatæ, de quibus Lactantius, vel ſecundum nonnullos rectius Lutatius, in Libr. 2. Theb. Statii: *Pelles damarum, quæ Græce νεβρίδες appellantur.* Bacchus currui ceu vini victor inſidet, eo plane modo, uti illum depingit Sidonius Apollinaris, in carmin. XXII. v. 31. Muſis & Apolline digno:

Cantharus & thyrſus dextra lævaque feruntur,
Nec tegit exertas, ſed tangit palla lacertos.

Imberbis juvenis apparet, quippe ſecundum Tibullum Libr. I. Eleg. 4. v. 33.

Solis

Solis æterna eſt Phœbo Bacchoque juventa:
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Et Seneca, ſolus Latinorum Tragœdus, Hippol. in Chor. Act. 2.

Intonſa juvenis perpetuum coma.

Caput hedera coronatum: hinc Orpheo in hymn. κισσόβρυος, *hederigerminans*, & κισσοχαρής, *hederam amans*, vocatur. Placuit artifici capillos & Bacchi & Cereris exprimere flavos, qualia tempora attribuit Baccho Nemeſianus Eclog. 3:

Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.

Ceres Bacchi in triumpho latus claudens illumque amplectens, ſiniſtra ſpicas tenet & papavera. Revera ſic apparet Bacchus ceu πάρεδρος Δαμάτερος, ut Lyricorum principi appellare hunc Deum placuit; ad quæ verba Scholiaſtes Pindari: πάρεδρον δὲ Δήμητρος εἶπεν τὸν Διόνυσον, κατὰ μὲν τὸν μυστικὸν λόγον, ὅτι παρεδρεύει ἑαυτῇ, ὁ ἐκ Περσεφόνης [illegible]ονως ζαγρεὺς Διόνυσος ὁ κατά τινας, Ἴακχος. κατὰ δὲ τὸν Φυσικὸν λόγον, ἐπειδὴ τῇ ξηρᾷ τροφῇ, ἣ ἀνάκειται τῇ Δήμητρι, παρέπεται ἡ τοῦ οἴνου χρῆσις. ἢ ὅτι ἡ σαφ[illegible] ἐδωδίμη ἐστὶ, καὶ εἰς πόσιν ἐπιτήδεια. *Dicit Dionyſium paredrum ſive aſſeſſorem Cereris, ſecundum myſteriorum traditionem, quippe ei aſſidet Dionyſius Zagreus, e Proſerpina genitus, ſecundum nonnullos Bacchus dictus; ex phyſica autem ratione, quia alimento arido a Cerere exhibito, vini uſus adhibetur; vel quia uva eſui & potui commoda.* Firmus hic Bacchi Cererisque nexus anſam dedit Cyrenæo Poëtæ canendi in Hymn. Cerer. v. 71.

Τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει.
καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος: ex Vulcan. interpr.

Nam Ceres & Bacchus culpa læduntur eadem,
Et tantam atque Ceres Bacchus conceperat iram.

Poſt tot Græcos auctores citatos audiatur de Cereris Bacchique conſortio & Vates, *cui Virga dedit memorabile nomen*; Libr. 1. Georg. v. 5.

Vos o! clariſſima mundi
Numina, ...
Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Quod ſi quis Baccho aſſidentem Proſerpinam Matrem interpretari velit? ſi libet, licebit. Sic in nummo apud Fulv. Vrſin. in Famil. Caſſia n. 7. Edit. Patin. p. 67. ex una parte Bacchus hedera coronatus, in altera Proſerpina, cujus caput vitis foliis & *papaveribus* redimitum; qui denarius forte reſpicit ad dedicationem ejus Ædis, quam Cereri, Liberæ Liberoque, bello Latino ab A. Poſthumio Dictatore votam, Sp. Caſſius dedicavit An. 660. Conſul iterum cum Poſthumo Cominio Arunco II. Ad quod Caſſiæ gentis monumentum illuſtrandum L. Caſſius denarium cum Liberæ & Liberi imaginibus cudit. De ædis hujus dedicatione meminit Dion. Halicarnaſſ. L. 6. Sic in Thelpuſiorum finibus templum Cereris Eleuſiniæ erat, ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ ποδῶν ἑπτὰ οὐκ ἀποδέον ἕκαστον, Δήμητρος ἐστί τε ἡ παῖς καὶ ὁ Διόνυσος τὰ πάντα ὁμοίως λίθου. *Signa in eo ſunt, ſeptenum haud minus eorum quodlibet pedum, Cereris, Proſerpinæ & Liberi patris e marmore æque omnia.* Pauſan. in Arcad. ſive Libr. VIII. c. 25. p. m. 648. Spectat huc quoque Marmor antiquum, cujus meminit magnus Salmaſius in dedic. Stat. Regill. cum inſcriptione: DEO BACCHO, CERERI ET KORAE.

Fig. 1. Sic *Ariadne* in curru quaſi triumphali, hactenus deſcripto non abſimili, in Gemma antiqua ex Achate bicolori ſive Achate Sardonyche, exhibetur ab Illuſtriſſ. Buanarotto, a Baccho ex inſula Naſſo

- - ὁ τ' εἰς ὄλυμπον ἀνήγαγε δῖαν ἄκοιτιν,
Μίνωος κούρην ἐρικυδέα.

Cum ad cælum eveheret divam (ſibi) *uxorem,*
nobilem Minois natam;

uti







Anaglyph: antiq: ex achate bicolori ap. E.C.G. de Carpinea
P.S.B.

uti Cointus Smyrnæus Calaber exprimit Paraleipomen: Libr. 4. v. 87. ubi Hymenæus, ſive Genius Amoris, cum tæda currum ducit, Cupido Ariadnes veſtes prehendit, in terra ad maris litora Nympha loci, ſive genius inſulæ, cum fluvio & zephyro nuptiis novis quaſi applaudit. Sic nummus Juliæ Domnæ a Ni- *Fig. 2.* cæenſibus cuſus exſtat, in quo Bacchus & Ariadne in curru, a Centauris mare & fœmina tracto, Cupido ante eos graditur, Antheros volitat; quem nummum invenies apud Excell. Seguin: Select. Numiſm. Sed ad triumphum redeo Bacchi, inſuperque noto, ad pedes Centauri *ciſtam* ſive *Vannum* vel λίκνον, ſerpente ſive Jovis imagine munitam, repertu dari, cujus meminerunt Catullus:

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis;

& Ti-

& Tibullus:

Et Tyriæ veſtes & dulcis tibia cantu,
& levis occultis conſcia ciſta ſacris.

occulta hæc ſacra, myſtica erant Cereris & Bacchi ſymbola, quorum penes nos eſſet ignorantia, cum nullis niſi μυȣμένοις ad ſilentii fidem obſtrictis, revelata fuerint, niſi nobis adhuc conſervaſſent Eccleſiæ Patres, qui gentilium ſacris, quibus initiati fuerant, ejuratis, Chriſto nomen dederunt, quos inter chorum ducit Clemens Alexandrinus, ἀνὴρ ἐλλόγιμος ϗ φιλομαθὴς, ϗ ἀναγνωσμάτων ἑλληνικῶν πολυπραγμονήσας βάθος, ὡς ὀλίγοι τάχα πȣ τῶν πρὸ αὐτȣ̃, *Vir imprimis doctus & eruditus, qui Græcarum literarum altitudinem, quantum forſan ante illum pauci, perſcrutatus eſt:* quo & quidem merito elogio eum mactat S. Cyrillus Archiepiſc. Alex. contra Julian. Libr. VII. p. 231. Edit. Spanheim. Hæc autem laudatus Clem. Alexandrinus Admonitione ad Gent. p. 14. Edit. noviſſ. Οἷαι δὲ ϗ αἱ κίςαι αἱ μυςικαὶ; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, ϗ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. ȣ̓ σεσαμαῖ ταῦτα, ϗ πυραμίδες, ϗ τολύπαι, ϗ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροί τε ἁλῶν, ϗ δράκων, ὄργιον Διονύσȣ Βασσάρȣ; ȣ̓χὶ δὲ ῥοιαὶ πρὸς τοῖς δὲ, ϗ καρδίαι, ϗ νάρθηκές τε, ϗ κιττοί; πρὸς δὲ ϗ φθοῖς ϗ μήκωνες; ταῦτ᾽ ἐςὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. *Quales vero etiam ciſtæ myſticæ? oportet enim denudare ſacra eorum, & illa non dicenda efferre. An non illa ſeſamæ & pyramides & volumina lanæ, & liba umbilicata, & micæ ſalium & draco ſacrum Bacchi Baſſarei. Nonne autem inſuper mala Punica, & corda, & ferulæ & hederæ? adhuc quoque placenta & papavera? Hæc ſunt illa ſancta.* Vbi obiter noto, σησαμαῖ, a Gentiano Herveto verti *ſeſamides*, Cl. Buonarroti, hunc Clementis Alexandrini locum allegans, Italice interpretatur *de pani de ſeſamo*, memor quippe illius Pollucis Libr. VI. §. 72. σησαμῖται, *Panis e ſeſamo.* Sic *volumina lanæ* Gentianus Hervetus *lanam bene laboratam*, Buonarrotti *fiocchi della lana ſcardaſſata*, πόπανα πολυόμφαλα, Hervetus, *liba multis diſtincta umbilicis*,

bilicis, Buonarrotti, *della ſtiacciate bucate*, vertit: & ſic de reliquis. Quod ad *corda* attinet, Julius Firmicus Maternus, ethnicis ſuperſtitionibus, ut veriſimile eſt, imbutus, & ſenex demum ex Ethnicifmi tenebris ereptus, divinaque Evangelii luce colluſtratus (ſic ſentiente Viro in Hiſtoria literaria incomparabili, quam profecto omnes Muſæ καὶ ὁ δέλιος ἠγάπησεν Ἀπόλλων, in Bibliothec. Latin. Libr. III. c. 8.) unus ex omnibus aliis annotat, *Cor diſcerpti & dilaniati a Titanibus Bacchi, a ſorore ejus Minerva ciſtæ myſticæ fuiſſe incluſum*, in cujus forte memoriam cordi ſimilia, vanno poſtea impoſita. Vid. ejus diſſ. de Errore profanar. Religion. p. 14. Edit. Oiſelian. Cæterum Myſticas iſtas Cereris Bacchique ciſtas conſultiſſimus quondam patriæ noſtræ Academiæ Philologus, Conr. Rittershuſius, in Oppian. Cyneg. Not. & Reverendiſſimus Demonſtrat. Evangelicæ Auctor, diabolum ceu Dei operum & inſtitutorum ſimiam & ἐμπαίκτην, Arcæ Fœderis in populo Dei divinitus fabrefactæ opponere voluiſſe, credunt. Imo eruditiſſimus Spencerus de Legib. Ebræor. Ritualib. diſſert. V. c. 1. ſect. 2. non ad dæmonis κακοζηλίαν, ſed Dei συγκατάβασιν referendum eſſe credit, & ab ipſo in hypotheſeos, paradoxæ certe, patrocinium χρυσοῤῥήμων Chryſoſtomus, & Rabbinorum doctiſſimus, qui primus nugare deſiit, Maimonides adducitur: quam ſententiam noſtram non facimus. In ciſta myſtica *ferulam & papaver* eo attentius inſpicimus, quod Bacchum propius tangunt. Rationem reddit Claud. Minos in comment. ad Alciat. Emblem. XVI. p. 96. Edit. L. Pignor. erudito ſane figmento olim hæc Baccho fuiſſe tributa & aſſignata, ut vini vis poneretur ob oculos. Papaver ſomnum conciliat, ut mero plenus ſui oblitus dare ſe ſomno debeat; ferula vero caſtigationis notam deſignat, ut intelligant ebrioſi, ſe pœna dignos citius quam miſericordia, qui ſe ſponte in id diſcrimen conjecerint. Claudimus cum Cl. Schonhovii diſtichis, Minoi ſuffragantibus:

O Cur

Cur ferulam Bacchus manibus gerit atque papaver,
Dic mihi, cur veteres hoc voluere patres?
Scilicet ut vino plenus det corpora ſomno,
Poſtridie poenas ſe meruiſſe ſciat.

Poſtquam Bacchum vidimus, in curru triumphali Cereris latus claudentem; proxime ad Cereris quoque latus ſtantem exhibebimus

TRIPTOLEMVM

in Vaſe Onychin. Eggeling. qui inter *Divos* relatus & ædem habuit & aream & aram, teſte Pauſania in Atticis. Hinc Statius altiſonans *æthereum* vocat Sylv. libr. IV. carm. 2. v. 30.

- - - Ætherei felix ſic orbita fluxit
Triptolemi.

De parentibus ejus, qui dubii ſunt, conſulendus Pauſanias loc. cit. Cereri adamatum fuiſſe, plurima evincunt; hac enim Dea langventem, & in orci faucibus jam conſtitutum puerum, papavere tepidoque lacte exhibito reſtituit; cujus rei teſtis Ovid. Faſt. l. 4.

- - - Somnique papavera cauſas
dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Et paulo poſt:

Pallor abit, ſubitaſque vident in corpore vices;
Tantus cæleſti venit ab ore vigor.

Nec Ceres contenta illum ſanitati reſtituiſſe, cumulavit favorem, quo illum proſequebatur, quando a Diis ſuppeditatum frumentum, ipſius Deæ juſſu, aratro inſuper invento diffudit, agrique colendi rationem edocuit: hæc enim auguria de illo jam captabat Ceres apud Ovid. loc. cit:

Ille quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
Et ſeret, & culta præmia tollet humo.

Merito

Tab XVIII



Merito igitur in curru Cereris alato locum obtinuit, de quo curru Claudianus libr. I. de Rapt. Proſerp.

Angues Triptolemi ſtrident & ſquamea curvis
Colla legunt attrita jugis.

Hunc Cereris currum exornant ſpicæ *& papavera.* Sic in nummo Juliæ Domnæ, a Sardianis cuſo, ſub Archonte Antonio Hierace, ante hunc currum a ſerpentibus vectum, ſpicæ cum *papavere.* Elegantiſſimam *Triptolemi ſtatuam*, capite ſpicea corona inſignito, frugibus ceu cerealibus muneribus, in patera manui dextræ, ſiniſtræ vero *papaveribus* & uvis impoſitis, exhibet in Regio Theſauro Brandenburgico laborioſiſſimus ejus interpres Begerus, & ante illum Illuſtriſſ. Baro Spanheimius Not. in Hymn. Callimach. p. 681. *Tab. XVIII.*

Philoſophi per ignem, ſub hac Cereris & Triptolemi fabula opus magnum latere credunt. Sic enim Mich. Majer in Secret. Natur. Chem. Diſcurſ. 35. p. 105. *Triptolemus Tinctura eſt Philoſophorum eo modo ſub igne nutrita, quæ a ſerpentibus ducta h. e. Mercurio, docuit homines, quomodo ſemina Philoſophica, in ſuam terram jacienda ſint. Quilibet autem animadvertere debet, uti dracones Triptolemi currui jungendos bene agnoſcat, antequam quid incipiat, quia ſunt alati & volatiles; quos ſi ſcire deſideres, in fimo philoſophico invenies. Sunt enim fimus & generantur e fimo, ſuntque illud vas, quod Maria dicit, non eſſe negromanticum, ſed regimen ignis tui, ſine quo nihil efficies.*

VENERIS

Migonitidis ædes ex adverſo Cranaës inſulæ Lacones devote venerabantur, ceu ex Epigrammate Græco in Laurenbergii Otio Sorano n. 36. palam fit: Nos *Maconitem* vel *Meconitem Venerem*

nerem conſideramus, *papavere*, πολυγονίας ſymbolo, ſuperbientem. Exhibet illam elegantiſſima gemma, quam polydædala manus recentioris cujusdam artificis in achate tam nitide, tam decore ac affabre expreſſit, ut in ruborem dediſſe videatur canam antiquitatem, omniumque perſtringat oculos, qui eam intimius luſtrare & intueri dignantur. Ectypon ex Italico Itinere ſecum attulerat amicus integerrimus, qui illud mecum communicavit, ut æri incidatur, cumque omni antiquitatis guſtu polleat,



orbi erudito haud amplius denegetur. Annui eo promtius Amici juſſis, cum plurima in gemma hac occurrant, *papaveris* mythologicam antiquitatem elucidantia. Apparet in ea

> *Æneadum genetrix hominumque Divumque voluptas,*
> *Alma Venus,*

Et quidem Sicyonia, cujus effigiem fecit Canachus Sicyonius, teſte Pauſania, Corinth. ſive libr. 2. c. X. p. 134. qui illam porro deſcribit: πεποίηται δὲ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος φέρουσα ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πόλον, *facta ex auro & ebore, capite apicem, qui polus dicitur, geſtat.* Nec hoc capitis ornamento ſive polo gemma noſtra deſtituitur, de quo altum apud alios auctores ſilentium, excepto Pauſania noſtro, qui Fortunæ Minervæque capiti polum impoſitum fuiſſe tradit Meſſen. ſive libr. 4. c. 30. p. 355. & Achaic. ſive libr. VII. cap. 5. p. 534. Laborioſiſſimus Tiraquellus, qui materiem mundi muliebris de LL. Connubialibus penitus ferme exhauſit, poli tamen dememinit. Apud auctores Græcos communiter verticem capitis, apud Heſychium vero & Pollucem totum caput hæc vocula denotat. Siſtit ſe Venus in hac gemma, ſicut ab Homero deſcribitur, ceu βροτοῖσι μείλιχα δῶρα δίδωσιν, ἐφ' ἱμερτῷ δὲ προσώπῳ αἰεὶ μειδιάει, *blanda homini dat munera ſemper amœno vultu ſubridens.* Capillus diligenter circum caput rejectus, reliqua cæſaries

> - - - *Fluitans cui pendet ab armis,*
> *& ſe* - - - *per candida colla repandit,*

καλλιπάρειος porro genis pulcherrimis, λευκώλενος,

> *niveis hinc atque hinc viva lacertis.*

ῥοδοδάκτυλος, roſeis digitis. *Nuda* eſt, ut Apulejus de Aſin. Aur. ſcribit, *qualis fuit, cum fuit virgo, nudo ſcilicet & intecto corpore,* & ut Arnobii verbis me explicem, *tanquam ſi illum dicas publicare & divendere meritorii corporis formam.* Ἀφροδίτη præterea καλλίπυγος, cui apud Barbaros erectum templum; ἀργυρόπεζα

πυρόπεζα, argenteis pedibus prædita, quo epitheto illam Lyricorum princeps odax Pyth. exornat: καλλίσφυρος, pulchros talos habens. Et ut brevibus rem omnem expediam, ex Epigramm. libr. VI. n. 136.

> ὄμματ' ἔχεις Ἥρης Μελίτης, τὰς χεῖρας Ἀθήνης,
> τοὺς μάζους Παφίης, τὰ σφυρὰ τῆς Θέτιδος.
> *Oculos habes Junonis Melitenſis, manus Minervæ,*
> *Mammas Paphiæ Veneris, talos Thetidos.*

& ex Epigramm. 128. Anthol.

> Αὕτη πρόσθεν ἔην ἐρατόχροος, εἰαρόμαστος,
> εὔσφυρος, εὐμήκης, εὔοφρυς, εὐπλόκαμος.
> *Hæc primum erat amabili corpore, vernantibus mamillis,*
> *pulchris pedum malleolis, pulchris ſuperciliis, pulchris comis.*

Dextra pomum monſtrat, pulcritudinis e Paridis judicio præmium, quorum cumulus quoque ad pedes adſtantis Cupidinis jacet. Qualia autem hæc ſint, interpretem voco Cl. Laurenbergium Otii Sorani pag. 58. Epigramm. ſub titulo: μῆλα τοῦ Ἔρωτος.

> Δακρυόων φώνεσκεν Ἔρως χρυσᾶν Ἀφροδίταν.
> Τῖσόν μοι τὸν Φοῖβον, ἐμῶν συλήτορα μήλων,
> Ἅττ' ἀποδρεψάμενος φέρον Ἑσπερίδων ἀπὸ κήπων
> Μητέρι σοὶ δῶρον. χεῖρας δ' ἅρπαξ ἐπέβαλλεν.
> Οὐθ' αὐτῷ ἐφύλαξε κακότροπος ἀλλὰ τετάρτην
> Ἑρμείῳ προΐαψε, κλοπῆς συμφράδμονι φωρί.
> Οὐτιδαναῖς δὲ τρίτην μούσαις. δεκάτην χαρίεσσιν
> Δῶκεν. εἰκοστὴν δὲ πυγόστολος ἔλλαβεν Ἥβη.
> Ἕνδεκά μοι φευγόντι κατέλλιπε μέλλον ἄποινον.
> ὅστις Ἀπόλλωνος ῥάβδοις κάτα νῶτα πατάξῃ.

Poma Cupidinis.

> *Sic Venerem lacrymis amor eſt affatus obortis:*
> *Prædonem, Genetrix, pomorum ulciſcere Phœbum,*

Quæ

Quæ lecta Heſperidum ex hortis tibi grata parabam
Munera; ſed raptor furtivos intulit ungues.
Nec ſibi ſervavit, ſed Maja matre creato
Quadrantem objecit, cui dextra eſt conſcia furti.
At decimam Charites partem accepere: trientem
Muſæ, bis decimam Ganymedæa abſtulit Hebe.
Dum clamo fugiens, mihi vix undena reliquit,
Quæ dabo, ſi merito Phœbum quis verbere cædet.

Quot autem Cupidinis poma fuerint, ex Algebræ intimis penetralibus eruit Vir Μαθηματικώτατος, cujus Otium Soranum conſule, ſi tanti videatur; nobis enim ex deviis hiſce ad Venerem Sicyoniam redeundum. Quippe & hæc e Pauſaniæ effato l. c. τῶν χειρῶν δὲ ἔχει τῇ μὲν μήκωνα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μῆλον, *manu altera papaver; altera malum tenet.* Nec papaver noſtræ deeſt, hoc ſaltem diſcrimine, ut ſiniſtro innitatur palo, cujus ſummitas & ſpicis & *papavere* ornata, fœcunditatis uberrimæ, & abundantis annonæ ſymbolis. His lucem fœneratur Cynicus apud Athenæum libr. 6. Deipnoſ.

ἐν τῇ κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως·
οὐκ ἔστι πεινῶσιν γὰρ ἡ Κύπρις πικρά. i. e.

Nam ventri inani non ineſt formarum amor:
Amara his Venus eſt, dira quos premit fames.

Idem Athen. Deipnoſ. Libr. I.

ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις· ἐν γὰρ τοῖς κακῶς
πράττουσιν οὐκ ἔνεστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς. i. e.

Saturis Venus eſt. Cæterum infelicibus
miſeriſque nulla adeſt Venus mortalibus.

Adde & hoc, ſpicas Veneri immolatas fuiſſe, cujus rationem dat Suidas, quia elixum frumentum excitat ad Venerem.

Ad palum creſcit vitis uvis gravida, quoniam ſecundum Ovidium Libr. II. de remed. Amoris:

Vina

Vina parant animos Veneri.

Et: *Venus in Vinis, ignis in igne cluit.*

Scilicet: Νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος, *Mortua res Venus ſine Baccho & Cerere.* Euripides in Bacch. v. 772. ſic exprimit:

Οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔςιν Κύπρις,
οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.

Vino enim ſublato, non eſt Venus,
Neque ulla alia voluptas hominibus amplius.

A quo non diſſentit Nonnus Dionyſ. Libr. 31. v. 268. 269.

Καλὸν ἐμοὶ Διόνυσον ἰδεῖν κατὰ μέσσον ὀλύμπου
Ἥμενον ἐγγὺς ἔρωτος ὁμέςιον ἀφρογενείη.

Pulchrum mihi videre Bacchum in medio cæli
Sedentem prope amorem, contubernalem e ſpuma natæ.

Hinc paſſim vinum ab Ariſtophane apud Athen. libr. X. Deipnoſ. Ἀφροδίτης γάλα, *Veneris Lac*, audit. Ab Achille Tatio libr. 2. *Amoris pabulum* vocatur. Apulejus autem de Aſin. Aur. libr. 2. *Liberum eſſe hortatorem & armigerum Veneris*, innuit. Cupido quoque in decerpendis uvis operam ſuam hac in gemma collocat: unde Ovidii verſus Libr. III. de arte amandi, lucem accipit:

Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.

A dextris Veneris alter ejus forte e Marte filius, *Antheros* dictus, manuum digitis ludens conſpicitur. Quis autem ludus ille ſit, ex antiquitatis eruendum fontibus. Apud Sortilegos fiebat amoris augurium *Papaveris* vel *Anemones* folio, quod Græci τηλέφιλον vocabant. Hoc ex Theocrito diſcimus Idyll. γ. v. 28.

Ἔγνων πρὰν, ὄκα μευ μεμναμένω εἰ φιλέεις με,
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα
(Aldin. Editio legit προτιμαξάμενον πλατάγησεν.)
Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχει ἐξεμαράνθη.

Intel-

Intellexi nuper, cum quærerem, an me amares,
Telephilum alliſum non edidit ſonum,
Sed fruſtra in tenero cubito exaruit.

Lucem huic loco dedit Theocriti Scholiaſtes, ſcribens: Τηλέφιλον δέ ἐστι τὸ φύλλον τῆς μήκωνος. ἄλλοι δὲ βοτάνην ἑτέραν λέγουσιν εἶναι αὐτό. εἴτε δὲ τοῦτο, εἴτε ἐκεῖνο ἐστὶν, ἀναλαμβάνεται παρὰ τῶν ἐρώντων τὸ τηλέφιλον, καὶ πληττόμενον εἰ ψόφον ἀπετέλει, ἐδίδου αὐτοῖς σημειοῦσθαι, ὅτι ἀντερῶνται ὑπὸ τῶν ἐρωμένων. εἰ δ' οὐκ ἀπετέλει, ὅτι μισοῦνται. εἴρηται δὲ τηλέφιλον, κατὰ κοινωνίαν τοῦ τ, πρὸς τὸ δ. οἱονεὶ δηλέφιλόν τι ὂν, τὸ δηλοῦν τὸν φίλον. *Telephilum folium ſignificat papaveris, alii aliam quandam plantam ſic vocari tradunt. Sive ſit folium papaveris, aut alterius herbæ, perinde eſt. Vtuntur eo amantes, ſi ab ictu ſonum emiſerit, ſe amari ab amaſiis colligunt; ſin vero non percrepuerit, odii ſignum putant. Dictum eſt Telephilon quaſi delephilon, quod amorem præmonſtret.* Eandem ſententiam fovet Pollux in Onomaſtic. Segm. 127. Libr. IX. cap. 7. p. 1113. ſeq. Edit. Hemſterhuiſ. Ἀλλὰ καὶ τὰ τοῦ τηλεφίλου (alii τηλεφύλλου) καλουμένου φύλλα ἐπὶ τοὺς πρώτους δύο τῆς λαιᾶς δακτύλους εἰς κύκλον συμβληθέντας (alii ἐμβληθέντας) ἐπιθέντες, τῷ κοίλῳ τῆς ἑτέρας χειρὸς ἐπικρούσαντες, εἰ κτύπον ποιήσειεν εὔκροτον ὑποσχισθὲν τῇ πληγῇ τὸ φύλλον, μεμνῆσθαι τοὺς ἐρωμένους αὐτῶν ὑπελάμβανον. *Sed & papaveris & telephylli dicti folia primis duobus ſiniſtræ manus digitis in circulum flexis imponentes, & vola alterius manus percutientes, ſi ruptum hoc ictu folium ſonum clarum ederet, eos, quos amabant, ſui meminiſſe exiſtimabant.* Elucet ex his Pollucis, folia papaveris & Telephili diſtincta eſſe, id quod Scholiaſtes quoque Theocriti innuit: τὸ τηλέφιλον, ῥίζιόν τι θαμνῶδες. κάτωθεν δὲ ἀναβαίνει τρίκλωνον. τοὺς δὲ κλῶνας ἔχει δραχμῆς μείζονας σπιθαμιαίας. τὰ δὲ φύλλα ἔοικε τῷ σπειρομένῳ λωτῷ, λοβὸν δὲ ἀφίησεν ἑλικοειδῆ. ἐν ᾧ τὸ σπέρμα, οὗ ἐπιχειρωμένου, ὁ χρὼς ἐξαιμάττεται, καὶ τύπους τινὰς λαμβάνει, οὐ μόνον ἐπὶ τὰς χεῖρας τὸ τηλέφιλον, ἀλλὰ καὶ

ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἔσθ' ὅτε καὶ τὸν πῆχυν, ἐπεχειρῶντο τοῦ ψόφου. Ἄλλως. Τινὲς δὲ τῶν ἐρωτικῶν τὸ τηλέφιλον ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἢ τὸν καρπὸν, ἐπικρούουσι καὶ ἐὰν μὲν ἐρυθρὸν γένηται, καλοῦντες αὐτὸ ῥόδιον, νομίζουσιν ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐρωμένων. τοῦ χρώματος δ' ἐμπρησθέντος, ἢ ἑλκωθέντος, μισεῖσθαι. *Telephilum planta fruticoſa tribus a radice ramulis aſſurgens longitudine palmari, folia ferens ſativa loto ſimilia. Siliquam emittens rotundam (claviculatam) in qua ſemen, quo illinito, corpus ſanguineum acquirit colorem ictusque quosdam accipit. Nec tantum manibus, ſed etiam humeris telephilum imponunt, & ad cubitum usque explorant, an ſonum emittat.* Aliter: *Nonnulli amantes Telephilum, aut ejus fructum humeris imponunt, mox leviter percutiebant; quod ſi inde ruborem concepiſſent, rhodium appellabant, & ſe ab amaſiis amari augurabantur. Si vero exulcerati aut inuſti, odii ſignum putabant.* Hæc Scholiaſtes: nec enim noſtri operis, hic ulterius inquirere, an hæc a Scholiaſte deſcripta planta ſit *Scorpioides altera Matthioli*, vel *aizoum parvum* ſive *tertium Dioſcoridis*, quod ultimum acre & exulcerans eſt, præſertim cum Dioſcorides etiam Aizoum telephium vocari auctor ſit, & Heſychius: τηλέφιλον· φυτόν τι τινὲς δὲ ἀείζοον ἄγριον definiat, & apud Dioſcoridem forte pro Telephio Telephilon legendum auctoritate Theocriti & Heſychii; ſed cum eruditiſſimus Theophraſti Commentator hæc ad amuſſim examinarit & conciliarit, B. L. illuc remittendum duco. Folium porro *Papaveris* dici quoque πλαταγώνιον, apparet ex Nicandri Georgicorum Libr. 2. ab Athen Deipnoſ. Libr. XV. p. 683. Edit. Caſaub. ult. citato:

Καὶ δ' αὐτῆς μήκωνος ἄπο πλαταγώνια βάλλοις,
Ἄβρωτον κώδειαν ὄφρα κνώπεσσι φυλάξῃ. i. e.

Papaveris florem tu adime,
Ut intactum caput, & a culicibus non eroſum cuſtodias.

Huic conſentit ſæpius citatus Theocriti Scholiaſtes ad verba Poetæ Idyll. XI. v. 57.

Ἤμά-

Ἤ μάκων' ἁπαλὰν, ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν, Τὰ, inquit, τῆ μήκωνος φύλλα φησὶ, καὶ τὰ τῆς ἀνεμώνης, ἀπὸ τῦ πλάσσειν, ὅ ἐςι ψοφεῖν. τιθέντες γὰρ αὐτὰ κατὰ τὸν ἀντίχειρα καὶ τὸν λιχανὸν δάκτυλον, τύπτυσι τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ, καὶ ὅτω σημειῦνται, εἰ ἀγαπῶνται ὑπὸ τῶν ἐρωμένων, ὥσπερ καὶ ἀπὸ τῦ τῆς πλαταγῶνος ψόφου, εἰ ἀψόφως ἐπικρυσθείη. *Platagonium papaveris vel anemones folium, a ſono, quem colliſa faciunt: iis ſiquidem periclitabantur, & quid amaſiis ſuis forent grati, eſſetque affectus mutuus, ſiquidem pollici imponentes ea, & indici, mox altera manu collidebant, quod ſi percrepuiſſent, amari ſe argumentabantur, ſin minus, ut fruſtrati ingemiſcebant.* Explicat hæc fuſius Suidas: Πλαταγώνιον. τὸ μηδέν. κυρίως ᾗ τὸ τῆς μήκωνος φύλλον, καὶ τὸ τῆς ἀνεμώνης ἀπὸ τῦ πλατάσσειν, ἤγυν ἠχεῖν. καταχρηςικῶς δὲ ὡτινιῦν πλάτος ἔχοντι ὅθεν καὶ ἡ πλαταγή. ἐσημειοῦντο δὲ ἀπ' αὐτοῦ τὴν τῶν ἐρωμένων ςοργὴν, τιθέντες ἐπί τε τῦ ἀντίχειρος, καὶ τῦ λιχανῦ, καὶ ἀντικόπτοντες. καὶ εἰ μὲν ἤχησεν, ἐςέργοντο. εἰ δὲ μὴ, τὸ ἀνάπαλιν. Quæ verba ex verſione Æmilii Porti hoc volunt: *Platagonium. Nihil. Quod nihil habet præter inanem ſtrepitum. Proprie tamen ita vocatur papaveris folium, & anemones, quæ & ipſa eſt papaveris ſpecies. a verbo* πλατάσσειν, *id eſt, ſtrepere, ſonum ac ſtrepitum edere. Abuſive vero dicitur etiam de qualibet re latitudinem habente. Vnde & ipſa platage dicta. Ex eo autem papaveris folio, ſuorum amaſiorum amorem conjicientes, obſervabant, id pollici, & indici imponentes, & adverſam percutientes. Nam ſi quidem reſonuiſſet, ab amaſiis amabantur: niſi vero clarum ſonum edidiſſet, contrarium conjiciebant, & ſe exoſos eſſe credebant.* Nec id in ſiniſtra tantum manu ab amantibus factum, ſed & in cubito, uti ex ſupra citato v. 30. Idyll. 3. Theocriti clarum. In humero quoque id obtigiſſe, Scholiaſtes teſtatur. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τὰς χεῖρας τὸ τηλέφιλον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἐσθ' ὅτε καὶ ἐπὶ τὸν πῆχυν, ἐπεπειρῶντο τοῦ ψήφου (ψόφου.) i. e. *Non ſolum vero in manus folia papaveris, ſed & in humerum ponentes experiebantur ſortem ſuam.* Coloris

 quoque

quoque rationem habitam fuiſſe, ex ſupra allatis Theocriti Scholiaſtæ verbis perſpicuum, uti & temporis; alia nempe æſtate, alia folia hyeme in uſu erant. Sic enim toties jam allegatus Scholiaſtes ad Idyllii XI. v. 56. verba: ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκά, commentatur: ἔφερόν δέ σοι καὶ ἐρωτικὰ σύμβολα. κρίνα δηλονότι λευκὰ καὶ μήκωνος φύλλα. ἀλλ᾽ οὐκ ἂν δυνηθείην φέρειν σοι ἀμφότερα ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ. τὰ γὰρ κρίνα τοῦ θέρους εἰσί. τὰ δέ τῆς μήκωνος φύλλα, τοῦ χειμῶνος. *Symbola tibi amatoria obtuli, alba nimirum lilia & folia papaveris. Sed eodem tempore utraque tibi ferre nequeo; lilia enim æſtate ſunt, papaveris autem folia hyeme.* Dum liliorum mentio injecta, monendum hic duxi, ſimilia e liliis extrinſecus inflatis, ac nucleis pomorum amantes auguria captaſſe. Fuſius hæc explicat Pollux Onomaſt. loc. ſup. cit. καὶ μὲν καὶ τὸ κρίνον διπλοῦν ὂν καὶ διάκενον ἔνδοθεν ἐκφυσήσαντες, ὡς ὑποπλῆσαι πνεύματος, πρὸς τὰ μέτωπα ῥηγνύντες, ἐσημαίνοντο τὰ παραπλήσια τῷ κτύπῳ. ἔτι τοίνυν τὸ σπέρμα τῶν μήλων, ὅπερ ἔγκειται τοῖς μήλοις ἔνδοθεν, ἄκροις τοῖς πρώτοις τῆς δεξιᾶς δύο δακτύλοις συμπιέζοντες ἔτι διάβροχον καὶ ὀλισθηρὸν ὂν, εἰ πρὸς ὕψος πηδήσειεν, ἐσημαίνοντο τούτῳ τὴν εὔνοιαν τὴν παρὰ τῶν παιδικῶν. ὅπερ καὶ τῷ κτύπῳ τῶν λατάγων, εἰ τὸ λείψανον τοῦ ποτοῦ κοτταβησάντων κτυπήσειε. *Inſuper & lilium duplex exiſtens, & vacuum interius inflantes, ut ſpiritu impleretur, in fronte rumpentes, ſono huic ſimilia judicabant. Præterea & malorum ſemen, quod malis ſummis ineſt, primis dextræ manus digitis humidum adhuc exiſtens, & lubricum comprimentes, ſi in altum exiliret, hoc judicabant amicarum benevolentiam: veluti & ſtillarum ſonitu, ſi reliquiæ potus cottabiſantium ſonarent.* Amatorium hunc ludum μέγα θαῦμα βροτῶν Cl. Meurſius in Græcia Ludibunda πλατυγίζειν vocat, Scholiaſtis Ariſtophanis auctoritate forte inductus, qui in Equitibus ad v. 827. hæc habet: πλατυγίζειν, κυρίως τὸ ἐπιτιθέναι πλαταγώνιον τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ, καὶ παίειν τῇ δεξιᾷ, καὶ ἦχον ἀποτελεῖν. Πλατυγίζειν *proprie hic ſumitur, nempe imponere folia papaveris*

in

in ſiniſtram manum, & verberare ea dextra, & ita proferre ſonum. Ab hoc ſono, quem edunt, *papaveris* folia a Nicandro apud Athen. Deipnoſoph. L. XV. p. 684. Θρία dicta ſunt:

> Θρία δ' ȣ̓ λέγει τὰ τῆς σηκῆς
> ἀλλὰ τὰ τῆς Μήκωνος.

τὰ Θρία *hic non vocat ficus ramos, ſed papaveris (florem,)* quæ verba non quidem Nicandri eſſe, ſed cujusdam Annotatoris & Scholiaſtæ, Cl. Dalechampius in Athenæum p. 808. credit. Ariſtophanes in Veſpis: ὡς ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας οἶδα θρίων τὸν ψόφον, *ut ſæpius qui audierim, Thria quid ſtrepent.* Hæc Meconomantia revocat in memoriam *Daphnomantiam*, illius æmulam; cujus Naſo meminit Libr. I. Faſtor.

> *Et ſonet in mediis laurus aduſta focis:*

Et alibi:

> *Laurus uti bona ſigna dedit.*

de quibus pluribus Cl. Lomeier in Epimenid. cap. 19. p. m. 252. vel *Pyximantiam* apud Delphinates adhuc uſitatam, ubi Epiphaniæ die binas Lacunas Saſſenagias adeunt,

> *Quæ ſi pollicita reſtagnent undique lympha,*
> *unaque fœcundas ſegetum portendit avaro*
> *Agricolæ meſſes, fœcundas altera vites.*

Tunc obiter decerptos buxi ramuſculos, quæ ad montis radices copioſa eſt, cantitantes in aquam intingunt, reverſi domum folia ante focum explicant, auſpicatum credentes, ſi pluribus gyris illa præ calore crepitantia circumaguntur; ſin minus, inauſpicatum. Vid. Dion. Salvagn. Bœſſii Miſcell. de Septem Delphin. Miracul. Silv. IV. de Tinis Saſſenagiis. Sed contraho vela, & antequam ludo huic,

> *ut ſuperincuſſo crepuere papavera ſomno,*

finem imponam, hoc tantum addo, Nobiliſſ. Cæſ. Ripam hoc motum ludo, in Iconologia ſua, Amoris judicium *papavere*

coronatum exhibuiſſe. Non dubito, his perlectis, fore pleroſque, qui mecum credant, ludentem in gemma noſtra Antheron, hunc Plantagoniſmi ludum indigitare.



Sed jungimus Gemmæ huic aliam, Venerem pariter & *papaver* concernentem ex Auguſtiniano Theſauro Part. I. n. 116. depromtam, ubi Venus alma conſpicitur cum Cupidine, Deo amoris ex ipſa & Mercurio genito, cui *papavera porrigit*, fœcunditatis typum, quæ ſequitur amantium gratias. Cauſas ſi inquiſiveris, cur

cur in gemmis hiſce Veneri *papaver* junctum, in promtu eæ ſunt, (1.) quod Theocritus aliique Poëtæ fingant *Papaver* natum e Veneris lacrymis, Adonidem lugentis cum Roſa, ſi Portæ fides habenda, Villæ Libr. X. cap. 58. p. 737. Quæſivi hæc in Theocrito, ſed fruſtra. Bion quidem Idyll. 1. v. 64. ſeqq. hæc habet:

Δάκρυον ἁ Παφίη τόσον ἐγχέει ὅσσον Ἄδωνις
Αἷμα χέει. τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη.
Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν Ανεμώναν.

Lacrymarum tantum Venus effundit, quantum Adonis
Sanguinis fundit. Hæc vero omnia in terra convertuntur in flores:
Sanguis Roſam gignit, ſed lacrymæ Anemonem.

& Moſchus Idyll. 3. v. 5.

Νῦν ῥόδα φοινίσσεσθε τὰ πένθιμα, νῦν ἀνεμώνα.
Νῦν ὑακίνθε λάλει τὰ σὰ γράμματα.

Nunc Roſæ rubete lugubriter, nunc Anemone,
Nunc Hyacinthe literas tuas loquere.

& iterum Bion Idyll. 1. v. 34. 35.

Καὶ παγαὶ τὸν Ἄδωνιν ἐν ὤρεσι δακρύοντι,
Ἄνθεα δ' ἐξ ὀδύνας ἐρυθραίνεται.

Et fontes Adonidem in montibus deplorant,
Flores autem præ dolore rubeſiunt.

Purpurei coloris flores in genere hæc quidem concernunt, ſed in ſpecie *papaveris* nullus meminit, niſi regerere velis, Anemonas a nonnullis quoque inter papavera referri, id quod R. P. Balthaſ. de Victoria *Theatr. de los Dioſes de la Gentilidad* P. II. Libr. VI. cap. XI. ex Lacuna in Dioſcoridem notat his verbis: *Y es de notar, que la Amapola, y la adormidera, todo es uno, como lo advirtio el Doctor Laguna ſobre Dioſcorides, y hama a las amapolas, papaver domeſticum.* Hoc tamen diſcrimen admittit Ælius Antonius Nebriſſenſis, ut *Amapola* ſit *Papaver erraticum*,

ticum, *dormidera* vero *Papaver ſativum*, ſic *nutrix opii.* Sic & Theocriti Scholiaſtes loco ſuperius citato πλαταγώνιον & papaveris & Anemones folia denotare aſſerit. (2.) Papaver Veneri dicata planta, ob polygoniam: hinc fœcundi nomen obtinuit. Ovid. Metamorph. L. 2:

Ante fores antri fœcunda papavera florent.

Et jure de ſe exclamat Papaver:

Ergo fœcundum ſuper omne germen
Me Deus fecit, numeroque turbæ
Perſicum vincit mea ſeminalis
capſula caſtrum.

Hinc *Sponſi* quoque papavere coronati, teſtibus Scholiaſte Ariſtophanis, & Cl. Patino de Numiſm. Imper. ær. p. 114. Et Nicander apud Athenæum inter coronarias herbas atque flores papaver collocat; ut hac ratione ἀφϱοδισία μήκων, Veneris papaver, appellari mereatur ex mente Illuſtr. Fabii Columnæ in Phytobaſan. p. 97. Sic a Poëtis cum elegantiſſimis jungitur floribus. Theocritus *liliis albis* connectit:

ἔφεϱον δέ τοι ἢ κϱίνα λευκὰ,
Ἢ Μάκων' ἁπαλὰν, ἐϱυθϱὰ πλανταγώνι ἔχοισαν.

adferrem vero tibi vel alba lilia
vel Papaver tenerum, quod rubra crepitacula habet.

E Latinis Poëtis huic conſentit Romanus Callimachus, qui Cyrenæum vatem maxime imitabatur, Propertius nempe Eleg. ult. Libr. I. de raptu Hylæ verba faciens:

Irriguo ſurgebant lilia prato
candida, purpureis miſta papaveribus.

Similiter & Virgil. Georg. L. IV.

Illaque circum
Lilia, verbenasque premens veſcumque papaver.

Et

Et Ovidius Hyacinthi adoleſcentis longe pulcherrimi vultum morientis deſcribens, ſimilitudinem a violis & liliis petiit, iisque papaver medium inſeruit. Ita enim ille:

Vt ſi quis violas, riguove papaver in horto
Liliaque infringat, fulvis hærentia virgis,
Marcida demittant ſubito caput.

Et rurſus Virgilius Eclog. 2:

Pallentes violas & ſumma papavera carpens.

Ovid. Faſtor. L. IV. T. III. p. 586. Edit. in Vſ. Delph.

Illa legit calthas, huic ſunt violaria curæ,
Illa papavereas ſubſecat ungue comas.

Et certe papaveris flores tam vario, tam grato, tam ſpectabili colore ſunt, ut cum laudatiſſimis facile certare queat de principatu, & vere Cl. Rapinus canat:

Poſtquam criſpatos imitata papavera cirros
Floruerint, tum terra alios induta paratus
Diverſos in non diverſo flore colores
oſtentabit, opum monumentum inſigne ſuorum,
opus Eleuſinæ Matris, ceriale papaver,
cui ſublime caput, folium ſandice rubenti
Puniceum, ſed quæ ſpecies eſt alba crepanti
Concolor argento, gaza reſplendet agreſti.

Catullus in laudanda nova nupta, papaver tanquam Veneri ſacrum non aſpernatus fuit:

Vxor in thalamo eſt tibi,
Ore floridulo nitens,
albæ Parthenicæ velut
Luteumve papaver.

Vt ſilentio tranſeam, id ipſum *papaver* inter Priapi donaria a Veronenſi Vate, in Ithyphallicis recenſeri:

Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens ſpica mollis ariſtæ,
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallenteſque cucurbitæ, & ſuaveolentia mala,
Vva pampinea rubens educata ſub umbra.

Hinc (3.) ob vim Aphrodiſiacam, in papavere latentem, Veneri adjudicatum *Cocetum* hoc probat, potionis genus ex lacte, melle & *papavere* intrito aphrodiaſiacum, nuptis die ipſo nuptiarum exhibitum. Venus ipſa ad Vulcanum ducta, hac fertur recreata, in amplexus poſtea & oſcula nota mariti ruens, Venuſino Vate ſic ſentiente Faſtor. L. IV.

Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
Sumere, & expreſſis mella liquata favis;
Cum primum cupido Venus eſt deducta marito,
Hoc bibit; ex illo tempore nupta fuit.

vel ut Virgilius exprimit:

Optatos dedit amplexus, placitumque petivit
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.

Ampliſſimus ſe aperit campus, de nimio orientalium in papaveris ſuccum affectu diſſerendi, cui avidiſſime inhiant, exindeque medicamenta ad Venerem ſtimulantia parant: Sed actum agerem, cum materiam hanc more ſolito exhauſerit & abſolverit ὁ πάνυ in ſtudio noſtro Excell. Wedelius in Opiologia & Epiſtolis Amœbæis ad Illuſtriſſ. Maurocordatum. Hoc unicum tantum ex Epiſtola viri Generoſiſſimi excerpere liceat, ad rem noſtram apprime faciens. Hic e celebri & fide digniſſimo, Poëta Sahidi, qui verſibus vocabularium edidit Turcico-Perſicum, dicit, illud quod Perſice dicitur *Beng*, Arabice *Eſrar*, in lingua vulgari obſoleta Turcica dici *Maslach*. Jam ſi hæc ſint Synonyma, quod vir Illuſtriſſimus innuere videtur, & Beng ex opio quoque paratum ſit pharmacum; (licet Celeb. Herbelot ex

Hyoſcya-

Hyoſcyamo paratum credat, Bibl. oriental. p. 200.) ſtupendum ſane de eo effectum refert Bodæus a Stapel in Theophraſt. Hiſt. Plantar. Comment. eruditiſſ. quem a nullo medicamento Venereo unquam quis expectet. Retulit ipſi nempe Præfectus Batavus ex India orientali redux, qui hoc remedio ſæpius utebatur, fœminas etiam numero plures, quæ cum ipſo illa nocte concubuiſſent, adeo defatigatas a Venere fuiſſe, ut poſtea ejus concubitum horruerint. Ipſe vero tantopere exhauſtus & defatigatus erat, ut reſtaurantium medicamentorum & optimorum alimentorum ope reſtitui debuerit. Similia pæne narrat Saarius noſter in Itiner. Ind. oriental. Et quem noſtrum latet in præliis Hungaricis occiſos opii devoratores Turcas ſæpius tanta tentigine membri, aliis licet omnibus emortuis, jacuiſſe, quantam vix Priapiſmo laborans vivus unquam ſenſit? Imprimis de papaveris opiique Aphrodiſiaca vi legi meretur Academiæ noſtræ Naturæ Curioſorum lucidiſſimum quondam ſidus, Illuſtr. Sachſius a Lôwenheim Dec. I. Ann. 2. p. 126. ubi curioſiſſima de opio Venereo collegit. Cl. Paludanus Not. in Hug. Linſchotan. Itiner. c. 34. memorat, Veneream papaveris potionem, ſeminis virilis ejaculationem, ad excitandum majus in fœminis Veneris oeſtrum retardare. Confer. quoque diligentiſſimus Olearius & Mandeslo in Itinerariis. Exemplorum tanta meſſis, ut intempeſtive diligens viderer, ſi plura obtruderem. Itaque hæc de Venere Maconite dicta ſufficiant.

CVPIDINEM

Matri filium ſubjungimus, quem papavere itidem ornatum nonnulli exhibent. Plane hoſpes ſit in Hiſtoria literaria, cui turbæ, quas Ἥρως κοιμώμενος inter Belgii eruditos excitavit, ignotæ. Marmor eſt antiquum, in quo juvenis leoni indormiens,

reflexa in ſiniſtrum humerum dextra, ſiniſtra vero duo papavera complexa, quibus lacerta adrepit. Juxta dextrum latus hæ literæ ænigmaticæ, nec plurium veſtigia viſuntur: O. V. A. R. N. M. Exhibuit marmor primo Comes Ludovicus Moſcardus Veronenſis, in Libro Italice inſcripto: Note overo Memorie del Muſeo Moſcardo Libr. I. c. 12. omiſſis tamen papaveribus & literis, Oedipo interprete vel Delio conjectatore opus habentibus. Hanc dormientem imagunculam ex omni antiquitate, ea qua pollebat ingenii felicitate & judicii ſagacitate, Cupidini ſive Amori vendicavit Excellentiſſimus Tollius, argumentis vix refellendis: (1.) ex Apulejana Pſyches mariti delineatione & formæ venuſtate, ubi Madaurenſis ille Philoſophus ipſi tribuit capitis aurei cæſariem ambroſia temulentam, cervices lacteas, genasque purpureas, pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos & reliqua. (2.) a Leone, cui Cupido indormit, ejusque in ſæviſſimas fortiſſimasque feras vi & poteſtate,

qua Pœnos domitare leones
& validas docuit vires manſueſcere tigris.

(3.) a Lacerta, venereorum veneficiorum inſtrumento, & ſcinco Ægyptio, egregio ad Veneris opus irritamento: maxime vero (4.) a Papaveribus noſtris, quæ Veneri & Cupidini amica fuſius demonſtravimus. Adverſarium poſtea nactus Excell. Rondellum, Profeſſorem Trajecti ad Moſam, qui omnia Mithræ vel Soli, quæ Tolliana eruditio Cupidini ſive Amori vendicaverat, non minus arguta quam docta explicatione tribuere anniſus eſt. Nolo me in recenſione Rondellianæ hypotheſeos diffundere; hoc tantum noto, quod *papavera* manu ſiniſtra Cupidinis detenta, *Heſperidum mala*, aut *punica* certe *minora*, vel *Mandragoras* credat Cl. Rondellus. Sed omnes rationes Rondellianas ſatis elegantes, ceu Sibyllæ folia difflat in omni anti-

antiquitate verſatiſſimum ingenium Tollianum. Papaveris enim capita in hoc ectypo, dilapſis floribus jam ſemen ferentia, apparent, quod e crenis loculamentorum abunde liquet, quas in aurantiis malis & Mandragora fruſtra quis quærat, in punicis vero malis longe aliter figuratæ. Hæc pro Cupidine & Mithra ſcripſerant Excell. Tollius, & Rondellus. Ænigma literarum adhuc reſtat, ſive illud ab ingenio fuerit profectum ſtatuarii, ſive ab impoſtura vendentium, quo carius forte emeretur. Varias certe pro Interpretum ſcopis nactum eſt interpretationes. Eruditiſſimus Tollius pro fulcienda ſua de Cupidine ſententia, hanc dedit: *Omnis Vis Amoris Requie Nocturna Miteſcit.* Cl. Rondellus, in deſtruenda hac ſententia occupatus, ſic explicavit. *Omnis vis Amantium Requieſcens Nullius Momenti.* Item: *Oeſtro Vernantis Amoris Reſiſtere, Nil Miſerius:* & pro fulcienda ſua de Mithra hypotheſi, nil aliud ſignificari credit quam: *Orbes Volvuntur Annorum Renovatione Noſtri Mithræ.* Alii aliter: nec defuit vir alias Celebratiſſimus, qui corrupte pro OVARIO muliebri legendum putavit, ut difficile fuerit in tot lepidos quandoque interpretes ſatyram non ſcribere. Movit hoc Virum quendam, in omni laudis genere Excellentiſſimum, ut tot indies propullulantes Davos criticos, quibus audaciæ plurimum, ſed ne mica literarii ſalis erat, cum inſulſis ipſorum interpretationibus, quibus aliis viris clariſſimis paſſim inſultabant, egregie depexos in Epiſtola ad doctiſſ. Bælium, novellarum Reipublicæ literariæ t. t. editorem, dederit, adjuncta hac non minus lepida quam arguta explicatione: *Omnes Veſtræ Alluſiones Ridiculæ Nullius Momenti.* Mutavit quoque doctiſſimus Tollius de Cupidine ſententiam, cum aliud agenti commode ſe obtuliſſet locus Pauſaniæ, de Somno Epidote, unde ſuſpicabatur, nec certe ſine ratione, Somni potius quam Cupidinis ſignum eſſe: de quibus plura, ubi de Somno nobis agendum erit. Hoc unicum occaſione Amoris ſive Cupidinis adhuc addo, Apulejum

recte ſtatuere, *Amorem* & *Somnum* ejusdem generis eſſe dæmonas. Hinc paſſim ſcriptoribus Somnus Amoris ſocius ac comes audit, & Nox *Amoris hoſpitium* Propertio. Sic Nonnus Dionyſ. libr. 32. v. 97.

καὶ Διὸς ὄμματα θέλξεν ὁμόςολος ὕπνος ἐρώτων,
Ὄφρα μὲν ἁβρὺς ἴαυεν ἐν ἄνθεσι θελγόμενος Ζεύς.

Et Jovis oculos mulſit comes ſomnus amorum,
ut mollis dormiret in floribus oblectatus Jupiter.

De ipſo Cupidine apud Apulejum Metam. libr. 7. *Nox aderat primiſque Veneris prælιis velitatis in altum ſoporem deſcenderat.* Præterea Jovianus Pontanus hymno in Noctem hæc luculenter explanat.

O ſi voluptatis comes & miniſtra,
Quæ bona ex te fert thalamus thorusque,
Quos ſopor fert illecebras jocoſque
deliciasque.
Quas ſimul juncti faciunt amantes,
Inter amplexus trepidumque murmur,
Inter & ludos teneras que rixas,
dum furit ardor.
Dum micant linguis animæque florem,
Ore deducunt querulo, parique
Concidunt motu, reſoluta poſtquam
grata libido eſt.

Eruditiſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus Plantavit de la Pauſe in Florileg. Bibl. ad dict. Sapient. 4. v. 6. annotat, ſomnum ſive dormitionem pro concubitu ſæpe in ſacris. Literis ſumi, quod voluptas Venerea veluti Somnus citiſſime tranſeat, quodque per eam, quaſi per Somnum hominis ratio plane conſopiri

ſopiri videatur. Et quid Germanicum noſtrum, Beyſchlaf oder Beyſchlaffen aliud indigitat?

Jam manum de tabula detraxeram, cum memori obviarent menti, quæ olim apud Proſperum Alpinum, medicum Patavimum pereximium, qui Medicinam Cairi per quadrienium juvenis feliciter fecerat, legeram; quod apud orientales ab aſſumpto papaveris ſucco multa ſe per ſomnum ſpectare imaginentur, atque pro certo habeant, omnes opium per os ſumentes, in ſomno varia pulcherrima amœniſſimaque viridaria atque *amatas puellas viſuros, ſeque cum illis delectaturos.* Et cui ignotus *lethæus Amor*, cujus Ovidius libr. 2. de Remed. Amoris meminit:

Eſt illic lethæus Amor, qui pectora ſanat,
Inque ſuos gelidam lampadas addit aquam.

FLORA

Succedat Veneri, illecebris venereis celebrata Dea; ejus quippe feſta *Floralia* dicta & ludi, ex opibus meretricio quæſtu a Flora acquiſitis inſtituti, vulgo credebantur, *ut*, ſecundum Patrum Chriſtianorum facundiſſimum Lactantium, *pudendæ rei quædam dignitas adderetur.* Deſtruit tamen opinionem illam, ac ſi e meretricio ſodalitio in Dearum aſſumta fuerit conſortium, ſeculi noſtri Varro, Joh. Gerh. Voſſius, in exaſciatiſſimo de Theol. gentil. opere. Accenſebatur hæc Dea frumentariis frugiferiſque, eamque Floralibus indictis placabant, ut fruges cum arboribus & vitibus bene floreſcerent. Hinc Deæ Floræ templum & circum & Floralia in ſexta Vrbis regione h. e. Quirinali collocata eſſe, teſtatur P. Victor.

Cereri certe apud Romanos fere ſemper conjuncta, & ab uno eodemque artifice & Cereris & Floræ ſtatua fabrefacta. Sic enim Plinius libr. XXXVI cap. V. *Romæ Praxitelis opera ſunt* FLORA, CERES, *Triptolemus, in hortis Servilii: Boni Eventus & Bonæ Fortunæ ſimulacra in Capitolio.* Et quia ſegetum quoque Dea Ceres, communi ſimul colebantur religione. Sic apud Juvenalem Sat. 6. - - - - *ergo omnia Floræ & Cereris.*

& lapis Romanus apud univerſæ antiquitatis literariæ depoſitarium Reineſium viſitur:

ROBIGO ET CERERI ET FLORAE
SACRVM

Vid. Vir maximæ eruditionis, Phil. a Turre, de Diis Aquilejenſib. p. 319.

Non mirum igitur binas has Deas, utraſque ſegetum cuſtodes, ſymbolis gaudere iiſdem. Sic enim Floræ ſtatua exhibetur ab Excell. Patino de Numiſm. ær. Imper. ſiniſtra *papavera* tenens & florum calathum, in dextra *flores*.

Tab. XIX

Nec paradaxon erit, ſi ſtatuamus, & Cererem, & Floram unam eandemque Deam eſſe. Sic enim Pauſanias, auctor, e Barthii mente, auro omni antiquitatis Græcæ cupidis pretioſior, in Attic. libr. 1. p. 51. Edit. Kühn. Ἔςι δὲ καὶ γῆς κουροτρόφου, καὶ Δήμητρος ἱερὸν χλόης: ubi Clar. Meurſius perperam legi ait, γῆς κουροτρόφου pro τῆς κουροτρόφου, cum Cereris cognomentum ſit κουροτρόφος. Sed hæc ex doctiſſimi Kuhnii judicio ſibi non videntur adverſari: eſt enim & Ceres & Tellus κουροτρόφος, & γῇ κουροτρόφῳ primus in arce ſacra feciſſe dicitur Erichthonius. Vid Suidas in κουροτρόφος. Obſtare quoque credit Cl. Kuhnius huic correctioni ipſum Pauſaniam, τὰς ἐπονομίας αὐτῶν dicentem, non, ut Meurſius vult, αὐτῆς. Quæ omnia optime poterunt conciliati,

Tab. XIX.



liari, ſi perpendamus, quæ alibi jam adducta ſunt, per Cereris Græcum nomen, Δημήτηρ, indigitari quaſi γῆ μήτηρ.

Sed ad Cererem Chlöen redeo, quæ eadem ac Chloris: nam in gloſſis χλοερὸς eſt *viridis*, teſte eruditionis principe, maximo Salmaſio in Solin. p. 418. edit. ult. Hinc Ovidius:

Chloris eram, quæ Flora vocor.

Et ſic Chlöe, Chloris, Flora, Ceres, Synonyma ſunt. Apud Sophoclem legitur εὐχλόε Δήμητρος, Oedip. verſ. 1671. & Eupolidis eandem in rem, a priſcis Tragici illius interpretibus ibi adducitur verſus, de ariete nempe immolando χλόῃ Δήμητρι, & additur: ἄτω δὲ τιμᾶτε ἐκ τῆς τῶν κήπων χλόης, *ita enim colitur ex hortorum virente herba*, idque erecto ei prope Athenarum arcem templo. Huc referri debet illud Ariſtophan. in Lyſiſtr. παρὰ τὸ τῆς χλόης apud *Chloes* ſeu *herbiferæ* vel *virentis* Cereris fanum. Plura hac de re qui deſiderat, adeat Illuſtr. Spanheim. Obſerv. in Callimach. Hymn. de Cerer. p. 723.

BONI EVENTVS

Inter XII. Deos Conſentes, Agriculturæ Præſides, a togatorum doctiſſimo Varrone relati, ſimulacrum in Capitolio, dextra pateram, ſiniſtra ſpicas atque papaver tenens, opus erat Euphranoris, celeberrimi Athenienſium pictoris, cujus Plutarchus de Gloria Athenienſium, Quintilianus, Pauſanias, Valerius Maximus, Philoſtratus, Euſtathius aliique meminerunt; & cumprimis Plinius, qui ejus opera Hiſtor. Natur. l. 34. c. 8. §. 16. p. 124. recenſet, & cum Praxitele illum ad Olympiad. CIV. refert. Boni hujus Eventus templum Romæ erat prope thermas Agrippæ, regione nona, nunc inter Minervam & S. Euſtachium, huncque Deum imprimis agricolæ venerabantur, ut ſata grandire beneque evenire ſineret. Hinc ſpicæ atque papaver, indubia fertilitatis ſymbola, illi affixa, ceu omnis fœcunditatis promocon-

do. *Si quando enim proſperi aliquid præter ſpem noſtram & meritum Deus tribuit, alius adſcribit hoc Fortunæ, alius Eventui, nemo Deo;* inquit Salvianus. Vrbis & ſeculi noſtri Parrhaſius, Cl. Sandrartius, Iconolog. Deor. p. 170. Bonum Eventum, *Tab. XX.* Bonæ Fortunæ olim junctum in Capitolio, nitidiſſime depinxit, cumque omnem antiquitatem redoleat, æri incidendum curavimus. In Gemma Dactyliothecæ Gorleanæ apparet Deus Genius, *Tab. XXI. Fig. 1.* quem Excell. Gronovius hunc Deum Bonum Eventum eſſe, in explicatione evincit: licet non totus nudus appareat, uti in Croyanis Numiſmatibus Tab. XXVIII. n. 16. Apud Chartarium dell' Ima-



gini dei Dei degli Antichi, con Annot. da Lorenzo Pignoria non nudus, ſed veſtitus exhibetur p. 254. Plane ea forma inſignibusque, quæ a Plinio memorantur, Bonus Eventus nobis in variis exhibetur nummis. In nummo Galbæ cum inſcriptione, *Tab. XXI. Fig. 2.* BONI EVENTVS, in averſa parte nummi; in altera autem Galbæ

Tab. XX



Tab. XXI


IMP. GALBA
BONI EVENTVS
ΗΡΑΚΛΕΙΑC EN ΠΟΝΤΩ
ΚΟΡΝΗΛΙΑ CΑΛΩΝΕΙΝΑ
ΤΟ ΑΓΑΘΟΝ E ΦΕCΙΩΝ
IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. TR. P.
PACIS EVENT.
ΕΙΡΗ ΝΗ
L IB
ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ
ΕΥΘΗ ΝΙΑ
LAN
DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS
CONCORDIA AVG

Galbæ quidem effigies, abſque Auguſti tamen titulo, ſed Imperatoris. Et quidem ab iis titulis & dignitatibus, quas Nero geſſerat, ſe abſtinuit ex odio in Neronem; ſic ſentiente Cl. Patino, qui nummum hunc in Theſaur. Numiſm. p. 55. deſcripſit. Apud Illuſtr. Valentium in Nummis Græcis, Getæ nummus ſe offert HPAKΛEAC EN ΠONTΩ, cum figura nuda, ſive Bono Eventu, dextra pateram, ſiniſtra ſpicas & papavera tenente; quod forte intelligitur in nummo Saloninæ, ubi Bonus Eventus cum inſcriptione: TO AΓAΘON EΦECIΩN, *Bonum Epheſiorum*, apud eundem Valentium obvius. In alio Severi nummo apud Illuſtr. Oiſelium ſub eadem inſcriptione: *Boni Eventus*, ſculpta eſt matrona decore culta, cum patera frugibus plena in dextra, & ſpicis papavereque in ſiniſtra, ſub eadem BONI EVENTVS inſcriptione, quam eruditiſſimus Phil. a Turre de Diis Aquilejenſibus BONAM DEAM Paganicam eſſe credit, cujus mentio in Aquilejenſi inſcriptione: BONAE PAGANAE, hucque revocandam credit aliam inſcriptionem ejusdem loci: AVGVSTAE BONAE DEAE CERERIE SACRVM; quippe ideo CERERIA vocatur Bona Dea, ut pateat, ejus præſidio dicatos agros & fruges: nam Ceres & agrorum & frugum Dea. Spectat huc quoque alius nummus Peſcennii Nigri apud Patinum Theſ. Numiſm. p. 78. ſub epigraphe BONI EVENTVS. Deus hic cum inſignibus hactenus recenſitis apparet in nummo Veſpaſiani, apud ſæpius laudatum Valent. in Numiſm. Imper. Rom. præſtantior. Aur. & Argent. T. II. p. 93. quaſi Veſpaſianus hoc nomine innuere voluerit, per proſperum Pacis Eventum majorem eſſe ad agriculturam diſpoſitionem. Hinc PAX quoque ſub Cereris ſymbolis depingitur, mulieris nempe, cum duabus ſpicis, ex ejus gremio ſurgentibus, & cum corona inſuper ſpicea, ſicuti in Agrippinæ Claudii conjugis nummo, apud Illuſtr. Spanheim. Obſerv. in Hymn. Cerer. Callimach. p. 748. cum inſcriptione EIPHNH L. IB PAX. ANNO XII. ac prout in alio Titi

Tab XXI. Fig. 3. *Fig. 5.* *Tab XXII. Fig. 8.* *Tab XXI. Fig. 6.* *Tab. XXI. Fig. 7.*

nummo eadem ſpicas, (ſine dubio quoque papaver) ſiniſtra caduceum tenet, cum eadem inſcriptione: ΕΙΡΗΝΗ. Reperitur & nummus Agrippinæ in Theſ. Brandenburg. P. III. p. 95. cujus in parte averſa manus, ſpicas & papavera tenens, cum inſcriptione: ΕΥΘΗΝΙΑ, *Abundantia*, & alius Agrippinæ nummus, apud Cl. Patinum de Numiſm. Imper. Æreis, cum inſcriptione: ΕΥΘΗΝΙΑ, in cujus tamen locum ſubſtituitur ΕΙΡΗΝΗ ab Tarraconenſium eruditiſſimo & pientiſſimo Anton. Auguſtino, fortaſſis ob characterum conformitatem aut nummi detritionem. Ad hanc Cereris inſtar coronatam Pacem reſpexiſſe credo Tibullum libr. 1. Eleg.

Tab. XXI. Fig. 8.

At nobis, PAX *alme, veni, ſpicamque teneto.*

Nam ſecundum Ovidium libr. IV. Faſtor.

Pace Ceres læta eſt, at vos optate, coloni,
Perpetuam pacem, perpetuumque ducem.

Sic jure merito Pax εὐστέφανος vocari potuit, ſicut ab Heſiodo Ceres, ἐυστέφανος Δημήτηρ dicta. Ita & Euripides Bacch. v. 419. Pacem vocat κουροτρόφον.

Φιλεῖ δ' ὀλβιοδότειραν, εἰρήναν κουροτρόφον Θεάν.
Amat vero divitiarum datricem Pacem, juvenum altricem Deam.

Quod epitheton Cereri ab Orpheo in Hymnis tribui, alibi diximus. M. Antonius, ut Pacem vere cum Cæſare initam demonſtraret, denarios ſignari juſſit, in quorum una parte caput Antonii, ex altera inſcriptio: M. ANTONIVS IIIVIR R. P. C. i. e. *Rei Publicæ Curandæ,* (*Conſtituendæ*) cum duobus Cornibus copiæ, ſpicis & papaveribus ornato, intermedio caduceo alato ſupra globum tanquam pacis ſymbolo, ſed illo globo impoſito, ut ſe totum terrarum orbem cum Cæſare diviſiſſe ſignificaret, & ſic per Pacem inter eos ſancitam, omne genus abundantiæ, in utraque orbis parte futurum, cum nec ſomnos abrumpat cura

ſalubres.

ſalubres. De quo vid. Cl. Valent. de Numm. Familiar. in Fam. Anton. N. XXXII. p. 97. & Cl. Carol. Patin. in Famil. Rom. Fulv. Vrſin. p. 28. Et quia PACIS tempore Cerialium fructuum copia, hinc quoque factum, ut in antiquo annulo apud Gorlæum P. I. n. 94. mater PACIS CONCORDIA effingatur inſertis ſibi dextris, quæ inter duas ſpicas medium continerent *Papaver*; & in Gemma ejusdem Gorlæi Dactylioth. P. II. n. 112. Eadem exhibet Veſpaſiani nummus, apud Æn. Vicum nel Imagin. & Vit. de gli Imperat. ubi mulier throno inſidens, dextra ſpicas & papaver, ſiniſtra cornucopiæ tenet, cum inſcriptione: CONCORDIA AVG. Hæc de Concordia allata egregie illuſtrat locus Callimachi Hymno de Cerer. v. 135. ubi Cererem invocat, ut τὰν δὲ σάω πόλιν ἔν θ' ὁμονοίᾳ, *Vrbem in Concordia ſervet*: ad quæ verba Illuſtriſſ. Spanheimius commentatur: *Sacrata nempe Cereri apud Romanos eorum bona, qui Tribunos Plebis, publicæ quaſi libertatis & Concordiæ aſſertores, violaverant aut vero cohibuiſſent, ne iidem legem ferrent ad populum.* Adde nihil magis ad ſtabilem urbis ſeu populi cum rectoribus Concordiam conferre, quam ubi Cerealia dona, (quæ ſpicæ papaveribus junctæ exhibent) ac alimenta affatim ſuppetunt. Hinc Ceres paſſim σώτειρα vocatur in nummis & inſcriptionibus. Sic in nummo veteris Apameæ Gazæ Mediceæ vocatur σώτειρα, apud Harduin. de Numm. Colon. p. 61. in Statere Cyzicenorum in Theſ. Brandenb. T. I. p. 490. in nummo Fauſtinæ apud Nobil. Buonarotam, nuper in Florentinæ Vrbis Senatores a Magno Hetruriæ Duce adſcitum, teſte Illuſtr. Spanheimio; Ceres Conſervatrix in Inſcript. Reineſ. p. 90. de quibus plura in diſſ. noſtr. *de Diis Soteribus & Soteriis.*

Tab. XXI. Fig. 9.

Tab. XXI. Fig. 10.

Cumque PAX & CONCORDIA veram progignat SECVRITATEM Excell. Borrichius de Somno & Somniferis, maxime papaveraceis, §. 13. refert, elegantiſſimam in Palatio Farneſiorum Romæ eſſe ſtatuam SECVRITATIS, in ſiniſtra manu duo papa-

verum capita ferentis, cauſamque ſubjungit ſimilitudinis inter eos intercedentis, qui papavereo ſopiti ſunt ſucco, atque eos, qui per felicitatem temporum ita ab omni malo ſecure agunt, ut quod in proverbio dicitur, queant in utramquea urem ſine ulla dormire ſollicitudine.

Tab. XXI. Fig. 11. Conciliatrix quoque PACIS VICTORIA, papaver, ſpicam & gubernaculum præ ſe fert, apud toties citatum Gorlæum P. I. n. 7. Eodem modo FIDES PVBLICA comparet in nummo Veſpaſiani apud Æn. Vicum, dextris ſibi mutuo inſertis, ſpicas & papaver tenentibus, caduceo Mercurii e medio ſurgente, cum inſcriptione: FIDES PVBLICA. *Tab. XXII. Fig. 1.* In Domitiani nummo apud eundem Vicum ex SCto *Fides publica* exhibetur, ſub imagine caniſtrum frugibus repletum dextra, ſiniſtra ſpicas & p apaver porrigentis.

PVBLICÆ FIDEI jungimus

SPEM,

Tab. XXIII. ſub ſpicarum & papaveris ſchemate quoque exhibitam. Sic Romæ ad Bellajanos Hortos eſt tabula cum SPE, muliere ſtolata, dextra tangente caput columnulæ, ſiniſtra oſtentante ſpicas quinque & papaveris bina capita. Ad caput hinc ſculptæ ſarcinæ colligatæ, ad pedes inde Alvearium, de cujus faſtigio prominent ſpicæ IV, roſæ duæ, caput papaveris unum: in baſi legitur:

M. AVR. PACORVS ÆDI
TVVS SANCTAE VENE
RIS. IN SALVST. HORTIS
SPEI
ARAM CVM PAEMENTO
SOMNIO MONITVS SVM
TV SVO D. D.

Intulit

Tab. XXII


IMP CAES DOMIT AVG GERM COS XII CENS PER P P
FIDES PVBLICAE
S C
IMP·CAES·PES·NIGER·IVST
BONI EVENTVS
AVRELIVS·CAESAR·AVG·PII·F
SPES PVBLICA
COMM·ANT·P·FEL·AVG·BRIT·
IMP·NERVA·CAES·AVG·P·M·TR·P·COS·II·P·P·
PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO
S· C·
P·M·TR·P·VIIII·IMP·VI·COS·IIII·P·P·
SEVERVS PIVS AVG
TEMPORVM·FE
LICITAS·
SAECVLI FELICITAS·
COS·III·PP

Intulit tabulam hanc e Boiſſardo Excell. Græвius Novo ab illo edit. Gruter. Inſcript. opere, p. 102. Plurima ad hanc Spei tabulam monenda eſſent, quæ cum jam aliis ſint inſerta locis, faſtidioſa repetitione moleſti eſſe nolumus. Nummus quoque SPEI PVBLICÆ papaver adjudicat è Theſaur. Gallor. regio, quem aureo in Callimach. Comment. inſeruit ὁ πάνυ Illuſtriſſ. Spanheimius p. 693. Sub M. Aurelio cuſus eſt, mole & elegantia conſpicuus, in quo modius cum ſpicis & papavere, ſolitis ubertatis ſignis, & inſcriptione: SPES PVBLICA. Occurrit & in pluribus aliis nummis modius, ſpicis papavereque ſuperbiens, ceu uberrimis teſtibus liberalitatis & curæ Imperatorum in Annonæ promotione; hinc audiebant τῇ κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐυητερίᾳ λαμπρόι, *Fori & Annonæ proſperitate ſplendidi*, ſecundum Demoſthenem. Sic Nervæ nummus apud Cl. Patinum Theſ. Numiſm. cum Imperatoris imagine & inſcriptione: IMP. NERVA CAES. AVGVST. P. M. T. P. COS. II. P. P. in averſa nummi parte modius papavere & frugibus oppletus, cum inſcriptione: PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO. Item nummus Commodi apud Cl. Valent. cum inſcriptione: P. M. TR. P. VIIII. IMP. VI. COS. IIII. P. R. Vbi tempus, quo fames ingens Romæ fuit, indicat *Trib. Poteſt. VIIII.* in nummo conſignata, nempe An. V. C. 936. 937. quando a Commodo ſublata eſt Annona & procurata, per modium ſpicis & papaveribus plenum deſignata. Vid. Numm. Aur. & Argent. Imp. p. 197. De nummo Domitiæ Auguſtæ ſub Cereris imagine ſuo loco egimus.

Tab XXII. Fig. 2.

Tab. XXII. Fig. 3.

Tab. XXII. Fig. 4.

Plures quoque annuli & gemmæ *ubertatem* & *fertilitatem* deſignantes, papaver aliis connexum exhibent. Sic annulus ex auro apud Gorlæum n. 71. in quo Concilium Corvorum inſiſtentium partim cornibus copiæ, partim altari, inter illas ſe exſerunt papaverum capita inter ſpicas. Rationem dat Illuſtriſſ. Cuperus in Harpocrate p. 71. Quia ſol omnis fœcunditatis

cunditatis parens habebatur: Apollinis vero ſive Solis comes hæc avis, ut in nummo Fauſtinæ, in gemma apud Gorlæum n. 3. Conſulat porro, ſi quis corvum Apollini ſacrum plenis veterum ſuffragiis teſtatum cupiat, jam citatum Ill. Cuperum, ſummis (e Spanheimiano elogio) in patria honoribus clarum, commendatiſſimi autem inter harum elegantiarum cultorem ac interpretem nominis & famæ; & de Romanis ac Græcis Antiquitatibus optime meritum Phil. a Turre de Mithr. cap. 4. p. 19. ubi de Sacris Coracicis ſive Hierocoracicis & Hierocorace Dei Solis invicti Mithræ haud proletaria, more ipſi ſolito, profert.

Adjungimus Gorlæano Annulo cum corvis & papaveribus gemmam N. 55. ubi auſpicia *omnigenæ Fertilitatis & Vbertatis* declarantur per duos corvos, inſiſtentes tot cornibus copiæ, quorum in medio duæ ſpicæ, duoque papavera prodeunt e vaſe, quo in vetuſtis his monumentis ſolent deſignari locus & receptacula aquarum, ceu in hanc gemmam commentatur Excell. Gronovius. Apud eruditiſſimum Begerum luculenta



Theſauri Brandenburgici editione nobilitatum, in Spicileg. Antiquitat. pag. 53. Gemma obvia, in quo Gallus, poculo inter duo cornua copiæ duosque Delphinos, ſpicam inter & caput papaveris inſiſtens roſtro muris, frugibus infeſti, caudam invadit, pernicioſum animal a præda retracturus, ne ubertati & abundantiæ obſit, quæ per opes terra marique accumulatas, vigilantiaque acquiſitas, hic denotantur. Huc quoque nummus

mus Hadriani cum Iſide ad hanc materiam ulterius illuſtrandam referri poſſet: ſed actum agere nolumus.

Ex hac fructuum ubertate fluunt quoque nummi cum inſcriptione: FELICITATIS SECVLI vel TEMPORVM, qualis rariſſimus Sept. Severi apud Cl. Morellum Specim. Rei Nummar. antiq. ubi caput Severi laureatum, cum epigraphe: SEVERVS PIVS AVGVST. in averſa parte mulier ſtans fruges repandit, læva Cornucopiæ geſtat, cum duobus papaveris capitibus & ſpica: in imo quinque cernuntur figuræ, eas excepturæ, cum inſcriptione: SAECVLI FELICITAS COS. II. P. P. Eſt & alius præclarus in Gazis Gallorum regiis nummus, isque ſub Commodo percuſſus, in quo non jacens quidem, ut in aliis ſimilibus nummis, ſed ſedens Ceres ante arbores viſitur, dextra pomum ex ea velut decerpens, ſiniſtra papaver in medio duarum ſpicarum tenens, infra autem tres pueruli, quibus natos ex ea liberos deſignari credit, cum caniſtro & inſcriptione: TEMPORVM FELICITAS. Vid. Illuſtriſſ. Spanheimius Not. in Callimach. p. 724. quem antea quoque, ſed in pluribus mutatum, produxerat ad Juliani Cæſares p. 871. *Tab. XXII. Fig. 6.* *Tab. XXII. Fig. 7.*

Dracones & Serpentes apud Phœnices & Ægyptios

ΑΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟ-ΝΕΣ

ſive boni & propitii genii vocati cultique ſunt, teſte Philone Biblio apud Euſeb. Præpar. Evangel. L. V. p. 41. Dn. Baudelot d' Airval operoſe nititur pro ſtabilienda ſua de Laribus ſententia, ut hos Agathodæmones ſuis aſſereret Laribus, in Libr. Gal-

lice inſcripto: de l' Vtilité de Voyage. Illuſtr. vero Macarius & doctiſſ. Chifletius inter Abraxas recenſent: quas lites non facimus noſtras; neque enim id jam agimus. Extra omnem tamen controverſiam eſt, epitheton τȢ ἀγαθȢ & Boni vel Bonæ, Diis gentilium in nummis marmoribusque ſæpius attribui. Sic ΘΕΟC ΑΓΑΘΟC præmiſſus viſitur in Tabulis priſci Fœderis inter Hierapytnenſes & Prianſios, Cretenſium populos, in Marmoribus Oxonienſ. P. I. p. 171. Sic Venus ΠΑΝΑΓΑΘΟC in Inſcriptionum Gruter. oper. In modo citatis Marmor. Oxonienſ. P. I. p. 91. BONAE DEAE VENERI CNIDIAE. Ὁμόψηφον cognomen apud Maronem Æn. l. 1. v. 734. BONA JVNO h. e. ſecundum Servii explicationem, *propitia*; & BONA DEA Romanorum, de qua ſupra, ubi de Bono Eventu, ἀγαθῷ ἐφεσίῳ & Bona Spe egimus. Scilicet Dii omnes BONI, ſecundum Platonem Libr. II. de Republ. p. 380: ὅτι θεὸς ἀγαθὸς h. e. ex Procli mente ad eum locum pag. 356: ὄντως ἀγαθὸς, καθὸ καί ἐςι Θεὸς, *revera bonus, quatenus etiam eſt Deus*: & quidem ἀυταγαθὸς, *per ſe bonus*. Vnde etiam θεοὶ ἀγαθῶν εἰσι χορηγοὶ, *Dii bonorum omnium datores*, ab eodem Proclo dicuntur in Timæum p. 335. Et apud Jamblich. de Myſter. ſect. 1. c. XVIII. ubi refellit Porphyrii opinionem, qui Deos alios ἀγαθοποιȢ̀ς, *beneficos*, alios vero κακοποιȢ̀ς, *maleficos*, ſtatuebat, hæc leguntur verba: Ἀγαθόι τε γάρ εἰσιν ἅπαντες καὶ ἀγαθῶν ἄιτιοι ὡσαύτως, *ſunt enim omnes boni, & bonorum etiam auctores*. Vid. Illuſtriſſ. Spanheimius πάντα εἰδὼς χαρίτων ὀφθαλμὸς, Obſervat. ad Julian. Imperat. Orat. I. p. 294. Sed ad rem. Viſui ſe offert in Regis Chriſtianiſſimi gaza vetus Ægyptiæ fabricæ numiſma, in quo illinc Neronis effigies, hinc draco inter Pacis & Vbertatis indices, *papavera* ſpicasque frumentarias, cernitur, adſcripto in Neronem adulationis pleniſſimo elogio: ΝΕΟC ΑΓΑΘΟC ΔΑΙΜΩΝ, *Novus bonus Genius*. Hujus nummi primus mentionem injecit Illuſtriſſ. Spanheim. de Vſ. & præſtant. Numiſm.

Tab. XXIV. Fig. 1.

differt.

Tab. XXIV.



diſſert. III. p. 188. poſtea P. Segvinus D. Germani Altiſſiodorenſis Decanus, Gallorum conſenſu princeps in hoc elegantiæ genere, ad Suminum Præfectum Ærarii Gallici Colbertum, ob gentilitium Draconis ſive Anguis inſigne, epiſtola eo nomine ad illum edita, ejusdemque Selectis Numiſmatibus inſerta p. 299. edit. ultim. ingenioſe retulit. Subit hic iterum mentem Baudelotii memoria, qui l. c. illud, quod draco in nummo Neroniano in capite geſtat, Lampadem interpretatur, feſtumque illud Ægyptium, cui nomen *Accenſionis Lucernarum*, in Iſidis tutelaris Ægypti numinis & cæleſtis ſigni, ſub quo Nili inundatio contigit, inſtitutum, ac cymbium aureum, illud Apulejanum libr. IX. (in cujus medio flammulam ſuſcitari largior,) indigitari credit. Crucem præterea Criticis figit, quid litera L. hoc in Neroniano Agathodæmonis nummo denotet. Num e Scaligeriana hypotheſi *Luſtrum?* an ex opinione Dn. du Cange duntaxat nota, & velut *diple* quædam, nummis Græcis appingi ſolita, non autem litera ſit? an inter beatrices illas literas, veſti Dianæ affixas, recenſenda? an vero per L. Λυκάβαντος ſive Annus, quo nummus cuſus, notetur, eruditiſſimo conatu perſcrutatus eſt Cl. Nicaiſius de Nummo Pantheo p. 66. ſeqq. ubi ſalſe nimium exagitat Medicum alioquin eruditiſſimum & celeberrimum Philoſophum, Fort. Licetum, qui L. IΔ. in nummo Agathodæmonis obvium, LVCERNAM INVENIT DELTA, interpretatus eſt; quo vix abſurdius unquam quid excogitari poſſe credidit. De hac litera L. in nummis Græcis exhibita, politum opus & ſingulare parat, vir ſummæ eruditionis Dn. Toinardus Aurelianenſis, e Nicaſii teſtimonio; hanc inſuper materiam exactiſſime, uti ſolet, tractavit Eminentiſſimus S. Rom. Eccleſ. Cardinalis, Purpuratorum Patrum doctiſſimus, de Epoch. Syro-Maced. Diſſert. IV. p. 364. ſeqq. Ad Agathodæmonem quoque collineare videtur nummus Ægyptius Fauſtinæ Senioris apud Joh. Triſtanum Sanctamantium, comment. Hiſtor. T. I. p. 612. & Illuſtriſſ. *Tab. XXIV. Fig. 2.*

Illuſtriſſ. Spanheimium de Vſ. & Præſt. Numiſm. Edit. noviſſ. p. 223. in quo ex majorum Aſpidum genere ſe conſpiciendam præbet *papavere* notata & ſpica; ubi probe notandum, hocſerpentis genus a Lucano vocari *ſomniferum*, quod epitheton *papaveri* alias tribuitur:

Pleraque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

Et alibi:

Aſpida ſomniferam tumidam cervice levavit.

Sed hæc de Agathodæmone, papavere exornato, ſufficiant.

ABRAXAS

jam ſuccedat. Dicitur hoc Numen Baſilidianum, ſecundum exquiſitiſſimæ eruditionis fontem inexhauſtum, Salmaſium de Ann. Climacteric. p. 571. *Abraſax* apud Ægyptios, apud Græcos autem *Abraxas*. Nominis derivationem noſſe ſi cupis, vocem hibridam eſſe, e Græco & Hebraico conflatam, credit Canonicus quondam Tornacenſis, eruditiſſimus Wendelinus, & ſenſum elicit pium quidem, (e Chifletii effato in Proteo Abraxa p. 39.) ſed nimis pium, nimis Chriſtianum, altiorisque ſapientiæ, quam ut in malevolas illas Gnoſticorum animas introiret; ſic enim explicat:

A.	Aβ.	אב	Pater	1.
B.	Bέν.	בן	Filius	2.
R.	Pουάχ	רוח	Spiritus	100.
A.	Aγαθὸς	הקדש	Sanctus	1.
S.	Σωτηρία		Salvatio	200.
A.	Ἀπὸ		a Beneficio	1.
X.	Ξύλȣ		Ligni	60.
	Summa numerorum			365.

Acute

Acute hæc quidem excogitata & ingenioſo ſenſu; cui interpretationi bene multæ (uti eruditorum aquila, Scaliger, in Epiſtolis Gallicis, ad calcem opuſculorum additis, jam mentem aperuit, a magno Salmaſio ideo perſtrictus) ſimiles reperiri poſſent. Diſſentiunt autem ab hac Wendeliniana Abraxæ interpretatione mirifice Patres, quos inter doctiſſimus Hieronymus in 1. cap. Abdiæ: *Nonne contra Deum cogitatio eſt Baſilidis impudica, & portentoſum Abraxas nomen, quod præfertur Domino Conditori?* Imo negabat Baſilides, Chriſtum paſſum, aut crucifixum, & prohibebat, homines pati martyrium pro nomine ejus, qui nec paſſus eſſet nec crucifixus; teſte Tertulliano de Præſcriptionibus c. 46. Numerum quidem 365. contineri nomine *Abraxas*, Divus Hipponenſium Præſul Auguſtinus teſtis eſt: *Baſilides*, inquit, *trecentos ſexaginta quinque cœlos eſſe dicebat, quo numero dierum annus includitur.* Vnde etiam quaſi *ſanctum nomen* commendabat, quod eſt *Abraxas*, cujus nominis literæ ſecundum Græcam ſupputationem eundem numerum complent. Sunt enim ſeptem α & β, & ρ & α, & ξ & α & σ. id eſt, *unum* & *duo* & *centum* & *unum*, & *ſexaginta* & *unum* & *ducenta*, quæ fiunt in ſumma trecenta ſaxaginta quinque. Huc reſpexit Tertullianus advers. Marcionem libr. 1. c. 7.

Tantos eſſe Deos Baſilides credere juſſit,
Quantos & dies annus habet, tot denique mundos.

Reverendiſſ. Canonicus Arienſis, Macarius, in Abraxa ſive Apiſtopiſto, quod nullus ante illum vidit, nomine Mithræ ſupputationem eandem includi declarat & probat. Sed quod hic obiter notandum, Macarius neceſſe habuit tribuere Θ numerum 8. & H numerum 7. contra rectam numerandi rationem, quod felicius extulit R. P. Kircherus P. II. T. II. Oedip. Ægypt. Claſſ. II. c. 6. Vid. Cl. Chifletius in Gemm. Abrax. Comment. Cap. I. p. 65. ſeqq.

Inter Gemmas has Abraxeas & quidem Tab. XIV. Gemm. 56. exhibet Cl. Chifletius ectypon Laur. Pignorii, in quo comparet Hecate illa triformis tædifera, quæ ſecundum Prudentium

Tab. XXIV. Fig. 3.

putatur

Agmina vipereo ſuperis inducere flagro.

Altera pars gemmæ Baſilidianæ exhibet imagunculam Abraxæ, qua *Harpocrates*, ſeu potius *Pantheon* repræſentatur. Loto inſidet Harpocrates, dextram ori admovens, ſiniſtra vipereum Hecates tenet flagrum, ad radices loti *Papaveris caput*, cum arboris forte lauri ramo; arbori circumvolutus anguis. At enim vel me fallunt omnia, vel eſt hæc Panthei imago. Sub Harpocrate Solis orientis effigies latet, quippe Plutarchus in Pythio oraculo vidit, Ægyptios principium ortus Solis exprimere picto puerulo, qui Loto inſideret. Id quod Stella capiti imminens, & Phoſphorum repræſentans, maxime videtur innuere. Vt ſilentio tranſeam, Harpocratem plurima cum Phoſphoro habuiſſe communia, & ſic potuiſſe vocari Phoſphorum: de quibus doctiſſima quæque congeſſit Illuſtr. Cuperus in Harpocr. p. 125. His inductus rationibus Dn. Baudelot d' Airval, inſcriptionem illam

BONO DEO PVERO
PHOSPHORO

maxime in Harpocratem quadrare, Tr. de l' Vtilité des Voyages p. m. 220. probat. Flagellum Hecatis Vipereum indicat forte, per Hecaten Phoſphorum denotari, quod e Theocriti diſcimus Scholiaſte: Ἑκάτη καλεῖται δᾳδοῦχος καὶ Φώσφορος. *Hecate dicitur tædifera & lucifera.* Sic quoque de reliquis Panthei ſignis pronunciandum. Angues Æſculapium, Cererem *papaver*, lauri ramus Apollinem denotat. Verum hæc omnia epigraphe refellit, & Abraxam eſſe indicat: eſt vero illa IAW CABAW ſive IAΩ ΣABAΩ. Quod voculam JAO concernit,

eſt

eſt illa, ſecundum Cl. Macarium, velut teſſera Sectæ Baſilidianæ, & Abraxei delirii argumentum. Clarius Apollo, conſultus, quis Deorum habendus eſſet, qui vocatur ἰάω; ita effatus eſt apud Macrob. L. I. Saturn. cap. 18.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω,
χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν ἰάω.

Dic omnium ſupremum Deum eſſe Jao,
Hieme quidem Plutonem, at Jovem vere incipiente,
Et ſolem æſtate, autumno autem feſtivum Jao.

Ex mente doctiſſimi Chifletii *Jao* nihil aliud eſt, quam Tetragrammaton יהוה, unde etiam Ἰέυω & *Jovis* in caſu recto, addita nimirum terminatione Latina. Euſebio Libr. 10. de Præpar. Evang. c. 29. ἰάω eſt *Salus*, hoc eſt, Dei ſalutare. En deteſtandam Baſilidis malitiam, verum Iſraëlis Deum, naturæ Auctorem, ad naturam Dei opificium deflectentis. Sic & eadem nequitia a damnatis his hæreticis σαβάω a nomine divino ***Sabaoth*** detortum. Videtur autem hæc gemma Amuleti loco geſtata. Ad incantationes enim hoc ſanctiſſimo abutebantur nomine, id quod ex Geoponicorum Scriptoribus, Conſtantino præſertim, elucet, aſſerente, duabus hiſce vocibus, Ἰάω σαβάω, quosdam ad piſces capiendos uti. Sed hæc de Abraxa fuſius adduximus, ut artis noſtræ membris conſtaret, quid de his Amuletis, toties ægris commendari ſolitis, ſit ſentiendum, & e quo fonte lutulento, hæ ſalutares profluant gemmæ.

Aliud ſignum Pantheon nobis exhibet in Sarda gemma Argus ille antiquitatis, Jac. Sponius, in Miſcell. erud. Antiq. Artic. 5. §. 2. p. 20. Fulmen enim Jovem, caduceus Mercurium, *papaver* adjunctum Proſerpinam, (vel e mente Dn. Baudelotii l. c. p. 240. Lares, quibus capita allii *papaverisque* dicata,) ſpica frumenti Cererem, ſiſtrum Iſidem, temo Fortunam, rota *Tab. XXIV. Fig. 4.*

Neme-

Nemeſin, caput armatum caſſide Palladem & Martem, alæ Victoriam, & cornucopiæ Abundantiam ſignificant.

HARPOCRATIS facta mentione, ſilentio prætereundum non eſt, miram ejus imaginem ab Illuſtriſſ. Cupero, qui maxima ſolertia, & exquiſitiſſima judicii, qua pollet, acutie, quæ de Harpocrate dici poſſunt, in elegantiſſimo congeſſit opere, eidem ingeſtam. Mutuatus eſt illam e Goropii Becani, magni illius Linguæ Germanicæ Vindicis, Hieroglyph. Libr. IV. p. 48. a Pighio, curioſo Romæ Veteris exploratore, huic ſuppeditatam, quam a Pyrrho Ligorio Neapolitano obtinuerat. Dum Pyrrhi hujus Ligorii reminiſcor, obviant menti ἀνέκδοτα ejus adhuc opera, quæ ceu abſconditum theſaurum, XXVI. voluminibus conſtantem in Bibliotheca Taurinenſi latere, ab Illuſtri Abbate Gualtherio ipſi monſtratum, teſtis eſt αὐτόπτης Rev. P. Don Mabillon in Itiner. Ital. p. 8. Mira hæc ſunt; ſed majora adhuc de Ligorio promit Illuſtriſſ. Spanheim. de Vſ. & præſt. Numiſm. antiq. Diſſ. IV. p. 191. ſeq. Edit. Noviſſ. cui non inſpicere tantum hæc volumina, ſed verſari aliquoties, fors dedit. *Herculei viri hujus*, inquit, *lucubrationes antiquariæ etiamnum ſuperſtites, in XL. & plura volumina digeſtæ, integræ adhuc in Taurinenſi Bibliotheca & Romæ, magna ſui parte, in ſuppellectile libraria quondam Chriſtinæ Auguſtæ, Farneſiana & Barberina inſtar præſtantiſſimi cujusdam theſauri, adſervantur.* Quæ contineantur his voluminibus, poſtea recenſet judiciumque ſuum annectit limatiſſimum, cui tuto fidere poſſis. Spanheimiano Dn. Montfauconii ſubnectimus e Diar. Italic. ſive Monum. Vett. Bibliothec. & Muſeorum notit. ſingul. c. 20. p. 279: *Pyrrhus Ligorius omnem pæne ætatem inveſtigandis deſcribendisque Vrbis monumentis contrivit. Is longe cæteris præſtitiſſet, ſi tanto labori ſtudioque parem eruditionem nactus eſſet. Verum deficiente literarum notitia, in multis lapſus eſt. Hujus Scriptorum pars in lucem edita, pars inedita ſunt.* Hæc

Tab. XXIV. Fig. 5.

Occa-

occaſione imagunculæ Ligorianæ diximus, nunc propius eam inſpecturi. Hæc ſedens puſionem repræſentat, Harpocratis more dextræ indicem digitum ori admovens; fronti imponitur corniculata Luna, in capite corona Iſidis, cincinnatæ comæ inflexi ſerpentes, a dextra pharetra pendet, arcus retentus pedibus adjacet, ſiniſtra tenet accenſam tædam, & aliquot *capita papaveris* ampleċtiturque gallum gallinaceum. Pone illam noctua, cujus capiti ornamentum Iſiacum, quod & imaguncula gerit, impoſitum. Hæret calamus & aqua in explicando ænigmatico hoc Pantheo. Illuſtriſſ. Cuperus in Harpocrate ſuo, ex omni antiquitate eruderato, ad Solem referri poſſe plurima in hoc Pantheo, quæ inter papaver quoque, credit; hæc enim ejus verba p. 155: *Ego putabam nonnunquam, facem accenſam, ſerpentem, pharetram, arcum, gallum gallinaceum, papaveris, quod* τῆς πολυγονίας σύμβολον, *capita ad Solem referri poſſe, & inſigne capitis noctuæ quoque impoſitum, Ægyptiorum figmenta ſapere.* Tandem autem Vir Excellentiſſimus non repugnare velle aſſerit, ſi quis ſententiam Joh. Ortivinii amplecti velit, ſtatuentis hanc Ligorii imagunculam Lunam videri, eo quod hæc, quæ in imaguncula adeſſe conſpiciuntur, fax, noctua, gallus gallinaceus, *papaver*, indicia noctis. Si tot inter eruditos inſtrepere anſer olores liceret, ſtatuerem, omnia hæc ad Harpocratem referri poſſe, ſi Phoſphori nomine, quod jam probavimus, denotetur & intelligatur. Plinium ad partes meas voco, cujus locus diverſis opinionibus conciliandis aptiſſime inſerviet; *Præveniens* (ſolem ſydus) *& ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans, contra ab occaſu refulgens nuncupetur Veſper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens.* Hac ratione Harpocrates & Phoſphorus erit & Veſper, Soli inſerviens & Lunæ; quid igitur mirum, amborum ipſi ſigna affixa? Sic ſerpens vel vipera, pharetra, arcus retentus, gallus gallinaceus, papaveriſque capita πολυγονίας ſymbolum,

T ad

ad Solem & Apollinem ſive diem; noctua vero, fax accenſa, luna corniculata, Iſidisque cymbium, ad Lunam, vel noctem, vel Dianam, vel Hecaten; (eadem enim omnia hæc deſignant numina) referri poſſunt.

Sed, inquies, quid

SOLI vel APOLLINI

(idem nempe Apollo cum Sole phyſiologice ratione poteſtatis ac ſignificationis diverſus, fabuloſe & ut Deus animalis, inquit eruditiſſimus a Turre Diſſert. de Mithra cap. 2. p. 178.) cum *papavere?* Vtique. De Apollinc nummus, vulgo dictus conturniatus, Trajani apud Patinum in Theſaur. Mauroceni p. 53. fidem facit. Apollo hoc in nummo dextra laurum tenet, junctis, ſi



viſus non fallit, *papaveribus*; ſiniſtra citharæ impoſita ſupra tripus ſtanti, cui ſerpens eſt intortus, absque ulla tamen inſcriptione. Nullo hic Oedipo opus: Laurus enim μαντικὸν φυτὸν a Græ-

cis

Tab XXV.


DEO
INVICTO
C.LVCRETIVS.MNESTER
M.AEMILIVS.PHILETVS
*SVM.MAG.ANNI PRIMI
M.AEMILI.CHRYSANTI
D S D D

eis dicitur, a Claudiano vero *venturi præſcia laurus.* Fulgentius facem adhuc ſententiæ meæ illuſtrandæ accendit, ſtatuens, lauri folia, ſi noctu pulvino ſubjecta fuerint, veritatem ſomniorum conciliare. Promittunt id Antiphon & Philochorus, qui de ſomniorum interpretatione ſcripſerunt, quibus Artemon & Seraphion Aſcalonites adſtipulantur. Vid. Macrob. Saturn. L. VI. c. 4. Cl. Alciatus in Emblematibus: huc ſpectat Embl. 211.

Præſcia venturi laurus fert ſigna ſalutis,
ſubdita pulvillo ſomnia vera facit.

& Fred. Morellus in Corollar. Alciat. Emblem. ſubnexis p. m. 905. Græce hoc exhibet:

Μάντις ἔχει ἀγαθὴ σωτήρια σύμβολα δάφνη
Κρατίγ' ὑποςρωθεῖς ἀτρεκὲς εἶλκεν ὄναν.

Hinc δαφνοφάγοι Vates dicti, *laurum mordentes*, ad procuranda vaticinia. Scribit enim Heſiodeæ Theogoniæ Scholiaſtes, laurum ἐνεργεῖν πρὸς τοὺς ἐνθουσιασμοὺς i.e. *efficacis eſſe auxilii, in numinum afflatu.* Patet hinc cur lauro *papaver* junctum ſit; hoc enim ſomnum producit, laurus ſomnia vera, quorum interpres Apollo Pythius, omnis vaticinii Præſes.

Sic

MITHRAE

quoque, (quam nil niſi ſolem eſſe, vel poteſtatem aliquam ad Solem referendam, invictis plane argumentis demonſtrat eruditiſſimus Phil. a Turre in Monument. Vet. Antii inſerta de Mithr. Diſſert.) papavera cum ſpicis data exhibitaque fuiſſe, ex Inſcriptionum Gruter. opere novo diſcimus, quam B. L. oculis *Tab. XXV.* exhibemus, cui quoque e curioſo R. P. Don Bernardi de Mont- *Fig. 1.* faucon Diar. Italic. ſive Monument. Vett. Bibliothec. & Muſ. notit. duo Idola Mithram repræſentantia adjunximus. In vinea *Fig. 2. & 3.*

T 2 D. Ho-

„ D. Horatii Muti e regione S. Vitalis deprehenſum fuit idolum „ (verba ſunt Cl. Montfaucon) ex albo marmore, ſtatura palmarum quinque, baſi inſiſtens, in camera quadam ſive conclavi „ fornice inſtructo poſitum. Aderant circum multæ lucernulæ „ figlinæ, quarum pars tenuior, ubi ellychnium inſeritur, verſus idolum ſpectabat. Eratque ſimulacrum leonino capite, „ humano corpore. Pedibus inſiſtebat globo, e quo ſerpens „ oriebatur, qui totum corpus circumvolvens, caput in os ejus „ immittebat. Idolum porro manus pectori admotas, & utraque clave tenebat. Alæ IV. inerant, humeris hærentes, quarum „ binæ verſus cælum, binæ verſus terram ſpectabant. Poſt „ effoſſum Idolum hujusmodi, eodem loco aliud deprehenſum „ eſt, ſed in Anaglypho ſculptum leonino capite, corpore humano, „ a zona ad pedes indutum ſubtiliſſimo velo expanſisque brachiis, „ utraque manu faculam geſtabat. Alæ item duæ verſus cælum: duæ verſus terram protendebantur, inter quas ſerpens „ oriebatur. A latere dextro ara ſuccenſo igne, ex ore Idoli faſcia emiſſa, ſupra ignem aræ volitabat. Hæc ſimulacra eſſe „ Mithræ ne minima, ut quidem autumo, ambigendi cauſa, „ omnia quippe ſymbola in hoc quadrant. Hæc Montfaucon. Confer doctiſſ. Bulengerum Eclog. in Arnob. pag. 285. & pag. 337. ſeqq.

LARVNDAM vel MANIAM

Producimus, Larum matrem, quam perperam viri docti cum *genita mana* confundunt, cujus mentio apud Plutarch. in Quæſt. Roman. quæ generationis Dea erat, non mortuorum aut Lemurum; annotante Criticorum principe, Salmaſio in Solin.

lin. p. 297. F. Huic Maniæ cum ludi in compitis agitarentur, a TarquinioSuperbo reſtituti ex reſponſoApollinis: quo præceptum eſt, ut pro capitibus, capitibus ſupplicaretur, idque aliquandiu obſervatum,ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ Deæ, matri Larum: hoc ſacrificii genus Junius Brutus conſul, Tarquinio pulſo, aliter conſtituit celebrandum: nam capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis, factumque eſt, ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent: ludosque ipſos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, *Compitalia* appellitaverunt. Hæc ex Macrobii Saturn. libr. 1. cap. 7. mutuata ſunt; vid. inſuper Cl. Geuſium in erudito de Victimis Humanis Tract. Part. I. c. 3. p. 12. ſeqq. Si conjecturæ locus, crederem Gemmam Leon. Auguſtini, Italice *Maſchera ſimbolica* dictam, quam ſub larva vel perſona ſymbolica ſomnum depingente, Illuſtr. Gronovius exhibet n. 103. Maniam Deam eſſe. Anſam conjecturæ dedit L. Annæus Cornutus, vetus Perſii interpres, quem e Rouſſati Bibliotheca Cl. Elias Vinetus edidit. Sic autem ille ad Satyram VI: *Mannii dicuntur indecori vultus perſonæ, quibus pueri terrentur.* Veteres Gloſſæ ab Illuſtr. Caſaubono cum Perſio editæ, (quarum Eclogarium Cl. Colomeſius Gall. oriental. pag. 115. Magnum Joſ. Scaligerum eſſe perhibet,) non *Mannii*, ſed *Mania* legit. Velamentum capitis perſonæ hujus mithram vel pileum exhibet, cujus ſummitati papaveris capita, ſymbola ſacrorum Deæ Maniæ, impoſita ſunt. Facies & oculi ſemiclauſi non Laris familiaris, ſed Larvæ Lemurumque exhibent imaginem. Duo enim, ſecundum Illuſtr. Salmaſium in Solin. l. c. Larium faciebant genera, quorum alii Lares familiares, alii Larvæ dicebantur: boni illi genii, iſti mali & noxii. Sic quoque Feſtus ait: *Manias appellabant Larvas i. e. Manes, quos Deos eſſe putabant, ab*



inferis ad ſuperos emanantes , *quorum mater erat Mania ſive Avia*. Neque data occaſione prætereundum, hoc Maniæ nomine *Eumenidas* ſive *Furias* indigitari, ſive *Erinnyes*, teſte Pauſania in Arcad. ſive libr. VIII. cap. 25. p. 650. edit. Kuhn. Jam vero *Ceres* quoque *Erinnys* cognominata a Callimacho in Fragm. N. CVII. τὴν μὲν ὅγ' ἐσπέρμηνεν ἐρίννυϊ τελφουσσάιη. *Quam ille procreavit ex Erinnye Telphuſæa*, ubi Cl. Scaliger in Conjectaneis optime

optime judicat, per *Erinnyn Telphuſæam Cererem* intelligi, per ἐσπέρμηνεν autem Excell. Bentlejus *Neptunum* deſignari credit, qui in equum mutatus Cererem compreſſit; unde quod illa iracunde tulerit, Erinnys dicta a verbo ἐρινύειν, quod *furere* Arcadibus eſt; quæ fuſius deducit Pauſanias in Arcad. l. c. qui loco τέλφȣσσα ſubſtituit Θέλπουσα, & pro gentili τελφȣσσαῖον, Θελπȣσαῖον. Inſuper & filiæ, ex hoc concubitu genitæ, Pauſanias meminit, τὴν δὲ Δημητέρα τεκεῖν φασιν ἐκ τȣ̃ ποσειδῶνος θυγατέρα, ἧς τὸ ὄνομα εἰς ἀτελέςους λέγειν ȣ̓ νομίζουσι. *Cererem quidem ipſam Neptuno filiam peperiſſe tradunt, cujus nomen, ne ad prophanos ederetur, religione ſanxerunt.* Pauſan. l. c. Ab hac Cerere Erinnye *Cereriti* dicti furore correpti.

Sed ad Gemmam Auguſtinianam, a qua nos Ceres deduxit Erinnys, redeundum, quam ex cygnis duobus ad mortem referri poſſe credit in enarratione celeberrimus Auctor, quoniam cum in reliquis omnibus ſomnus morti ſit ſimilis, hic ales præſagiens bonum, quod ex morte capitur, tunc cantat ſvaviſſime; præterea urnam in capite eſſe credit vel ollam cinerum, intus habentem papavera æterni ſomni.

> *Nobis cum ſemel occidit brevis lux,*
> *Nox eſt perpetua una dormienda.*

Cygnos inſuper convenientes Morti volucres eſſe credit, ut Cicero a Socrate didicit: qui cum jam eſſet exſpiraturus, dixit amicis: *vos me exiſtimatis minorem cygno in prædicendo, qui finem ſuum præſentiens auget cantum, ſe promtum & alacrem oſtendens migrationi ad Deum, cujus eſt miniſter.* Hinc in Gemma apud eruditiſſ. Joh. Chifletium in Socrate ſive Judicio de Gemmis, ejus imagine cælatis, cygnus in Socratis capite; qui carmina jam moriens canit exequialia. Omnia hæc a Cl. Auguſtino prolata apta ſunt & concinna: demonſtrabo tamen, hæc omnia melius ad Somnum referri poſſe, præcipuo a cygnis deſumpto argumento.

Carolus

Carolus Cæſar Baudelot d' Airval, vir in omni antiquitate verſatiſſimus, in aureo libello Gallice inſcripto: de l' Vtilitè des Voyages, Lucernam a Fortunio Liceto e Muſeo Hieronymi a S. Sophia Medici Patavini, præclaro de reconditis antiquorum Lucernis operi libr. VI. c. 26. p. 756. inſertam, compitalia ſacra & ludos continere credit, ubi ludentes ſaltantesque pueros, Lares; effigies, quas manu geſtant, Manias eſſe credit, quas in compitis, uti e Macrobio jam demonſtravimus, ſuſpendere ſolebant, e lana compoſitas. Vnde Varro in ſesquiviis *molles* vocat, & quidem duplices viriles muliebresque, quas pro liberorum capitibus ponebant, pro ſervorum pilas, precantes Maniam & Lares, ut pilis contenti parcerent vivis. Encarpos in lucerna obvios, e capitibus *papaveris* & allii Laribus ſacris coagmentatos eſſe credit. Quæ viri doctiſſimi ſententia, licet antiquitatis guſtum ſapiat, niſi me tamen omnia fallunt, lubentius Fort. Liceti conjecturæ ſubſcriberem, hoc ſacrificium a pueris nudis Baccho Ægobolo exhibitum vendicanti. Omnia, quæ Lucerna hæc exhibet, egregie illuſtrant Pauſaniæ locum. Hic enim pueri ſoli ſine mulieribus, ſine viris adultis, frequentes, nudi, pulcherrimi, ludibundi, ſonantes, organa muſica pulſantes, modulantes ac hilares in hac Lucerna comparent, cum ſecundum Lycophronem Bacchus Δαίμων ἐνόρχης, Φιγαλεὺς, φαυστήριος, *Deus tripudii, Phygaleus, Phauſterius.* Hinc ejus ſacrificia tripudiis celebrata. Læti autem hi pueri, quod fuerint liberati tam dira pernicie ſacrificii ſæviſſimi commutati tandem, placato jam Deo, in innoxium capræ ſacrificium pro puero immolando, hac in Lucerna diſtincte effigiatum. Nec *papaveris* capita, ſi quæ in encarpo reperiunda, huic Liceti opinioni de ſacrificio Bacchi Ægiboli aliquid detrahunt, cum, uti jam alibi demonſtratum, papaveris capita a Bacchi ſacris minime exulent. Sed hæc de Mania, immanique hominum victima illi immolata, tandemque in *papaveris* alliique capita commutata, dicta ſunto.

Tab. XXVI. Fig. 1.2.

Revocat

Tab. XXVI.



Revocat hoc in memoriam homines *Pharmacos*, de quibus Svidas: *Pharmacos vocabant eos, qui publice alebantur, ut civitates expiarent ſuo interitu.* Vocabantur hoſtiæ humanæ quoque *Catharma*; tale ſe & cæteros Apoſtolos mundo fuiſſe περικάθαρμα, queſtus eſt Gentium ille Doctor beatiſſimus 1. Cor. 4. v. 13. Vid. de his Pharmacis, alexiteriis & pericatharmatis Excell. Vrſin. Analect. ſacr. libr. 1. §. 29. & Cl. Lohmejerum in Epimenid. ſive de Luſtrat. Vett.

Ab his *papaverum capitibus*, humanis in ſacrificio Maniæ ſubſtitutis, fluxit forte, quod κωδεία ſimul humana capita & *papaveracea* denotarent. Teſtis mihi hac in re Pollux Onomaſt. libr. II. cap. 4. Segm. 39. p. 172. Edit. Hemſterhuiſ. τὴν μέν τοι κεφαλὴν οἱ ποιηταὶ καὶ κωδείαν καλοῦσιν ἀπὸ τῆς τοῦ μήκωνος κεφαλῆς ὀνομάσαντες, *Caput autem Poëtæ etiam* κωδείαν *vocant, a papaveris capite hoc nomen derivantes.* Conſul. in h. l. Not. Kuhnii & Seberi, qui annotant, κωδεία, κωδύα, & κωδία in MStis reperiri. Sic Græca vox Μήκων a nonnullis a μήκει, i. e. magnitudine capitis deducitur. A vocula hac μήκων, vel Μάκων, Bohemicum *Mak* & Vngaricum forte fluxit; & Germanorum quoque Dialectus quædam papaver **Maben** & **Magen** vocat, hinc **Magen-Saamen / Magen-Oel.** Si Garciæ ab Horto Arom. libr. 1. cap. 4. credimus, capita *papaveris* in India aliisque orientalibus regionibus repertu dantur, *Caxcax*, aliis *Caſchas* dicta, Carolus a St. Joſepho in Pharmacop. Perſic. *C-heſe-c-haſch* ſcribit: exſtat enim in hoc Pharmaceutico corpore *Sharab C-heſc-c-haſch.* Vinum papaveris. *Qours C-heſc-c-haſch*, Trochiſci papaveris, *loouy C-heſc-c-haſch*, lohoh papaveris aliaque. Hæc humana capita adæquant magnitudine, & binos fere ſextarios in ſe, i. e. XXX. ſeu, ut alii vertunt, LX. uncias continere queunt: Pierius Valerianus, accuratiſſimus Hieroglyphicorum collector, nobis hac in re conſentit, pronuntians, nullum fructuum fœtum inſigniore capitis honore con-

V ſpicuum

ſpicuum eſſe *papavere*, & verum capitis hieroglyphicum apud veteres extitiſſe: lævore quippe delicatum, & regia quaſi corona redimitum, majeſtatem quandam præ ſe fert. Favent his a nobis hactenus allatis Gemmæ apud Gorlæum, & *papaveris* & humanum caput inſimul exhibentes, in cujus prima mulier cum ligone & capite *papaveris*, & a tergo ſpica: in ſecunda rurſus loco capitis *papaveris*, caput humanum cernitur, itidem cum ligone & ſpica. Repetit has Gemmas in Spicilegio Antiquitatis eruditiſſimus Begerus, p. 72. addens: *Ligo fodiendæ terræ inſtrumentum, non tantum in effodiendis ædificiorum fundamentis uſurpatur, ſed etiam in agricultura, adeoque facile conſtat, caput papaveris & ſpicam ad hanc ſolam pertinere: ſpicam autem & caput humanum, non tantum agriculturam tangere; ſed etiam hiſtoriam effoſſi capitis humani in fundamentis templi Capitolini ſimul adumbrare, quo prodigio futurus Romanorum dominatus, & ex dominatu procedens agriculturæ ſecuritas, annonæque copia Romanis innotuit.* Hæc Begerus. Alii ex hiſtoria hanc capitis *papaveris* & humani comparationem defluxiſſe autumant, ubi Tarquinius cognomento Superbus, per hortum inambulans, nullo reſponſo dato ei nuntio, quem Sextus filius, quid ſibi agendum in Gabios eſſet, ſciſcitatum miſerat, tantum baculo eminentiora *papaverum* capita, (Ovidius in liliis id factum ait libr. 2. Faſt. v. 703. ſeqq.) decutiebat. Ex quo Sextus intellexit, proceres paulatim ſubmovendos. Sed hoc vetus fuit Corinthiorum exemplum, e quibus oriundi Tarquinii. Siquidem ferunt Periandrum, qui Corinthi tyrannidem exercuit, cum per fidum nuntium Thraſybulum Mileſium conſuluiſſet, quanam arte quave vi ſibi principatum ſtabilire poſſet, nullum ab eo reſponſum accepiſſe: vidiſſe enim ſe tantum nuntius memorabat, eum in campum triticeæ ſegetis ingreſſum, eminentiores ſpicas baculo decuſſiſſe, atque ita Periandrum inſtructum, capitibus civitatis cæde & exilio

Tab. XXVI. Fig. 3. 4.

exilio ſublatis, tyrannidem occupaſſe. His rationibus inductus Marchio Cæſar Ripa Iconem artis regnandi (*Rationem* vulgo *Status* vocant) ſanguinario hoc Tarquinii facto, decuſſione nempe altiſſimorum *papaveris* capitum exornavit, & conſpiciendum exhibuit.

Delaſſatus jam calamus incidit in

SOMNVM,

cui tanquam Deo divinos honores decrevit pagana ſuperſtitio: nam illi æque ac Somnio Orpheus (vel potius Cecrops ſeu Cercops, ut quidam putant, indicante Cicerone de Natur. Deor. c. 38. ſive Onomacritus, uti ex Tatione traditum refert Euſebius libr. X. c. 11. Præp. Evangel.) ſicuti reliquis Diis Hymnos compoſuit, & partim cum papavere, partim cum aromatibus thymiama adolevit. Prioris hymni in Somnum initium eſt:

Ὕπνε ἄναξ μακάρων πάντων θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
Somne Pater divum omnigenum unicus atque hominum Rex,

e verſione Scaligeri. Poſterioris autem in Somnium:

Κικλήσκω σε μάκαρ τανυσίπτερε, οὖλε, ὄνειρε,
Ἄγγελε μελλόντων.
Obſecro te princeps, celerem pernicibus alis
Nuntius incerti.

Hinc Ovidius Metamorph. L. XI. hoc divino elogio Somnum mactat:

Somne, quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
Feſſa miniſteriis mulces reparasque labori.

& alibi de Somno:

Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis.

Apollonius Rhod. Argonaut. libr. 4. v. 146. Ὕπνον ἀοσσητῆρα δεῶν ὕπατον, *Somnum opitulatorem Deorum ſupremum*, vocat. Jovem, mundi, ſecundum Mythologos, rectorem vigilantiſſimum, qui ſe ſemper in excubiis manere profitetur, profundo lethargo demerſiſſe Junonis precibus Somnum, teſtis eſt ingeniorum fax, & divinus vates, in Iliad L. XIV. v. 233. qui ideo ſugillandus videtur eruditiſſimo Bonifacio Hiſtor. Ludicr. (in qua tamen

Ludicra ſunt gravibus ſeria miſta jocis)

Libr. XVIII. c. 15. p. 136. Edit. Bruxell. quod Superos aliquando ἀνύπνους & ἀγρύπνους, h. e. *inſomnes ſoporisque expertes*, ſeu calamo, ſeu lingua nuncupaverit. His igitur tractibus limam in illum exercebat Rhodiginorum doctiſſimus:

Hunc & ἄνακτα θεῶν appellat Homerica Juno:
Nam Deus ipſe Deûm, Juppiter ipſe Jovis.

In opere novo Inſcript. GRVTERIAN. ab Excell. Grævio edit. fol. 67. n. 8. cum Baccho inter Deos maximos & σώτηρας ſive Conſervatores refertur Somnus:

DIIS MAXIMIS
BACCHO & SOMNO
HVMANAE VITAE SVAVISSIMIS
CONSERVATORIBVS
SACRVM.

Et optime junguntur Bacchus & Somnus: quis enim in ſomnum pronior Bacchi mancipiis, vitisque cruore ſaturatis? quippe vina ad ſomnum diſponunt, teſte Poëta:

Somne veni, en volucres tibi dulcia carmina dicunt,
Invitat placido te vaga lympha ſono.

Te

Te violæ, te lilia pulchra tuumque papaver,
Teque vocant plenis Creſſia vina cadis.

Deum & Regem demonſtravimus Somnum : ingrediamur nunc ejus Regiam. Hanc in Lemno finxit Homer. Iliad. Ξ v. 230. & quidem in civitate Thoantis,

Λήμνον δ' εἰσαφίκανε, πόλιν θείοιο Θόαντος,
Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο.

Lemnum autem pervenit, civitatem divini Thoantis,
Vbi Somno obviavit.

Ovidius Metamorph. libr. XI. apud Cimmerios luculentiſſime Somni domicilium deſcribit, quem conſulat, cui volupe : nos illa tantum mutuo ſumimus, quæ papaver noſtrum tangunt, quippe

Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

Circa urbem quoque, in qua Regia Somni, papavera læte propullulant, ſi Lucianus audiatur, *ἀνὴρ σπουδαῖος ἐς τὸ γελασθῆναι*, *vir ad concitandum riſum factus*, Hiſtor. Ver. libr. II. p. 683. Edit. Grævian. *κύκλῳ μὲν περὶ πᾶσαν αὐτὴν ὕλη ἀνέστηκε, τὰ δένδρα δ' ἐστὶ μήκωνες ὑψηλαὶ καὶ μανδραγόραι, καὶ ἐπ' αὐτῶν πολύ τι πλῆθος νυκτερίδων, τοῦτο γὰρ μόνον ἐν τῇ νήσῳ γίγνεται ὄρνεον.* *Circa hanc* (urbem) *undique ſilva ſurgit, cujus arbores alta ſunt papavera & mandragoræ, quibus magna multitudo veſpertilionum inſidet. Nam ſola hæc avis naſcitur hac in inſula.*

Vidimus ignavi domum & penetralia Somni ; perluſtravimus inſulam & urbem : Mater Somni nunc in medium producenda. Hanc vates Aſcræus in Theogon. nobis propalat v. 211.

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε μόρον, καὶ κῆρα μέλαιναν
καὶ Θάνατον. τέκε δ' ὕπνον. ἔτικτε δὲ φῦλον ὀνείρων,
Οὔτινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβέννη.

Nox præterea peperit odioſum Fatum, & Parcam atram
& Mortem; peperit etiam Somnum, peperit vero agmen Somniorum,
Quæ nulli miſta Dea peperit Nox obſcura.

Ergo patre deſtituitur Somnus, quia nocte dormimus & ſomniamus: ideo dicitur peperiſſe Somnum ſine opera ullius Dei, quia ſola nox facit, ut dormiamus & ſomniemus, ceu argute ad hunc locum ratiocinatur κριτικότατος Clericus. Hanc Somni matrem, non minus ac filium Somnum, papavere exornavit antiquitas. Produco teſtem Peligni ruris alumnum Faſtor. libr. IV. p. 597. Edit. ad Vſum Delph.

Interea placidum redimita papapera frontem
Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.

Vt ſilentio involvamus filios Somni, ſatrapasque & præfectos, Inter plurimos filios trium meminit Ovidiana Metamorph. libr. XI. p. 419. Primus Morpheus eſt:

At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figuræ,
Morphea.

Secundus & tertius:

- - Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat, eſt etiam diverſæ tertius artis
Phantaſos.

Satrapas & præfectos Regiæ Somni e Luciano cognoſcimus Ver. Hiſtor. libr. 2. p. 684. οὗτος γὰρ δὴ ἄρχει παρ' αὐτοῖς, σατράπας δύο καὶ ὑπάρχους πεποιημένος, ταραξίωνά τε τὸν Ματαιογένους, καὶ Πλουτοκλέα τὸν Φαντασίωνος. *Is enim apud ipſos regnat ſatrapis duobus & præfectis creatis, nimirum Taraxione Matæogenis filio, & Plutocle Phantaſionis.* Sed linquimus hæc ludicra, ipſam Somni effigiem accuratius inſpecturi. In Muſeo Fuggerorum Somni Dei antiqua ſtatua, capite papaveribus revincto. Et fortaſſis illa ipſa eſt, quam ex Iconol. Deor. ſolertiſſimi Sandrartii hic exhibemus.

Ex



Ex Gemmis Auguſtinianis, ſtudio Excell. Gronovii recuſis, paulo ante, ubi de Dea Larunda egimus, perſonam, ipſi *Maſchera Simbolica* dictam, exhibuimus, quæ aptiſſime Somnum vel ejus matrem Noctem repræſentat. Ejus in capite calathus, vel huic ſimile quid, papaverum capitibus exornatus, dilucidiſſimo Somni ſymbolo; & licet Cl. Auguſtinus mortem hac ſub figura latere credat, argumentoque a cycnis deducto firmet; proprio tamen jugulandum gladio, argumentoque a venereis his alitibus deſumpto, felicius longe Somno vendicabimus. Tradunt enim Venerem, nullo alio recubare lecto voluiſſe, quam

qui

qui e cycni plumis factus eſſet, præſertim vero iis, quæ ſupereminentibus pennis ſubſunt, & lanam appellavit hoc diſticho Bilbilicus vates Epigr. libr. 14.

Laſſus Amyclæa poteris requieſcere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

J. Bapt. Mantuanus libr. 5. Alphons. hujusmodi lectos pretioſiſſimæ annumerat ſupellectili:

Vbi olorinæ ſubter velamina plumæ
Serico odoratæ chlamydes? Aſiatica gaza.

Equidem cæteris omnibus hæ meliores plumæ, quippe reliquis molliores, quas ideo Poëta extollit:

Non ſtratum fluviatilis anas, non anſer Aneta
grandior exhibuit, non mollior anſere cycnus.

Refloreſcentis eloquentiæ princeps, qui apud Italos Poëſin Latinam velut ab Inferis reduxit, Fr. Petrarcham innuo, cycnum pro lecto molliſſimo & ad ſomnum placidiſſimum capiendum imprimis apto, accipit hoc verſu:


Poſtremum in cycno dant corpora caſta ſopori.

Plura, quæ huc collineant, vid. apud laborioſiſſ. Aldrovandum, omnis politioris literaturæ, antiquitatis & hiſtoriæ naturalis, quam fere exhauſit, ditiſſimum promum condum in Ornithol.

His in anteceſſum prælibatis, quis non videt, hanc Gemmam tam ratione papaveris capitum calatho, (aut quidquid ſit, quod in capite geſtat) impoſitorum ſomnumque blande provocantium, quam ratione molliſſimi e cycni plumis parati lecti, ſomnum procurantis ipſique abblandientis, potiori jure poſſe vendicari, quam vel Larundæ, vel Morti? Certe tam clara hæc ſunt, tam perſpicua, ut nulla uberiori indigeant explicatione.

Vidimus

Vidimus papaveribus revinctum Somni caput, in manibus quoque Somni, papaver ſiſtimus. Promit opus illud muſivum vir de antiquis monumentis optime meritus, Cl. Ciam-



pinus, in elegantiſſimo Libro, quod de Operibus Sacris Muſivis Romæ edidit, Tab. XXX. n. 3. pag. 82. Reperta eſt hæc Somni imago Anno 1689. in antiquo quodam monumento, tertio ab Vrbe lapide extra portam Aſinariam, nunc S. Johannis, via Latina. Figura hic expreſſa Somnum repræſentat, quæ cum tota nigra ſit, ad noctis tenebras alludit. Siniſtra tres flores tenet, quos papaveris judicat Cl. Ciampinus, ſomnum quippe conciliantis. Viro cuidam eruditiſſimo non papaveris flores videntur, ſed Aſpergillum Somni, cujus apud veteres mentio. Sic ſi Virgilium Libro V. Æneid. inſpiciamus, Aſpergillum ramus eſt juniperi, vel virga, lethæo rore, vel ſi mavis, papaveris ſucco aliisque madidus. Sic enim altiſonus Maro:

Ecce Deus ramum lethæo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia ſupra utraque quaſſat
Tempora, cunctantique natantia lumina ſolvit.

Et Statius libr. V. Sylv.

Lætior extremo me tange cacumine virgæ.

Valerius porro Flaccus Argon. Libr. VIII.

Contraque lethæi quaſſare ſilentia rami
perſtat, & adverſo luctantia lumina cantu
obruit.

Apollonius Rhod. Argonaut. Libr. 4. expreſſe juniperi ramum ſubſtituit. v. 156.

Ἡ δέ μιν ἀρκευθοιο νέον τετμηότι θαλλῷ
Βάπτουσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα Φάρμακ' ἀοιδαῖς
Ραίνε κατ' ὀφθαλμῶν, περί τ' ἀμφί τε νήριτος ὀδμὴ
Φαρμάκου ὕπνον ἔβαλλε.

Hæc autem (Medea ſcilicet) *ipſum juniperi recens ſecto ramo*
Intingens ex potione Cyceone, efficacia Pharmaca carminibus

Rora-

Rorabat in oculos, circumque plurimus odor
Pharmaci ſomnum creavit.

Quid autem dextra tulerit hæc Somni imago, haud apparet, cum temporis lapſu deletum ſit: quippe

- - - - malignus ævi
Dens corroſerat, optimamque partem
Delibaverat integro labori;

Forte illud *Cornu* erat, in quo *lethæam aquam* geſtaſſe, antiquitas fabulabatur; hoc etenim modo a pictoribus fingitur & pingitur, ut Somnium, quaſi effluens & liquidum, e *cornu* in dormientes effundere videatur. Vnde *irrigare* dicimus *ſomnum*, & apud Poëtam: *feſſos ſopor irrigat artus*, quod facundus Silius ore ſic expreſſit Libr. 10:

Quatit inde ſoporas
devexo capiti pennas oculisque quietem irrorat.

Et Statius de Somno loquens Thebaid.

Cornu perfuderat omni.

& paulo poſt manifeſtius:

Et cornu fugiebat ſomnus inani.

quo loco Lutatius Grammaticus, quem alii Lactantium nominant, ait: *inani cornu dixit, quia illud noctis tempore totum effuderat.*

Nec Lethæis tantum aquis refertum credebatur Cornu, ſed & *papavere*. Teſtem iterum cito Silium Libr. X.

curvoque volucris
per tenebras portat medicata papavera cornu.

Si Valerium Flaccum Argonaut. Libr. VIII. inſpiciamus, alia adhuc plura Somni cornu continet.

Somne pater, Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco. . . . .
Quæ freta ſæpe tuæ domui, quæ nubila Cornu
Fulminaque & toto quidquid micat æthere.

Hoc Somni *Cornu* papavere aliisque refertum, *poculum* quoque vocatur. Sic Chriſtianorum Poëtarum eruditiſſimus Prudentius hymn. 6. de dormientibus:

Mens æſtuans procellis,
Curisque ſauciata,
totis bibit medullis
obliviale poclum.

Solertiſſimus Theologus, Joh. Henr. Vrſinus, hæc, quæ de *Cornu* ſive *Poculo* Somni diximus, multum conferre credidit ad illuſtrandum locum, quem Propheta Zacharias c. 12. v. 2. de *grandi ſoporis poculo* habet, quo hoſtes Eccleſiæ inebriati ferreum ſomnium dormiunt, ut Siſſera poculo ſoporifero Jaëlis, Judic. 4. v. 20. vid. verſionem Tremell. in Zachar. l. c. & Cl. Vrſin. Analect. Sacr. L. I. cap. 35 36. & erudit. Druſium in h. l. ubi certe elegantiſſima de *ſoporis poculo* invenies.

Sed ad Somni redeo imaginem, *manibus papavera* tenentem. Sic enim *Occidentem* in Iconologia, opere omni eruditione ſcatente, adumbrat Illuſtriſſ. Comes Cæſar Ripa. Fingit *Senem*, cum ad *finem* vergat diurnus hominis *labor*; in veſte coloris *violacei*, (*paonazzo* Itali vocant) qui *obſcuris noctique convenientibus* aſſimilatur & accenſetur, *ore faſcia occluſo*, quia nox tempus eſt, quo cuncta *ſilent*. *Capiti* imminet *Heſperus*; indice digito Solis monſtrat occaſum, circumvolitant *Veſpertiliones*, de quibus Sulmonenſis Vates l. 4. Metamorph.

lucemque peroſæ
Nocte volant, ſeroque trahunt a Veſpere nomen.

Manu *lethæa papavera* tenet.

Vidimus hucusque ſtantes & erectas Somni ſtatuas, papavere ornatas: nunc jacentes dormientesque producimus. Inter illas agmen ducat Ὕπνος ἐπιδώτης Pauſaniæ, cujus in Corinthiacis ſive Libr. 2. cap. 10. p. m. 134. his verbis meminit: Καὶ μετ᾽

αὐτὸ

αὐτὸ ἄγαλμα ὀνείρου. καὶ ὕπνος κατακοιμίζων λέοντα, ἐπιδώτης δὲ ἐπίκλησιν. *Prope Somnii ſignum eſt, & leonem ſopiens Somnus, Epi-*



dotes cognomento. Illius jam mentio facta, cùm de Venere actum, rationesque haud ficulneæ, quas Tollius ingenioſiſſimus pro ſententia ſtabilienda, hunc Epidoten Somnum Amorem ſive Cupidinem denotare, attulerat, recenſitæ. Nunc promiſſi memores, hanc lectoris oculis ſubjectam imagunculam potiori jure Somno vendicandam demonſtrabimus; quod certe Cl. Tollio, uti jam diximus, ſuboluit. Ad argumentum autem hoc fulciendum, omnia, quæ imagunculam comitantur, collineare videntur, ut facili negotio rationes in contrariam allatæ ſententiam, corruant & labefactentur. Maximum quippe Cl. Rondelli telum, Somnum Juvenem non eſſe, ab Excell. Tollio jam retuſum, qui oſtendit, partim ex Euclidis apud Stobæum effato, quod duplex Somnus ſit, unus νεώτερός καὶ μειρακιώδης Δαίμων, alter πόλιος καὶ γέρων; partim e loco Statii, qui Somnum ſalutat,

juvenis placidiſſime Divum;

 partim

partim e Pauſaniæ loco mox adducendo, ubi Mors & Somnus in ulnis noctis matris, ceu infantes. E quibus omnibus colligit Vir eruditiſſimus, Somnum ex illis Diis eſſe, quibus non aſſignatur certa ætas, uti nec certæ hominum ætati, ſed univerſæ tribuitur. Juvenem Somnum ſiſtit ſtatua cucullata in hortis Car-



benſibus

penſibus ſuper portam, qua deſcenditur ad fontem. Blanda hæc immerſa ſomno apparet, mento manu ſiniſtra ſuffulto, dextra aliquid tenens, vel facem inverſam fractam, vel cornu, vel ſimile quid, cum ſubſcriptione:

Et ſecura quies & neſcia fallere vita.

Vid. Boiſſard. Topogr. T. III. p. 72. apud quem plura occurrunt marmora, in quibus puelli alati, inſtar cupidinum ſive geniorum, facibus inverſis ſomnum perpetuum vita functorum repræſentant. Neque hoc argumento robur addit, Somnum non eſſe, quod cornu non adſit, cum & ramus juniperi ſive aſpergillum & virga, cujus modo mentio facta, non conſpiciatur. Reliqua brevitatis amore prætereo argumenta, cum partim loci hujus non ſint, partim ab eruditiſſ. Tollio non eliſa tantum, ſed eluſa. Sequitur, ut paucis de Leone, cui Somnus indormit, agamus. Exhibetur hic nobis Somnus tanquam πανδομάτωρ, quo vocabulo eum Nonnus exornat Libr. XXX.

Ὕπνε, τί πανδομάτωρ κικλήσκεαι.
O! ſomne, quid omnium domitor appellaris.

Et jam ante illum Homerus Illiad. Ω v. 5.

οὐδέ μιν ὕπνος
Ἥρει πανδαμάτωρ.
neque ipſum ſomnus
Cepit omnia domans.

& Odyſſ. I. v. 373. Ad quæ verba Scholiaſtes Didymus: Ἐπιθετικῶς ὁ ὕπνος ὁ πάντας δαμάζων καὶ Θεοὺς καὶ ἀνθρώπους. Nec ejus imperium tantum in Deos & homines; ſed, dum leones quoque domat, ſeſe ſiſtit tanquam ἄνακτα πάντων ζώων ὁπόσα τρέφει εὔρεια χθών, *Regem in quæcunque fovet tellus animantia*, ut Orpheus canit.

canit. Sophocles in Ajace hoc reſpectu Somno epitheton παγκρατὴς tribuit

Παγκρατὴς ὕπνος λύει πεδήσας.

quod Valerius Flaccus loco jam adducto *omnipotens* vertit. Quid enim leone σφοδρότερος; attamen ceu κατακοιμίζων λέοντα, leones domans & ſopiens, a Pauſania exhibetur.

πάντων γὰρ κρατέεις μοῦνος καὶ πᾶσι προσέρχῃ,
Σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκεύτοισι πέδησι.
Omnibus unus enim regnas, atque omnibus adſtas,
Corporaque inſidiator inermi compede vincis.

Orpheo hic iterum explicante in Hymn. Namque ſomno fit debile corpus, langueſcunt omnia membra:

Serpit per omne corpus
lethæa vis, nec ullum
patitur manere ſenſum.

Prudentio ſic ſentiente. Hinc ὕπνος λυσιμελὴς, *membra reſolvens*, & flaccida quaſi reddens, apud Theocr. & Heſiod. λυσιμέριμνος autem & γλυκύθυμος apud Orpheum & Ariſtophanem audit. Nos relicto *leonino Somni lecto*, alium ejusdem inſpicimus apud Ovidium Metamorph.

At medio torus eſt, ebeno ſublimis in atra,
Plumeus, atricolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus.

Ingenioſiſſimus Iconologiæ Scriptor Somni lectum papaveribus ſtratum pingit; id quod Statio forſan mutuo ſumptum, qui Thebaid. L. X. v. 107. canit, ceu optima id exemplaria exprimunt:

Soporifero ſtipatus flore tapetas
Incubat

Expri-

Exprimit hoc quoque *papaver*, imagunculæ noſtræ adjacens, indubius Somni characteriſmus, ut pluribus vix opus ſit.

Majorem difficultatem parit *Lacerta*, nec primo intuitu apparet, quomodo hoc animalculi genus Somno congruat; ſed ſi paululum diſpiciamus, nobis Ariſtoteles de Hiſt. Animal. auctor eſt, per dimidium fere anni, lacertas dormientium inſtar ſub terra latitare: Hinc ἑξαμηνόβιος σαῦρος, *lacertus ſemeſtris*, a Peripateticorum vocatur aquila; cauſamque Rev. P. Lauretus in Sylv. Allegoriar. autumat, cur inter immunda animalia in veteri fœdere lacerta fuerit relata, quod cavernas & ſepulcra incolat, & per ſemeſtre ſpatium dormiendo quaſi tranſigat. Vel Somno convenit lacerta, quia *oblivionis imago*, utpote cui animali, Plinio Hiſt. Nat. Libr. X. c. 66. teſte, nulla ſit memoria; hinc Orpheo αὐτοκασίγνητος λήθης; vel ut Lucretius Libr. IV. exprimit:

Præterea meminiſſe jacet, languetque ſopore.

Sic oblivionem Somno adjungit Euripides in Oreſte v. 211. ſeq. p. 137. Edit. Stephan.

Ὦ φίλον ὕπνȣ θέλγητρον, ἐπίκȣρον νόσȣ
Ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε.
Ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφὴ,
Καὶ τοῖσι δυςυχȣ͂σιν εὐκταία θεός.

O! dulce demulcens Somne, remedium morbi,
Quam ſuavis mihi adveniſti opportuno tempore.
O! Veneranda oblivio malorum, quam es ſapiens,
& optanda Dea calamitoſis.

Si hæc inſufficientia videantur, alia pro his confirmandis afferri poterunt. Si homini ſub dio dormienti ſerpens aliquis inſidietur, *lacerta*, etiamſi puſillum ſit animal, per faciem & collum dormientis curſitans, illumque excitans, hominem ab hoſte

venenato tuetur; id quod de lacerta Braſilienſi *Taragüira* narrat Illuſtr. Rajus Synopſ. Method. Animal. quadrup. p. m. 266.

Reſtant in imaguncula noſtra *Alæ*, quæ itidem Somnum declarant: hunc enim alatum & Poëtæ fingunt & marmora & gemmæ. E Poëtis Græcis *alas Somno* adjudicat Nonnus in Dionyſ. Libr. 48. v. 1284.

Καὶ σκιεραῖς πτερύγεσσι, περισφίγγων δέμας Αὔρας
Ὕπνος ἔην βάκχῳ γαμοςόλος.
Et in umbroſis alis circumſtringens corpus Auræ
Somnus erat Bacchi nuptias adornans.

Sic & Somnio adaptantur alæ in Orphicis:

μάκαρ τανυσίπτερε, οὖλε ὄνειρε.
Beatum alas expandens, pernitioſum Somnium.

Et Nox quoque Euripidi vocatur in Hecuba

Μελανοπτερύγων μάτηρ ὀνείρων.

Inter Latinos Poëtas Mantuanus Vates Æn. Libr. V. v. 861.

Ipſe volans tenues ſe ſuſtulit ales in auras.

Et Ovid. Metamorph. Libr. XI. de Morpheo:

Ille volat nullos ſtrepitus facientibus alis
per tenebras.

Et Silius Libr. X.

. . . . *Non te majoribus, inquit,*
Auſis dive, voco: nec poſco, ut mollibus alis
Des victum mihi, Somne, Jovem.

Erantque *alæ* hæ, ut inferorum omnia, *fulvæ vel nigræ*. Tibull. Libr. II. Eleg. I.

Poſtque venit tacitus fulvis circumdatus alis
Somnus, & incerto Somnia nigra pede.

& Manilius Atlas alter & Alcides, qui caput aſtra tulit, Aſtronom. Lib. V.

& mentita diem nigras mox contrahit alas.

Claudianus in Ruffinum:

Cœperat

Tab XXVII.



Ceperat humanas alto ſopore labores
Nox gremio, nigroſque ſuper diffuderat alas.

In marmoribus quoque *alatus* conſpicitur Somnus: ut enim ſilentio præteream plures Somni alati effigies, tædis inverſis in monumentis reperiundas, æternalem & lethæum Somnum concernentes: ectypon nitidiſſimæ Somni imagunculæ ab Amico Dn. Korlino, omnis antiquitatis, imprimis nummariæ, promocondo, accepi, cujus prototypon hic in Muſeo Brauniano, cum principibus certe gazis comparando, theſauro proh dolor abſcondito, aſſervatum. E marmore Pario effictum eſt, ejus magnitudinis, quam hic exſculptam damus. Calamiſtratum denſumque capillitium, præſignis facie, forma conſpicuus puſio, apta ubique membrorum commodulatio ad carnariam potius accedens, quam pinguiariam. Alarum elegantiſſimarum remigium corpori connexum, quale in venuſtulo & pulchello conſpiciendum Cupidine. Et certe Apulejo de Deo Socratis teſte, Amor & Somnus ejusdem generis Dæmones ſunt. Vnde Excell. Tollio ſic ſentiente, in antiquis marmoribus ac monumentis ita earundem confuſæ ſunt imagines, ut vix ab Amore Genium, Amoremque a Somno diſtinguas: nec invalidam rationem annectit Vir Clariſſimus: Nam vitæ primus auctor ἔρως: Vitam in- „ trantibus, ſive inchoantibus additur Genius, adeſtque ad ex- „ tremum vitæ ſpiritum: quo ſemel extincto, una perpetuo „ „ omnibus dormienda nox eſt, cujus & lethum & conſangui- „ neus lethi ſopor progenies. Præterea duo hæc ἀφρονέστατα „ πάθη, Somnus & Amor, ut ea Heraclides Ponticus appellat. Hoc noſtrum tamen ſimulacrum Somnum eſſe vel Genium Somni, cujus ſæpius in inſcriptionibus mentio fit, evincunt papaveris capita in dextra conſpicienda. Maxime vero dolendum, quod manum ſiniſtram mala fors abſtulerit, ut nunc nihil cer- *Tab. XXVII.*

ti determinare poſſimus, num cornu, an tædam, an aſpergillum tenuerit. Oculi vel conniventes, vel plane clauſi, Somni quoque luculenti indices, me movent, ut illud, quod de dormiente Jovis aquila Pindarus cecinit Pyth. 4. v. 13. ſeq. Edit. Theatr. Sheldon. in Fol. p. 166. huic noſtræ applicem imagunculæ: Κελαινῶπιν δ' ἐπὶ οἱ νεφέλαν -- βλεφάρων ἁδὺ κλαΐστρον κατέχευας. *Obſcurum vero ei nebulam - palpebrarum ſuave clauſtrum, offundis.* Pedes pulcherrimi, nec intorti, uti in Somni ſtatua Pauſaniæ mox producenda, ſituque dormientibus conſueto, & perquam familiari, quantum ex aliis dormientibus colligere licet ſtatuis, quarum e numero unicam tantum producam, elegantiſſimam certe apud Boiſſard. Antiquit. Roman. T. VI. n. 25. delineatam, quæ Nympham adumbrat dormientem, ad Aquæductum fontis Virginis, hac adjecta epigraphe:

Tab. XXVIII.



Hujus



ENDYMION dormiens LVNAM coelo deducere amoris cauſa creditus

Hujus Nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tranſis cava marmora, Somnum
Rumpere, ſive bibas, ſive lavere, tace.

Situs ille corporis, & dextra ſuper caput reflexa, requieſcentem e longo labore denotat apud Lucianum. Nec fruſtra eſt, quod in aurem ſiniſtram dormit: illud enim, ſecundum Cl. Tollium, repetiti ſomni indicium, adeoque animi cura levati. Prius enim, ſi Medicis auſcultandum, in dextra dormire ſalubrius, qui ſomnus ut primus, ita altiſſimus: ſed expergefactis ſemel redormire non tam facile, niſi omni cura vacuis; hinc fluxere Adagia, *in utramvis & in dextram aurem dormire.*

Conſociabimus his Somni imaginibus Marmor illud, in Romano Principis Juſtiniani Horto obvium; ab artificioſiſſimo noſtro Sandrartio Statuariæ Admirandis inſertum, & Theſaur. Antiq. Græcar. Gronov. T. I. quoque ex hoc opere illatum. Declarat hoc fabulam Endymionis dormientis, Lunam cælo deducere amoris cauſa crediti, cumque plurima, quæ hucusque de Somno, ejusque alis, Somnique geniis dicta, exprimat & illuſtret, hic inſerere conſultum duxi, & vel maxime ideo, cum ad caput Endymionis dormientis Somnus alatus, vim ſimul ſuam inſpirans, aliaque figura, *papaveracea* tenens manibus *capita*, quam noctem eſſe reor, appareant. Senſum fabulæ Endymionis nonnulli ſic explicant; fuiſſe illum paſtorem, qui nocturnis delectaretur paſcuis, cum alii paſtores clauſas in ſtabulis haberent greges. Atque cum hujus greges magnopere pingueſcerent, fabulæ datus eſt locus, quod Luna ejus amore capta, illud Endymionis gregibus donaret. Eſt & aliud Marmor, hanc dormientis paſtoris fabulam exprimens, in muro carceris Conſtantinopolitani, a ſeptem turribus nomen trahentis, ubi Dea etiam Facem tenere creditur, referente hoc Excell. Grono-

Tab. XXIX.


vio in Theſaur. Antiq. Græcar. Tom. I. Lit. O. Cum plurima hactenus attulerim, quæ vim ſoporiferam papaveris illuſtrant; etiam hoc addendum duxi, opium antiquis dictum *Sopio*, ſecundum Excell. Rhodium Not. in Scribon. Largum. Hac ratione Galeottus Martius de Promiſcua Doctr. c. 5. pro *Scipionibus* apud Catullum Carm. XXVII. legit *Sopionibus*. A virtute hac papaveris ſoporifera, ſpecies quædam atræ lactucæ vocatur Μηκώνις θρίδαξ, *lactuca papaveracea*, quod ſecundum Florentium, (Rei Ruſticæ ſcriptorem, qui, ut Cl. Needham in Proleg. ad Geoponic. Scriptores ab ipſo editos notat, circa Annum Chriſti 218. ſub Macrino Imperatore vixit) θρίδαξ ἄδιψον ἔδεσμα καὶ ὑπνοτικὸν, καὶ γάλακτος προτρεπτικόν. *Edulium ſitim extinguens, ſoporiferum, & lac alliciens*, & paulo poſt: ὕπνον ἐπιφέρει τοῖς μὲν ὑγιαίνουσιν ἐσθιομένη, τοῖς δὲ νοσοῦσιν ὑποτιθεμένη ἀγνοοῦσι. *Somnum inducit ſanis quidem in cibo acceptum, ægris vero ſuppoſitum neſcientibus.* Καὶ ὁ χυλὸς δὲ ταύτης ἐπιχριόμενος τῷ μετώπῳ τοῦ ἀῤῥώστου, ὕπνον αὐτῷ ἐπάξει. *Succus etiam hujus fronti ægroti illitus, ſomnum ipſi inducet.* Plura adhuc de vi ſomnifera hujus lactucæ in fine capitis habet Florentius. Vid. Excell. Needhami Geoponic. Script. Libr. XII. c. 13. pag. 333. Sed ad Papaver noſtrum redeundum, cujus virtutem hypnoticam nil magis exprimit quam elegantiſſima Gemma Gazæ Chriſtianiſſimi Monarchæ, quam dædala manus Eliſabethæ Cheron faberrime æri inſculpſit. Minervæ certe opus, & in arte chalcographica inter abſoluta cenſendum, palmam, quam tot in arte hac obtinuere, reddens dubiam. Æri inciſam hic porrigimus, ſed Vmbram pro Junone, ut eſt in proverbio, ſi cum prototypo conferatur. Inſcriptio Gallica, quid ſibi gemma Jaſpis ſanguinea velit, explicat: *La nuit repand ſes pavots. Nox ſpargit* vel effundit *papavera ſua*. Certe omnia, quæ antiquorum ſcriptorum ſolertia de Somni viribus effectibusque ad nos detulit, hæc explicat Gemma. Ovidii Metamorphoſin inſpicienti libr. XI. Somnus pater ſe offert, quam

Tab. XXX.



La Nuit qui repand ses pavots. Iaspe Sanguin du Cabinet du Roy.

Elizabeth Cheron
L. H. delin: i. rio



quam Dea Juno, cum Iride accedens, placide nictantem ſoporique indulgentem in regia reperit. Gemmam hanc intuenti, Deus Somnus, ex Ovidiana delineatione, ſenis inſtar exhibetur,

- - Tardaque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutantia pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe, cubitoque levatus,
Quid veniat, ſcitatur.

Adde illud Homeri libr. ult. Odyſſ.

εὐδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐςὶ γερόντων.
Dormivit molliter, hæc enim juſtitia eſt ſenum. i. e.

juſta hæc & convenientia ſenibus ſunt, quem locum ex Homero ad eam ſententiam probandam citat Galen. περὶ ὑγείας libr. V. de quo loco fuſius in diſſert. noſtra de Homeri in Medicina Auctoritate.

Somno patri proxima fœmina, quam quoque ſopor habet, & quæ itidem

molli languore ſolutum
depoſuit caput.

vel ut Lucretius canit:

- reclinata obdormivit & omnia membra
diſſolvit ſopor.

Forte illa Charitum una, & quidem Paſithea, quam Somni Amaſiam fuiſſe, refert Pauſan. libr. IX. in Bœot. c. 35. p. 781. Juvenem illi adſtantem, cum papavere in ſiniſtra, non abſurde Somni filium quis pronunciet, qualem velit pro arbitrio, ſive illum, quem

- Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
nominat,

ſive

ſive ſit - - - *diverſæ tertius artis*
Phantaſos.

Junonem, vel Iridem papavera porrigentem quis in gemma expreſſam neget, & ſimul

Morphea, qui peragat Thaumantidos edita.

Vapor ſub pedibus Divæ Ovidianum illud explicat:

Imperat hæc Juno, poſtquam mandata peregit
Iris abit; neque enim ulterius tolerare vaporis
vim poterat.

Frutetis obſeſſus ager Lucretio lucem dat.

Et frutices inter condebant ſquallida membra,
Circum ſe foliis & frondibus involventes

Flores ad pedes Somni patris propullantes illud Poëtæ interpretatur.

Somne vocant . . . . . .
Te violæ, te lilia pulchra, tuumque papaver.

E Rivo allabente colligere licet, placidum aquarum curſum lapſumque ſuſurrosque, æque ac papaver, blando involvere ſomno, probante hoc M. Ant. Flaminio:

Invitat blando te vaga lympha ſono.

Quo ſpectat quoque Nympha ad Aquæductum fontis virginis Romæ, cujus paulo ante mentio injecta. Vel ſecundum Lucianum Var. Hiſtor. libr. 2. p. 684. *fluvium Nyctiporum* deſignat, e duobus fontibus, Negreto & Pannychia, forte ortum ducentem; vel *Lethen fluvium* ob oculos ponit, cujus Ovidius his verbis meminit in Regia ſomni:

Sax,

Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos, crepitantibus unda lapillis.

Ab hoc fluvio papaver a Virgilio *lethæum* denominatur:

Lethæo perfuſa papavera ſomno.

Quod Servius tamen *plenum oblivionis* interpretatur, quam efficaciam quoque Ceres, Proſerpinam nimium lugens, e papavere ſenſit; & Proteus apud Virgilium Ariſtæo præcepit:

Inferias Orphei lethæa papavera mittes.

Qui ſcilicet obliviſci vivus deamatæ Eurydices nequiverat: Hinc Heſychio Μήκων πόα τὶς λήθην ἐμποιοῦσα, *papaver herba oblivionem inducens*, definitur; vel Lethæum quoque ſit papaver non vi ſoporifera, ſed, *ſi copioſior hauriatur*, *MORTIFERA* per ſomnos, e Plinii effato, qui optime hoc addit, ut moderato papaveris uſui laudis nihil decedat, vel detrahatur; nec enim quis unquam de ſemine papaveris interpretetur, ſed de lacryma ſive opio, quippe papaveris ſemen in ciborum numerum olim ceſſiſſe, & adhuc cibis immiſceri, res evidentiſſima, ut mortiferi nihil exinde, uti ex opii ingeſtione nimia, metuendum ſit. Hujus mortiferam vim innuit Nicander Alexipharm. v. 433.

Καὶ σὺ δὲ, μήκωνος κεβληγόνου ὁππότε δάκρυ
Πίνωσιν πεπύθοιο καθυπνέας, ἀμφὶ γὰρ ἄκραν
Γυῖα καταψύχουσι. τὰ δ' οὐκ ἀναπίτναται ὄσσε,
Ἀλλ', ἄυτως βλεφάροισιν ἀκινήεντα δέδηεν.
Ἀμφὶ δὲ ὀδμήεις καμάτῳ περιλείβεται ἱδρὼς
Ἀθρόος, ὠχραίνει δὲ ῥέδος, πίμπρησι δὲ χείλη,
Δεσμὰ δ' ἐπεγχαλάουσι γενειάδος, ἐκ δέ τε παῦρον
Αὐχένος ἑλκόμενον ψυχρὸν διανίσσεται ἆθμα.
Πολλάκι δ' ἠὲ πελιδνὸς ὄνυξ μόρον, ἠὲ τι μυκτὴρ
Στρεβλὸς ἀπαγγέλλει, ὁτὲ δ' αὖ κοιλωπέες αὐγαί.

Fœcundi lachrymam quicunque papaveris hauſit,
Hunc ſopor altus habet, glaciali frigore ſummi
Torpeſcunt artus, nec lumina coeca recludit,
Commiſſis ſed vincta genis immota tenentur.
Vndique permulto corpus ſudore gravique
Extillat, pallet facies, ſunt fervida labra:
Vincula malarum ſolvuntur: anhelitus imo
Exiguus frigensque ſimul ſpiratur ab ore.
Sæpe etiam obtortæ nares, vel lividus unguis,
Aut oculi ſunt certa cavi præſagia mortis.

Secundum Cl. Lobelium Μήκων, a quo *Meconium* fluit, nomen obtinuit a μηκωνεῖν, quia vincti opii ſopore ſenſus & membra ſtupefacta nequeant quicquam agere; aut a κώνειον, *cicuta*, quod vertiginem aliaque lethalia ſymptomata, ſicut illa, inducat; ob hanc rationem ab Illuſtriſſ. Salvagn. Boeſſio de Septem Delphin. Miracul. ſylv. 2. de Turri veneni experte inter deleteria venena refertur:

Quave madebat humus tetro polluta veneno,
Peſtifero crevit, dictu mirabile, ſucco
Herba, toram vocitant, qua non velocius ullum
Progenerat Colchos, Ophiuſaque lurida virus,
Cedit Hyoſcyamus, gelidique papaveris humor &c.

Hinc *Sopor* Cornel. Nepot. Dion. 11. idem ac *potio ſoporifera: Patri Soporem dare Medicos cöegit. Hoc æger ſumpto ſomno ſopitus diem obiit ſupremum.* Nil quippe apud auctores frequentius, quam ut Somnus & Mors germaniſſimi fratres ſtatuantur, & quidem uterini, quos Mater Nox peperit. Lucem offert ſtatua apud Pauſan. in Eliac. priorib. ſive libr. V. cap. 18. p. 422. *Πεποίηται δὲ γυνὴ παῖδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνέχουσα τῇ δεξιᾷ χειρὶ, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μέλανα ἔχει παῖδα καθεύδοντι ἐοικότα, ἀμφοτέρους διεστραμμένους*

ςϱαμμένους τὰς πόδας. *Fœmina expreſſa eſt puerum conſopitum dextra album ſuſtinens, nigrum ſiniſtra, & hunc dormientis effigie, diſtortis utrinque pedibus.* Addit porro: Θάνατόν τε εἶναι σφᾶς καὶ ὕπνον, καὶ ἀμφοτέροις Νύκτα αὐτοῖς τροφόν, *pueorum unum Mortem eſſe, alterum Somnum; mulierem illam Noctem utriusque nutricem.* Rationem fraterni hujus vinculi, ſalvificæ fidei noſtræ conformem ſuggerit Athenienſium Philoſophorum Chriſtianiſſimus, Athenagoras, περὶ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν. Edit. Theatr. Scheldon. p. 240. παρ' ἣν αἰτίαν, οἶμαι, τινὲς ἀδελφὸν τοῦ Θανάτου τὸν ὕπνον ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς ἐκ τῶν αὐτῶν προγονῶν ἢ πατέρων φύντας γενεαλογοῦντες, ἀλλ' ὡς τῶν ὁμοίων παθῶν τοῖς τε θανοῦσι καὶ τοῖς ὑπνοῦσιν ἐγγινομένων, ἕνεκά γε τῆς ἠρεμίας καὶ τοῦ μηδενὸς ἐπαισθάνεσθαι τῶν παρόντων, ἢ γινομένων, μᾶλλον δὲ μηδὲ τοῦ εἶναι καὶ τῆς ἰδίας ζωῆς. *Qua de cauſa exiſtimo nonnullos Somnum fratrem Mortis appellitare, non quod genus utriusque indicare velint, quaſi ex iisdem majoribus & parentibus ſint nati; ſed quod ſimilia accidant ſopitis & defunctis, ratione quietis otiique ſenſuum, quum nihil intelligant de rebus præſentibus, aut quæ tum fiant, imo nec ſeipſos eſſe aut vivere ſentiant.* Tranſilio hic tot Auctorum loca, quibus Somnus

Ἥδιστος θανάτου ἄγχιστα ἐοικώς,
Suaviſſimus mortis proxime ſimilis,

& gelidæ mortis imago audit; uti vice verſa Mors vocatur Somni imago a Cicer. I. Tuſcul. Sufficiat hic adduxiſſe, Sacris paginis hanc loquendi formulam haud infrequentem eſſe, uti omnibus liquet: maxime vero Hebræis uſitatum, κατ' εὐφημισμὸν mortem benigniore Somni vocabulo appellare. Et Syris quoque ſolemne eſſe, *mori* pro *dormire* ut reddant, probavit Cl. Caninius de Loc. Ebr. N. T. p. 61. Hinc non ſolum Chriſtianis, verum etiam τοῖς ἔξωθεν plerunque *obdormire* dicuntur, qui poſt pie tranſactam vitam moriuntur; contra *mori*, qui ob nefarie actam vitam

tam damnantur. Sic Callimachus Epigr. X. pag. 193. Edit. Græviân.

τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
κοιμᾶται. θνήσκειν μὴ λέγε τὺς ἀγαθούς.

Hac tellure Saon requieſcit Acanthius, ortus
Patre Dicone. Mori dicere turpe bonos.

Vbi ἱερὸν ὕπνον Cl. Vulcanius longum, perpetuum, interpretatur, uti apud Lyricorum principem Horatium:

ne longus tibi ſomnus, unde
non times, detur.

Vel ut alio loco Romanæ hic fidicen lyræ exprimit:

Ergo Quintilium perpetuus ſopor urget.

Vel ſecundum Moſchum: εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήκρετον ὕπνον, *dormimus valde bene longum, infinitum, inexcitabilem, ſomnum.* Decima Muſa, Anna Daceria, Tanaquili Filia Fabri, Somnum ἱερὸν, Callimachum hoc loco nominaſſe contendit, quia ἐν εὐσεβέων χώρῳ διέτριβεν ἀποθάνων. Annotavit porro fœminarum eruditiſſima, ad verb. Epigramm. κοιμᾶται, κοιμητήρια communia ſepulcra dicta. Sic dormitorium etiam pro Sepulcro utriusque Plinii vox eſt. Æſchylo εὐμενίσι, mortui εὕδοντες dicuntur, & Lycophron ſepulchrum εὐναστήριον vocat. Vid. plura huc facientia apud Excell. Meurſium Not. in Lycophron. pag. 200. Elegantiſſimum Theophylacti Simocati Expræfecti locum, ex quo Chriſtianum fuiſſe omnibus palam fit, hic prætermittere haud poſſum: ſic enim ille in Epiſt. Ethic. 25. Soſipatri ad Axioch. ὕπνος γάρ τις ἐςὶν ὁ παρ᾽ ἡμῖν θρυλλούμενος θάνατος; τοῦ μὲν συνήθους τούτου μακρότερος. πρὸς δὲ τὴν μέλλουσαν ἡμέραν βραχύτατος. *Somnus enim quidam eſt, qui fertur apud nos eſſe Mors, conſue-*


to

to quidem longior, ad futurum tamen diem ſi conferas, breviſſimus. Confer. Rom. Subterr. Boſii & Aringhii libr. I. cap. 1. ubi gazam, e profanis ſcriptoribus & Patribus collectam, hac de materia invenies.

Sed hæc de Somno æternali, uti in marmoribus paſſim inſcribitur, & ut plurimum figura alata, inverſæ faci innixa fingitur, animæ e corpore egreſſum denotante, dicta ſufficiant; Lethæa quippe papavera, quæ huic diverticulo anſam dedere, nos in viam revocant, & ad gemmas papavere inſignitas, easque

MORTEM

concernentes, dilucidandas cogunt. *Morti* quippe non minus, ac aliis Diis, divinos decrevit honores antiquitas, teſte Ælian. de Providentia, qui aram Morti dicatam refert, ut quæ ſit ἡ κοινὴ ἀνάπαυλα, καὶ ὁ τελευταῖος ὅρμος, *Communis quies & ultimus portus*, & ſecundum Philoſtratum in Vita Apollon. libr. V. cap. IV. Gaditani τὸν Θάνατον μόνοι ἀνθρώπων παιωνίζωνται, *Soli hominum feſtis cantibus mortem celebrant.* Rationem alibi reddit Apollonius Tyanenſis in Epiſt. 58. ad Valer. pag. 402. Edit. Excell. Olear. mortem nempe non dolendam, ſed colendam & reverendam eſſe, ὅταν Θεὸς ἐξ ἀνθρώπου γένηται, *quando Deus ex homine fit.* Sed ad gemmas & quidem, quod illam Leonardi Auguſtini, perſonam, ſive *Maſcheram Simbolicam* ipſi dictam, concernit, papavere & cycnis exornatam; Mortem denotare eam vir eruditiſſimus credidit: aptius tamen Somnum, ut ſatis a nobis jam probatum, exhibet. Addimus, colophonem tandem impoſituri, Cl. Stephanonii Gemmam, in qua, *papilio*, *rota*, urna cum *papavere*, & in medio poſita arce corporis, anima integumentisque caſſa: ſubjungimus a Stephanonio ſuppeditatam Gemmæ interpretationem:



Papilio anne *Rota* eſt vitæ fugientis imago?
Vrna rogum, lethi fratrem ſignatne *Papaver*?
Obtinuit medium cur? quæ

VLTIMA LINEA RERVM EST.

CVRAE SECVNDAE.

CVm Meconopaegnium nuper recognoſcerem, addi illis, quae olim congeſſeram, non pauca potuiſſe obſervabam. Cui enim adeo felici eſſe contigit, ut vel ſolerti omnia oculo luſtrarit, vel quae legit, in promtu ſemper habeat? Itaque cum ea ſit hominum conditio, ut perfectum nihil ſit, ſimulac natum eſt: bona, uti ſpero, cum B. Lectoris venia adjungere licebit, quae interea temporis lecta mihi collectaque ſunt, ut ſuperiora illa et illuſtrent magis et corroborent fortius, accuratius denique ſuppleant.

Ad pag. 2. lin. 26. Papaver, et ex hoc paratum opium, recenſetur ab Arabe Scriptore, Ibrahim Ben Ouaſſaf Shah, inter triginta res illas, quibus Aegyptus prae reliquis excellit et abundat. Titulus libri Arabici eſt: *Giaouber albohout ou Ouakai aldobout*. Hoc in opuſculo poſtquam annotaverat, Aegyptiacam terram per tres menſes exiſtere albam lucidamque, inſtar margaritarum; per tres menſes nigram, inſtar moſchi; per tres viridem, inſtar Smaragdi; per tres denique flavam, inſtar ſuccini; ex iſtis triginta rebus praecipuas nominat, mineras orientalium ſmaragdorum, hordeum rubrum, opium, opobalſamum Matharenſe, frumentum Joſephi, artem pullos gallinaceos fornacum ope excludendi, mel apum de Baenſa, colocaſiam, linum ſubtiliſſimum, caſſiam, citrea mala acida per Nili aquas edulcorata, piſcem ſcincum marinum dictum, lignorum et marmorum diverſa genera, papyri plantam, aſinorum ac mulorum et equorum alias et alibi non viſas ſpecies.

Ex opii papaverisque abundantia fluit, quod Aegypti ac Aethiopiae incolae dicantur per jocum BENV AL KHASCH KHASCH, *Liberi papaveris nigri.* Califae Al Mamon cognatus quidam erat Ibrahim dictus, qui ejus inhians dignitati, malevolorum maximam partem in conſortium traxit, ut illum everteret. Cum autem illius, e matre Nigritana prognati, vultus colore ad brunum accederet, Al Mamun jocabundus hunc cognatum ſuum

vocabat Califam liberorum papaveris nigri. Haec ex Herbelotio deſumpta, qui, judicio Dn. Regnier Desmareſt,

- - - habilis Grajum verſare volumina et omnes

Nunc Arabum linguae, nunc ſacrae promere gazas;

et quidem ex ejus aeterno opere, inſcripto: Bibliotheque orientale, ſub voce *Meſri* vel *Miſri*.

P. 5. lin. 14. Pro *Aemonenſium* lege *Acmonenſium*.

P. 10. lin. 26. ΜΑΙΩΝΩΝ in Lydia nummus, in honorem Juliae Mammaeae cuſus, in cujus averſa parte apud Valentium de Numm. Graec. Juno pronuba ſtans, hinc ſpica, inde papaver.

P. 11. lin. 7. Eſt et alius Trajani argenteus, in Gazis Schwarzenburgicis, nunc Gothanis, quem Tab. I. n. 24. exhibuit Cl. Ruhe in Specim. 1. Philol. Nummar. lat. cujus nummi figura ſtans, quae dextra ſpicas cum papavere, ſiniſtra tenet calamum odoratum. Papaver in memoriam revocat, opium in maxima adhuc copia e primaria urbe Aden afferri; calamus aromaticus autem in ſiniſtra, illud Plinii, ſcribentis, *praeſtantiſſimum in Arabia trans Libanum naſci*. Ad pedes ſtantis Arabiae camelus eſt, Arabiam denotans, ut equus Mauritaniam, crocodilus Aegyptum, noctua Athenas. In ſubſcriptione legitur: ARABIA ADQVISITA. Idem fere nummus eſt apud Exc. Patinum de Numm. Imper. aereis p. 175. qui tamen loco ſpicarum et papaveris, thuris ramum, (quae arbor, e Plinii effato, nusquam niſi in Arabia germinat) ſubſtituit.

Pag. 15. lin. 17. add. Occurrit et alius Sardianorum nummus foeminae ſanctae Juliae Mammaeae, Alexandri Severi Imperatoris Matris: ex una parte eſt caput Juliae, cum Inſcriptione: ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΜΜΑΙΑ CΕΒΑCΤΗ. In averſa parte ciſta, e qua exilit ſerpens, hinc ſpica, inde *papaver*: ΕΠΙ Γ. ΑCΙΝ. ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ ΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Cajo Aſinio Nicomacho Archonte Sardianorum iterum Neocororum.* Nummus aeri inciſus eſt apud Cl. Octav. Stradam, de Vit. Imper. p. 101. Edit. Francof. Meminit hujus pariter nummi Clar. Valentius de Numm. Graec.

Ad pag. 23. lin. 2. Semina fere innumerabilia terrae ſignans:

gnant foecunditatem, id quod olim Phornutus de natura Deorum cap. 28. ſub finem indigitavit: σπέρματά τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. *Semina innumerabilia terrae foecundam generationem*, (indicant.) Horum tamen numerum indagare niſus eſt ingenioſiſſimus Grewius, citante indefeſſo naturae myſta Rajo Hiſtor. Plantar. Libr. I. cap. XIII. p. 24. *Papaver album*, ſcribit, *ſemina 32000. quotannis producit, quam ſummam ita colligit: Quatuor plurimum planta haec capitula matura profert, in quorum unoquoque denae minimum membranae ſeu parietes, totidem cellulas diſterminantes ſunt. Harum unius cujusque alterutri lateri ſemina adnaſcuntur circiter* 800. *quibus in* 10. *numerum membranarum ductis, exſurgit ſumma* 8000. *qua iterum* 4. *pro capitulorum numero multiplicata, efficitur numerus praedictus* 32000.

Ad pag. 33. lin. 26. Sed quas papaveraceas veſtes ſive ſplendor ſive ſubtilitas commendat, in lignis ad menſas conſtruendas atro propior color damnat. Locus eſt in Plin. Hiſt. natural. Libr. XIII. cap. XV. Sect. XXX. p. 88. Edit. Harduin. qui ſi in vulgatis editionibus legatur, nihil plane ſani continet. Sic enim habent verba: *Poſtea muraena nigro transcurrens limite, variisque corticum punctis papaverum modo, et in toto atro propior colos, maculaeve diſcolores. Muraena*, e R. P. Harduini mente, ductus in longum limes, tramesve niger muraenae ſimilitudine. *Corticum* loco ex animi conjectura *cornicum* reſcripſit; quamvis in I. Reg. Codic. et in Colbertino *corvum* legatur. Senſum igitur hunc eſſe credit: Menſa non placet variis interſtincta punctis, eo colore, quem in cornicum plumis deprehendimus, nec color ille cinereus, qui papaverum nodum refert, (*nodum* e Mſto *nodo* ſubſtituit) atque adeo atrum omnino colorem. Sic locum ſanare cupit induſtrius Plinii interpres.

Ad pag. 45. lin. 5. Plura de vocula *Veſco* promit idem Gronovius Not. in Tit. Livium.

Pag. 74. lin. 20. Typothetae vitio legitur *praederet*, cum *crederet* legendum ſit.

Pag. 78. lin. 20, add. In Gazis Schwarzenburgicis, nunc

Gothanis, reperitur nummus Hadriani aureus, in cujus averſa parte Iſis cubat, corona e ſpicis anguibusque contexta; dextra manu ſiſtrum tenet, crepitaculum aeneum, quo ſacerdotes in Iſiacis ſacris uti ſolent, cujus Virgilius meminit Aeneid. VIII.

- - - *patrio vocat agmina ſiſtro.*

et Ovid. Libr. III. Amor.

Quid nos ſacra juvant, quid nunc Aegyptia proſunt ſiſtra.

Laeva Iſis caniſtro frugum, e quibus ſpicae papaveraque eminent, innititur, quo ſoli Aegyptiaci ubertas deſignatur. Ibis ſacra avis juxta pedes, veluti obſequens ſtat in baſi, quam Aegyptii invocant contra ſerpentum adventum, teſte Plin. Lib. X. c. 28. Inſcriptio nummi: AEGYPTOS loco AEGYPTVS. Idem nummus extat apud Rev. Patr. Harduin. in Numm. antiq. Popul. et urb. illuſtr. et apud Patin. de Numm. aer. Imper. p. 190.

Ad pag. 99. lin. Hic Bacchi et Ariadnes triumphus exhibetur in Monumentis Veterum Romanorum et Etruſcorum, a Bartolio et Bellorio editis, Fig. CX. quae pictura muſiva inventa fuit in cryptis ſeu cavernis ſancti Sebaſtiani. Ariadne vero hac in figura, manu non papaver, ſed aeque ac Bacchus thyrſum tenet.

Ad pag. 102. lin. 25. In Familia Volteja nummus eſt Bacchi et Cereris, ubi currui draconibus vecto, papaveris caput adjunctum, cum ſubſcript. M. VOLTEI. M. F. Fulv. Vrſin. de Famil. Roman. Edit. Patin. p. 301. ſed accuratius expreſſum papaver in Theſaur. Brandenburg. T. II. p. 596.

Ad pag. 106. lin. 9. Pulcherrimam Achatis gemmam, e Cimeliarchio Regio Gallico a Dn. Oudinet communicatam, exhibuerunt eruditiſſimi Editores Hiſtoriae Academiae Regiae Inſcriptionum et elegantiorum literarum p. 278. Edit. in 4to P. I. in quo Triptolemus et Ceres in curru draconibus juncto conſpiciuntur. Tempore illo ignorantiae, quo omnis antiquitatis cultioris exulabat notitia, Patriarchae Joſephi Proregis Aegypti triumphum credidit pia in monaſterio, ubi latebat, ſimpli-

pli-

plicitas. Qui nunc acutius cernunt viri ſeculi hujus Lyncei, ſub Triptolemi et Cereris, papaverum capita ſiniſtra tenentis ſchemate, Germanicum et Agrippinam deprehendunt, more Romanis adulantibus conſueto.

Ad pag. 132. lin. 16. E Cimeliarchio Potentiſſimi Boruſſorum Regis Cl. Dn. Schottus in Schediaſmate Germanice inſcripto: **Die Haupt-Tugenden eines löblichen Land-Herrn aus einem alten Stein des Königlichen Medaillen-Cabinets** p. 19. nummum promit aureum Auguſto poſt ejus obitum, id quod e radiata patet corona, cuſum, in cujus una parte caput Auguſti, ex adverſa autem foemina ſtans, dextra caduceum, ſiniſtra ſpicas intermedio papaveris capite tenens, cum Inſcriptione: PAX.

Pag. 139. lin. 3. pro *ſuminum* leg. *ſummum*.

Ad pag. 144. lin. 3. Inter Panthea ſigna recenſenda pariter lucerna fictilis papavere condecorata, quam in Muſeo Kircheriano exhibuit ejus eruditiſſimus Editor R. P. Bonanni Claſſ. IV. n. 29. p. 141. et 154. Medium lucernae locum occupat mulieris ſedentis imago, Palladis quis putaverit, ſi pectus lorica munitum, et Meduſae capite exornatum, galeam inſuper capiti impoſitam inſpexerit; ut, cum copiae cornu fructibus et herbis repletum ſiniſtra ſuſtineat manu, navigii innixa gubernaculo, Fortunam potius exprimere putanda ſit, ſi R. P. Bonanni credimus; quamvis mentem mox mutarit, et ſub juvenili forma et facie ſolem ſive Apollinem latere pluribus probare anniſus ſit. Et licet caſſis et lorica ut plurimum Minervam denotet, ob pateram tamen, quam dextra ad ſacrificandum tenet, Veſtam innui judicat. Gubernaculo navis delphinus adrepens, Neptuni; Cornucopiae fructibus herbisque ſcatens, ob generandi, quam poſſidet, potentiam, Veneris ſignum. Ante oculos mulieris globus eſt, cui imminet caput, in ſemicirculo inſtar lunae collocatum, Dianae ſymbolum. Prope galeam, ſupra copiae cornu pavo avis inſidet, in longum porrecta cauda, tanquam *Junonia avis*, uti ab Ovid. Libr. I. de art. amand. vocatur. Ad dextram figurae ſedentis alia plura ſigna ſe produnt. *Papa-*

veris nempe *capita* Cereris ſacra nota. Papaveri avis inſidet picus, quo Mars indicatur, cui e volucribus ſacer. Lyra Apollinem ſignat potius, cum juvenilis facies pluribus communis, Fulmina colligata Jovem, Caduceus Mercurium, Forceps e carpo dependens Vulcanum, et ſic porro.

Hac igitur in Lucerna duodecim potiora antiquorum gentilium numina indicata credit, quae ab Ennio ſequentibus recenſentur:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Praeter hos electos duodecim Deos, Aeſculapium per ſerpentem, quae in Ara frugibus onuſta hoc in fictili apparet, deſignari credit Bonannus, et hinc candide exponit, ſibi videri, hanc lucernam fictilem adhibitam fuiſſe a milite quodam, dum vires in bello deperditas reficeret in balneo, ideoque votivam fuiſſe, qua numinibus ſuis propitiis grates perſolvens Aeſculapii opem implorabat, ad ſanitatem tuendam poſt bellorum pericula et ſuperatam hoſtium rabiem, quae procul dubio in Harpyja infra ſedem ſedentis et ſacrificantis Veſtae exſculpta videtur. Effoſſa enim lucerna in Coelio monte, ubi Balnea, teſte Publ. Victore, erant, in villa Dominorum Caſaliorum, quorum munificentia in Muſeum Kircherianum tranſiit. Ibi et caſtra peregrina, h. e. militum peregrinorum, fuiſſe conſtat, qui Romam redierant, ut in monte Coelio vires reficerent.

Ad pag. 153. lin. 18. Stupidis in proverbio Pepo et cucurbita tribuitur pro capite apud Latinos. Germanis noſtris antiquioribus *Papaveris Caput Manahoubit* denotat. Sequentibus hoc firmatur Excerptis Dn. Dieterici von Staden, S. R. M. Suecicae in Ducat. Bremenſ. et Verdenſ. Archivarii, qui opus molitur omni aeternitate digniſſimum, et ad eruendas origines linguae noſtrae ditiſſimae et antiquiſſimae exoptatiſſimum, quem theſaurum ne diutius Germanico orbi in ſcriniis latentem detineat vir de Patria meritiſſimus, maximopere ſollicito. Communicavit autem ſequentia mecum e Gloſſario illius Otfridiano Mſto, Muſarum delicium, φίλτατον κάρα, agnatus conjunctiſſimus Dn.

Jaco-

Jacobus Hieronymus Lochner Bremenſis, ob veram, qua pollet, pietatem, et eruditionem haud proletariam omnibus bonis commendandus. Ex opere laudatiſſimo Dn. von Staden haec deſumta ſunt:

Manaboubit, papaveris caput, Mohnkopf / proprie, metaphorice notat hominem nihili, inanem, ut qui parum pollet aut valet, ut nos dicere ſolemus, der arme Tropf / pauper guttula, der gute Tropf / bonus ille vir, qui parum valet efficere. *Maenkop*, papaver, caput papaveris dicitur, inquit Becanus Gorop. quod frigida et quaecunque ſomnum concilient, lunae conſecrentur, ut quae noctis frigidae et ſoporiferae domina ſit et gubernatrix. Kiliani Etymologicum: *Manaboubit* item notat nihilum, quod nihil valet, ut patebit ex exemplis Otfridi Lib. II. cap. 24. paragrapho ſive diſticho 20. *Thaz uuir manaboubit. zi thinen ſin giſuagit.* Ut nos homines nihili, ſimus tuis conjuncti. V. 19. 24. *Ni mag thar manaboubit. helſan hereren uuiht*, non poteſt ibi, quantum eſt papaveris caput, i. e. nihil, juvare Dominum. II. 6. 26. *Thaz ſin tiobe boubit* * *bunſih manaboubit.* Vel haec vox *Manaboubit* etiam deduci poteſt ex *Man* malus, pravus, it. ſcelus, fraus, facinus, Anglo-Saxonice, pro quo hodie dicitur *Mein*, et *boubit.* In gloſſis Keronis *manabeit* redditur munuſcula erronee, pro quo ſcribendum minuſcula. *Farmano* contemptor, *Firmonames* contemnimus, ſpernimus, wir verachten / radix hujus vocis compoſitae ex part. *fir* et *monan* eſt *Man*, quod notat malum, pravum, ſcribiturque antiquo more *Main.* Anglo-Saxonice *Man*, monetque Junius Obſerv. in Willeramum pag. 124. Francos plerumque Anglo Sax. A in EI mutare.

Papaver vim ſoporiferam habet, inde forte *Manaboubit* homines ita dicuntur, quod ſint ſomnolenti, tardi et ignavi in divinis operibus.

Ad pag. 153. lin. 29. A capitum Papaverum forma et ſimilitudine *Codones* dici Tintinnabula, non ſine ratione credidit Magius, eo quod, dum moventur, ſonum et quaſi cantum edere

* *Bunſih* i. e. pro nobis.

edere ſoleant, ſic ſentiente Joh. Grammatico, commentar. in Libr. Ariſtotel. de Anim. et Suida in Lexico: κώδων παρὰ τὸ ἐν κινεῖν ᾄδειν, *codon tintinnabulum dictum, quod canat et reſonet,* hinc κωδωνέων ἐν ᾧ οἱ κώδωνες. *Locus, in quo ſunt tintinnabula.* Et Codonophorus tintinnabuli geſtator. Ariſtophanes in avibus, ubi de ridicula illa civitate agit, jubet Codonophorum circumcurrere: inquit enim κωδωνοφορῶν περίτρεχε, ad quae verba ſcholiaſtes Graecus vir doctiſſimus ſcriptum reliquit, eos qui circumibant urbem et Phylacas, i. e. excubias ac vigiles, geſtare conſueviſſe tintinnabula, ut num vigiles vere vigiles eſſent, deprehendere poſſent, quod ipſum etiam Heſychius innuit. Magius in Diſſ. de Tintinnabulis ſe vocem κωδωνοφορῶν Famaguſtae in Cypro legiſſe meminit, creditque Codonophorum circumcurrentem, (eos hodie, qui id muneris obeunt, Rondam vocari, vulgo omnibus notum) tintinnabulo perſonare ſolitum, cui ſi non ſtatim vigiles occurriſſent, vel aſſurrexiſſent, eos minime vigilaſſe, ſed tinnitu e ſomnis excitatos fuiſſe apertum erat. Morem hunc tintinnabulo circumeundi vigilias in urbibus apud antiquos Graecos duntaxat extitiſſe,, cenſet laudatus Magius; ſiquidem maxime antiquum, et antiquae Comoediae modo citatum ſcriptorem Ariſtophanem fuiſſe ſcimus; et nihil tale Hiſtorici, ſive Graecos ſive Latinos quaeras, in urbibus factum eſſe dicunt.

Praeter Codonophoros, qui Phylacas circumirent, erant et alii, qui atrati funus praecedebant, de quibus poſt Suidam Guilelmus Budaeus. Funeri autem eos praeiviſſe arbitratur Magius, tum ut ad ſpectandam funebrem pompam homines accerſerentur, tum ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviſo funeri occurreret, et funebribus tibiis auditis pollueretur. Funebres namque tibias Flamini Diali audire non licuit, quamvis funus exequi potuerit, ut eſt ab Aulo Gellio Libr. X. Noct. Attic. cap. XV. obſervatum.

Moris eſſe adhuc nonnullis in locis, atratos codonophoros ſive anteambulones, funebres currus portantes tabida corpora, pe-

ra, peſtilentia graſſante, praecedere, non ſine horrore meminit Laurentius de Tintinnab.

Κώθων poculi pariter genus, teſte Suida, εἶδος ποτηρίου λακωνικοῦ μονώτου, *Cothon genus poculi Laconici unicam aurem habentis*, vel ut Aemilius Portus vertit, *unam-habentis-anſam*. Vid. eruditiſſ. Meurſ. Miſcell. Laconic. Praeter poculum denotat κώθων latam tubae partem. Suidas: Κώθων καλεῖται τὸ πλατὺ τῆς σάλπιγγος. Hinc Sophocles: χαλκοστόμου κώθωνος ὡς τυρσηνικῆς. *tanquam aenei cothonis in Tyrrhenica.* Confer Danorum eruditiſſimum, Olaum Wormium, de Aureo cornu. p. 51. Certe haec omnia hactenus allata, a Graeca capitis papaveracei etymologia originem trahunt; cum indiſtincte κώδων et κώθων ſcribatur.

Ad pag. 161. Apud ſumme induſtrium antiquitatum collectorem, Petr. Sanct. Bartolium, in Mauſoleis Romanorum et Etruſcorum in urbe Roma aliisque locis celebribus, quae cum explicationibus indefeſſi Joh. Petr. Bellorii prodierunt, Fig. 59. illa ſomni effigies Reverendiſſ. Ciampini, tanquam Cereris ſacerdos, currens nempe, et altera manu facem accenſam, altera papaveris capita tenens exhibetur, hac adjuncta doctiſſima Viri eruditiſſimi deſcriptione et explicatione: Horum, nempe Cereris ſacerdotum, cum celebrarentur ſacra myſteria ſeu initia in urbe Atticae Eleuſine, moris fuiſſe, ut iſthic modo currerent, referente Strabone. Fuit hoc ſymbolum velociſſimi curſus ſolaris, et caloris ejusdem, qui denotatur per facem accenſam. Hic autem foecundat terram humidam, quae intelligitur per papavera, et ex cujus humore oritur omnium rerum generatio. Coeterum figura hujus ſacerdotis viſa olim fuit in pavimento ſepulcri veteris in via Aſinaria, quae eſt inter Ardeatinam et Latinam. Ipſum pavimentum muſivi operis erat colore candido et nigro. Hodie nullum ejus apparet veſtigium, et una cum pavimento ipſa etiam fabrica diruta eſt. Licet ingenioſa haec Belloriana interpretatio ſit, accederem tamen libentius ad Ciampinianam, et facem, quam manu tenet, ſomni interpretarer cornu.

Ad pag. 165. Quod Tab. XXXIII. exhibet ſignum anti-

quum, e ditiſſimo Cimeliarchio Caeſareo Pragenſi, eruditiſſimo communicatum eſt Tollio, qui illud Epiſtol. Itinerar. III. p. 77. tanquam Cupidinem leoni indormientem inſeruit. Hanc cum effigiem in antiquitatibus haud leviter tincto amico oſtendiſſem, non Cupidinem, ſed Bacchum dormientem eſſe hariolabatur, haud ficulneis equidem argumentis. Praecipuum a cornibus in fronte prominulis deſumtum erat, quibus Cupidinis deſtitutae ſtatuae, cum Baccho tamen tanquam nota characteriſtica tribuantur, utpote qui cornua habuit priusquam naſceretur, quibus crus Jovis Patris ſui perforavit; quo alludit Euripides:

Ἔτεκεν δ' ἀνίκα μοῖραι
Τέλεσαν ταυρόκερον θεόν.

Hinc taurina facie in Cyzico conſpiciebatur, et paſſim apud Poëtas Graecos *ταυρόμορφος*, *ταυροκέφαλος*, *ταυρωπὸς*, *βούκερως*, *βουγενὴς* et *δίκερος* nominatur; apud Latinos paſſim *tauriformis*, *tauriceps*, imo *taurus* abſolute audit; Horatio et Sidonio Apollinari aurea cornua memorantur: illi L. 2. Od. 19. v. 29.

Te vidit inſons Cerberus aureo Cornu decorum.

Huic Carm. 22.

Caput aurea rumpunt Cornua.

Caeterum Bacchus cornuum ſuorum aurum in Lydiae flumine Hermo renovare credebatur. Statius Papinius L. III. Sylv. III. v. 60.

Smyrna tibi genitale ſolum, potusque verendo
Fonte Meles, Hermique vadum, quo Lydius intrat
Bacchus, et aurato reficit ſua cornua limo.

Item Ovidius cornuum paſſim meminit, ut Libr. II. de Arte amandi:

Purpureus Bacchi cornua preſſit Amor.

Et Epiſt. 21.

Sume fidem et pharetram, fies manifeſtus Apollo;
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Quod

Quod ſtupendae eruditionis Rudbekius, qui omnia Gothis ſuis vindicare nititur, Ovidium de Bacchi Gothici ſive Getici (apud quos Tomis relegatus vivebat,) fortitudine, quae per cornu intelligitur et deſignatur, ceciniſſe credidit, Atlant. ſive Manheim Tom. II. cap. V. p. 148. cum Bacchi omnes expeditiones, tanquam ſtrenuiſſimi belli Ducis, ſub *Bakker*, et *Bokk* nomine ex ſeptentrione prodeuntis, intueatur et revera habeat.

Diodorus tamen Siculus, aliique ſcriptores antiqui, Baccho cornua ideo tributa volunt, quod mortales primus boves aratro jungere, eorumque miniſterio terram arare et proſcindere docuerit; quod Oſiridi, ſub bove culti, ab Aegyptiis pariter adſcriptum, qui unus idemque cum Baccho habitus. O πάνυ tamen in Philologia orientali Bochartus, Oſiridis cognomen Baccho ex hebraeis fontibus collatum credit, ubi *Seir*, unde *Oſiris* fluit, hircum denotat. Apud Antonin. Liberal. certe Metamorph. Fab. XXVIII. Bacchus in hircum mutatus fingitur. Et Mendeſii Aegyptii hircum in nummis gerebant, tanquam Deum Mendes dictum, quem Pana et Bacchum crediderunt. Imo haec Liberi cornua arietina credidere, in hoc Jovis Ammonis filio.

Nec formae elegantia, et juvenili formoſitate a Cupidine diſcrepat, ſi Ovidium in Metamorphoſi de Baccho audiamus:

- - - Tibi enim inconſumpta juventas;
Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus.

Hinc imberbis et intonſus, id quod cum Phoebo commune habet, teſte Tibull. Libr. I. Eleg. IV. v. 33.

Solis aeterna eſt, Phoebo Bacchoque juventas:
Nam decet intonſus crinis uterque Deum.

Junguntur porro ob gloriam formae ab Ovidio in Metamorph. Lib. 3. v. 420.

Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines
Impubesque genas, et eburnea colla, decusque
Oris et in niveo miſtum candore ruborem.

Et Libr. I. Amor. Eleg. 14. v. 31.

Formoſae periere comae: quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.

Add. Martialis Libr. IV. Epigr. 45. ad Apollinem, et Claudianus Panegyr. de tert. Honor. Conſul. v. 128. Hinc pueriliter peccare noſtros artifices judicat, togatae et ſagatae virtutis lucidiſſimum Sidus, illuſtris Broeckhuſius, Not. in Tibull. qui Bacchum pingunt et fingunt enormiter obeſum ac pinguem cum prominente aqualiculo. Tenerum ac gracilem, vultu puerili, vel paene puellari ſemper fecerunt antiqui. Talis conſpicitur in Antiquitatibus Jan. Jac. Boiſſard. T. III p. 149. et in Muſeo Romano Michaëlis Angeli Cauſſei de la Chauſſee ſect. 2. num. 2. 4. ubi revera muliebri et delicato corpore apparet, et prominula quaſi mamma, de quibus pluribus in Deabus noſtris Tethenis. Rationem promit Phornutus de Natur. Deor. n. 30. Edit. Excell. Gal. p. 216. διὰ τέυτων δ' ἴσως, παρίσταται τὸ ὡσανεὶ ὂν μετ' ἐκλύσεως καὶ θηλύτητος παράφρον τῶν πινόντων. Τούτου δ' ἕνεκα καὶ θηλύμορφος πλάττεται, καὶ κέρατα ἔχει. Haec omnia tanquam ſub aenigmate declarant, quam effoeminata et mollis ſit compotantium et ebrietati operam dantium ſapientia. Hujus rei manifeſtandae gratia inducitur muliebri forma, et cornua ei attribuuntur.

Ille ipſe Phornutus l. c. rationem ſuppeditat, cur nudus, qualis hac in effigie, exhibeatur: ἡ δὲ τοῖς πλείστοις τῶν πλασμάτων γυμνότης, τὸν παρὰ τοὺς πότους γινόμενον ἀπαμφιασμὸν τοῦ τρόπου. καθὸ δοκεῖ καὶ τὸ οἶνος ἀληθῶς εἰρῆσθαι. Simulacra Bacchi pleraque ponuntur nuda, ut oſtendant morum detectionem, quae in compotationibus, ubi plus ſatis adbibitur, accidere ſolet. Hinc vinum Graecis vere οἶνος dicitur. Excell. Gal. loco τοῦ τρόπου, legit πότους, et rationem adjungit hanc: Reges olim et deos nudos pingebant, ad oſtendendam ſimplicitatem et morum quandam fiduciam, quaſi non egerent tegmine. Haec de nuditate Bacchi in hac effigie.

De alis Bacchi res in abſtruſo ſita eſt: quod ſi tamen Pindari auctoritas valeat, omnes Dii alati. Scilicet cum ethnici perſuaſum haberent: *quicquid immortale erat, ſtare neſcire, et aeternitatem,* (ut Mamertini verbis me expediam) *ſempiterno ſe*

motu

motu ſervare; non potuerunt hanc deorum naturam melius quam alis exprimere; qua de re concinne, uti ſolet, ſcripſit ampliſſimae dignitatis et ſtupendi ſtudii, illuſtris Cuperus in Apotheoſ. Homer. p. 169.

Cornu, quod ſiniſtra tenet manu, optime Bacchi ſtatuam innuit. Hinc forſan eſt, quod Nonnus Panopolita Dionyſ. Libr. XII. Bacchum primum, loco poculi, cornu uſum eſſe aſſerat. v. 20.

Καὶ δέπας ἄγκυλον εἶχε βοὸς κέρας.

Veſtigium quoque ejus extare putant apud Homer. Iliad. Θ v. 189. οἶνον ἐγκεράσασα πιεῖν.

Vinumque cornu miſcens ad bibendum.

Thracas poculorum loco cornibus uſos fuiſſe, locuples teſtis eſt Xenophon Libr. 7. Expedit. id quod de Paphlagonibus Libr. 6. itidem teſtatur. Hinc Hermippus in Vnguentis:

ἐκ δὲ τοῦ κέρατος αὖ μοι δὸς πιεῖν ἅπαξ μόνον.

Verum e cornu rurſus mihi da ſemel tantum quod bibam.

Et quis neſcit, in conviviis Romanorum cornua poculorum vices ſuppleviſſe, quod e vetuſtiſſimo lapide, Patavii in aedibus Rhamnuſianis olim obvio, et apud Mercurialem Lib. I. de Art. Gymnaſtica delineato, ſatis patet. Accipit hinc lucem locus Maronis in Georgicis: *Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis*; quem enim latet, Herculem victorem cornu Acheloo victo evulſum ademiſſe. Britannis boum cornua pocula ſuppeditaſſe, e Malmesburienſi et Camdeno demonſtravit eruditiſſimus Olaus Wormius, qui inſuper dilucide Septentrionalium cornea pocula explicat, variisque runicis antiquitatibus fulcit, de Cornu Aureo Danico p. 35.

Sed, inquies, quid Baccho cum leonis, quibus indormit, exuviis, quae Herculi propria inſignia? Vtique. In leonem quippe mutatus Bacchus. Acron in Horatium hoc teſtatur. Illum in leonem converſum gigantem interfeciſſe, et tunc Jovem, O! bone fili, dixiſſe, i. e. εὖ υἱέ, ut paſſim Euhyii cognomen Baccho apud Horatium, et apud Graecos vox εὔιον. Notum eſt, Bacchi amaſios bacchantesque ſomno vinoque ſepultos, ubivis dormire inſtar leonum, de quo Oppianus Cyneget. Libr. III. v. 50.

 Οὐδ,

Οὐδ' ὕπνον μυχάτοισιν ἔχει παρὰ τέρμασι πέτρης.
Αμφαδὸν ὑπνώει καὶ θρασύφρονα θυμὸν ἑλίσσων.
Ε῞υδει δ' ἔνθα κίχησιν ὑπείροχος ἑσπερίη νύξ.

Nec ſomnum extremos capit propter terminos ſcopuli;
Sed aperte dormit, audacem animum verſans.
Dormit autem ubicunque (eum) *occupavit ſuprema et veſpertina nox.*

Domuit praeterea leones Bacchus, quod e Nonni Dionyſ. Libr. XXV. v. 184. diſcimus:

Αρτιθαλὴς δ' ἔτι κοῦρος ἐν οὔρεσι Βάκχος ἀθύρων,
χειρὶ μιῇ λασίου δεδραγμένος ἀνθερεῶνος,
Φοίνιον εἷλκε λέοντα καὶ ὤρεγε μητέρι Ρείῃ
Α᾽υχενίου πλοκάμοιο κεχηνότα θῆρα πιέζων
Εἷλκεν ἔτι ζώοντα.

Nuper vero adhuc plantatus puer in montibus Bacchus luſitans,
Manu una hirſutum corripi guttur,
Mortiferum traxit leonem, et praebuit matri Rheae
Cervicalis jubae hiantem feram premens
Traxit adhuc vivum.

Non igitur Herculis tantum ſymbola leonis exuviae, ſed et Bacchi, imo plurima hos Deos habuiſſe communia, omnibus conſtat, quod a Nonno Dionyſ. Libr. XXV. quem modo citavimus, demonſtratum, inſtituente comparationem rerum ab iis geſtarum, inprimis v. 171. ſeqq. verſ. 190. ſeqq. canit Bacchum non ſecus ac Herculem leonem, pantheram, urſas, aprum domuiſſe.

De dormiente Baccho vix dicendum quid erit, cum per ſe res pateat. Quod ſi enim ὕπνος λυσιμελὴς dicatur, *membra reſolvens*, et λυσιμέριμνος, optime haec cognomina in Bacchum quadrant. A Thebanis quippe cultus, quod a Thracibus vinctos ſolverit, dum ſomnum illis immitteret, quo obruti a Thebanis occiſi. Hinc Lyaeus pariter cognominatus, quod hominum mentes ſolvat, et ad ſomnum diſponat, ſic ſentiente Ovidio:

Cura fugit multo diluiturque mero.

Vt nihil de Baccho Nyctelio, omnibus nota re afferam; ac ſelentio tranſeam Bacchum et ſomnum, tanquam optimos ſocios et Deos

et Deos maximos ſuaviſſimosque vitae humanae conſervatores, in Inſcriptione, ſupra p. 156. jam citata, junctos eſſe.

De Papaveris capitibus, quae dextra tenet, me convictum eſſe, ea Bacchi non minus ſymbola eſſe, ex illis, quae p. 98. ſcripſi, amicus credidit. Id tantum addere illi viſum, credibilem hanc fore conjecturam, eo quod partim poculi genus Laconicum, κώθων, ſeu κώδων, ut in nonnullis Codicibus legitur, dictum ſit, papaveris formam, anſa excepta, habuerit, partim Baccho ſacrum Papaver fuerit.

Pocula autem inſtrumenta luxuriae Bacchi extitiſſe, neminem fugit. Hinc Heniocho in Gorgonibus apud Athenaeum παῖδα φάρυγγος vocat κώθωνα; quae verba licet vitii ſuſpecta habuerit magnus Athenaei editor Caſaubonus, non tamen emendare ex ingenio auſus eſt; quod praeſtitit feliciſſimus in reſtituendis dubiis auctorum locis Meurſius, qui παῖγμα φάρυγγος, luſum ſive delicias gutturis, legendum cenſuit, et appoſite, quatenus bibendo ſaepius ex ipſis, et Baccho litando nimium, quidam ſe inebriabant, quod κωθωνίζειν vocabant, et ἀκρατοκώθωνες dicti, qui id facerent. vid. Miſcell. Lacon. L. I. cap. XIV. p. 68.

Nec mirum, capitum Papaperis externam formam poculis efformandis dediſſe anſam, praecipue cum, uti jam probatum, humana capita magnitudine aequent, et binos fere ſextarios in ſe, i. e. XXX. vel ut alii vertunt LX. uncias, continere queant.

Haec ad firmandam Bacchi in hoc ſigno effigiem communicavit amicorum haud poſtremus: quae licet probabilia ſint, et in omni fundata antiquitate, meam tamen, ſomni imaginem eſſe, haud evertunt ſententiam. Neque enim me cornua in fronte deterrent, auctoritate licet marmorum, gemmarum et auctorum illis ſomnus deſtitutus, et nusquam cornutus vel fingatur vel pingatur; ſciendum tamen capillorum cincinnos et faſtigia crispata, cornua non mentiri tantum, ſed et vocari apud Graecos et Latinos κέρατα et cornua; et grajae vocis originem a κείρειν tondere deducunt. Latinam ſignificationem promit Virgilius Libr. 12. Aeneid. *et rubrae cornua criſtae* h. e. comae, ſive cincinnorum inſtar cornuum faſtigiatorum. Jam p. 167. demonſtravimus, apud Boiſſardum

aliosque

alioſque plurima occurrere marmora, in quibus puelli alati, inſtar cupidinum vel puſionum formoſis comis,

Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.

cornua mentientes, inverſas faces tenentes manibus. Hoc quoque ſenſu cornutus dicitur Moyſes, legifer ille Dei legatus, et in mummis cum cincinnis in cornuum eminentiam exſurgentibus exhibetur; quamvis et radiato conſpiciatur capite, e Poëtae Drepanii vel alterius ſenſu:

Flammea cornuto librantem lumina vultu.

Vel ut Angelus Politianus cecinit:

- - *Sacris radiatus tempora Moſes Ignibus.*

Vid. Paſchalius de Coronis Lib. X. cap. IV. p. 678. Reverendiſſ. Abrincenſium Epiſcopus, Huetius, Demonſtrat. Evangelic. Propoſ. 4. et qui Rabbinorum deliria circa Moſaica cornua collegit Theologus Lipſienſium eruditiſſimus, Joh. Benedict. Carpzovius, in Schediaſmate ad Nummos cornutum exhibentes Moſen.

Ad pag. 178. lin. 13. Salubritatem Inſulae Coorum mire praedicat Heraclides Ponticus de Politiis Graecorum, et extremam incolas ſenectutem attingere, praeſertim foeminas, teſtatur, additque: non appetunt tamen, provectae aetatis qui ſunt, fatum ſuum, ſed illud antevertunt, priusquam vel imbecillitas accedat, vel parte aliqua manci fiant, *ita ut hi quidem papavere, illi vero cicuta, ſibi ipſis vitam eripiant*; οἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνέιῳ ἑαυτοὺς ἐξάγουσι.

Amice a Lipſienſium Miſcellaneorum Collectoribus Tom. III. p. 315. laceſſitus ſum, quod Deaſtri Franconici Lolli vel Lalli, Papaverum capitibus exornati, in Meconopaegnio meo plane dememinerim. Fateor equidem lubens, me primo aſpectu fabularem vulgi crediciſſe Hiſtoriam, inter lallarum naenias et aniles apologos relegandam, cum ejus nulla plane mentio in Scriptoribus, quibus Germanorum Deorum Mythologia curae cordique. Tandem per caliginem quaſi Deaſtri hujus oblivione obruti veſtigium in nomine cernere licuit; usque dum a Viro Conſulari apud Suevofurtenſes dignitate meritorumque amplitudine ſumme conſpicuo, Dn. Ioanne Henrico Schmidio, Patriae nomine ad Praepotentis Circuli Franconici apud nos conſcriptam Diaetam Delegato fidiſſimo, certiora adhuc de Deaſtro hoc Franconico edoctus, diſſertatiunculam de eo conſcribere mecum firmiter conſtituiſſem; aſt inſtantes nundinae obicem ponentes, Humelſteinenſibus Diſſertationibus, quae futuris forte prodibunt nundinis, reſervare coëgerunt.

SCHEDIASMA
DE
PARREIRA BRAVA,

Novo Americano aliisque recentioribus
Calculi remediis;

ILLUSTRI ACADEMIAE
LEOPOLDINO-IMPERIALIS
NATUR. CURIOS.

PRAESIDI
DN. D. LUCAE SCHRÖCKIO
ARCHIATR. CAESAR.
dicatum
a

MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO, D.
Archiatr. Cæſar.

Editio ſecunda auctior.

Norimbergæ,
Apud Petrum Conradum Monath,
CIↃ IↃCC XIX.

58700(3)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

ILLVSTRIS CELSE.

INgratiſſimus merito eſſem, ſi prorſus inſignia Tua in me merita, ſilentii peplo involverem. Poſtquam enim Tibi, VIR SVMME, placuit, poſt obitum B. Hermetis noſtri, (cujus Animulæ nunc cœli incolæ æternum bene, corpori vero tot ærumnis, tot calamitatibus defatigato, terra levis ſit:) de novo Ephemeridum Directore, cui in colligendis, & publicæ luci exponendis obſervationibus Academiæ noſtræ, cura committi poſſit, agitare conſilia; Illuſtris Thomaſius noſter,

- - Delicium, quod maximus ardet Apollo,
Pectus quod Charites, quod Muſas continet omnes,

mei mentionem injecit, Tuique favoris pararium ſe præbuit; atque ita factum eſt, ut me immerentem plane, & hac de re ne cogitantem quidem, Adjunctorum Academiæ numero inſerere, munusque, quod Thomaſius noſter Amicorum mellitiſſimus jam dudum meruit, mihi conferre volueris. Neque hic adhuc Tuus favor ſubſtitit: cum enim Ephemeridum Academicarum Centuriis novis, utinam ex Tuo & Academiæ voto excudendis, lubens volensque opem commodaſſem & operam, in curarum me adſciſcere conſortium, tandemque Directoris munere, ſupra meritorum ſortem me beare, & tot favoris ac benevolentiæ documentis, quibus pene ſuccumbo, cumulare dignatus es. Tantum enim abeſt, ut dignitates illas,

illas, quas plena manu liberalitas & affectus Tuus mihi admetitur & confert, promeruerim unquam, unquam ſperarim, ut potius me plane indignum æſtimarim: humeros certe operi, tenuitatis meæ probe conſcius, ſubtraxiſſem & digniori ceſſiſſem, ni in conſummatiſſimum Tuum judicium & prolixam liberalitatem peccare, atque labores Academicos mihi collatos ſubterfugere voluiſſe viderer. Suſcipio igitur, Vir Excellentissime, molem negotii, cui me deſtinaſti, ſumma alacritate, cum nil ardentius optem, quam ut operam, diligentiam, nervos viresque omnes emolumentis Academiæ promovendis impendere, ſemperque Tua juſſa capeſſere poſſim; utque publicum gratiſſimæ erga Te, Vir Svmme, exſtaret mentis τεκμήριον, hoc de Parreira brava levidenſe Schediaſma offero, & Tuo inſcribere Nomini Tutelæque audeo;

 virtu-

virtutum tuarum tam perenne, quam affectus cultusque mei ſincerum monumentum. Equidem ſi fata ſuſceptis laboribus adſpiraſſent, Myrmecologiam meam, cujus ſynopſin dudum Dec. II. Ann. VIII. exhibui, quæque jam per XX. & plures annos in ſcriniis latet præli carceres expectans, deprompſiſſem: cum vero calamitoſiſſimis hiſce temporibus, ſumptibus & impenſis parcant Bibliopolæ, ſpes omnis de edenda Myrmecologia, in ſpongiam forte incubitura, irrita eſt facta. Hanc igitur opellam, ad averruncandum ingrati animi crimen, elegantiori deſtitutus argumento, interim offerendam cenſui, probe licet agnoſcam, hanc nitore illo & elegantia deſtitui, quam Academiæ noſtræ leges deſiderant, ingeniumque Tuum cultiſſimum expoſcit; quis enim comti quid, quis exaſciati & limati, quis id, quod deroſos ſapiat ungues, a me expectet,

pectet, cum omnibus, qui me norunt, notum, totam diem, noctisque ſæpius bonam partem, catenatis praxeos ſollicitudinibus deſtinatam eſſe, ut fœtus hic luci expoſitus inter ejulatus dolentium, inter ſuſpiria ægrotantium, inter lacrymas adſtantium adoleverit. Scribendi autem hoc negotium eo tantum fine ſuſcepi, partim, ut Tibi, PRAESES VENERANDE, Academiæque noſtræ ſplendidiſſimæ conſtaret, deficientibus licet viribus, voluntatem tamen promtiſſimam in negotioſiſſimo otio inſerviendi non deeſſe; partim ut novo hoc munere auctus, lemmatis Academici probe memor, pluribus Dn. Collegis plane otioſis, debili licet lumine, præmonſtrarem viam, cotisque vice fungerer,

- - - - - acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.

Vale, Stator Academiæ noſtræ, qui ſi juſta ſalutiferæ Arti ſuppeterent pretia, debitusque haberetur honos, a Vindeliciistuis, & tota Germania illud promeruiſſes, quod Græcia olim decrevit Hippocrati, Darius Democedi, Ptolemæus Eriſiſtrato, Auguſtus Antonio Muſæ, Claudius Aruntio, &, ut noſtris ſeculis ſim propior, Verona ſuo Syphilidis debellatori Fracaſtorio. Te, Ἄνδρα πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Numen Opt. Max. ſervet, cui pro Tua ſalute Academia noſtra mecum vota nuncupat. Vale iterum iterumque

O! & Præſidium & dulce Decus

noſtrum, & favere perge

Tuo

Norimb. ipſis Cal. Februar.
Anno 1712.

PERIANDRO.

Anni

ANni aliquot jam elapſi ſunt, cum Chiliarcha ex Anglorum gente, colico dolore excruciatus, meam ſollicitaſſet opem, non ſine doloris acutiſſimi promtiſſimo levamine, quem alias diro huic malo obnoxius, per plurimos dies ſenſerat. Priſtinæ ſanitati reſtitutus, cum in lumborum regione idea doloris haud adeo acuti ſupereſſet, illumque calculi judicarem ſobolem, & huic quoque hoſti pellendo deſtinarem remedia, ille ad nutum hactenus obſequioſus ſumere renuit, & remedium ſic ſatis generoſum ad omnia Calculi Renum & Veſicæ mala averruncanda in promtu ſibi ipſi jam eſſe regerit. Me inſtante & urgente, tandem inquit:

Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi,

in hac, quam mihi ſimul exhibebat, radice, auribusque meis tunc temporis barbarum nomen adjiciens, Parreiram bravam *vocabat. Omnibus, quotquot novum hoc Pharmaci genus monſtrabam, & nomen plane ignotum erat & radicis efficacia. Menti obverſabatur illud Arati:*

Πάντα γὰρ ὔπω
ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ᾽ ἔτι πολλὰ
κέκρυπται. Τῶν αἴκ᾽ ἐθέλῃ ϗ ἐσαυτίκα δώσει
Ζεύς.

Omnia nondum
Ex Jove mortales cognoſcimus, occulit ille
Plurima, dum lubitum fuerit, quæ tradet.

Domum redux excuſſi fere omnes, quos in meo librario penu habui, Hiſtoriæ naturalis loculos ; ſed opem omnem & operam perdidiſſe rebar, cum altum hac de radice ubique eſſet ſilentium. Mancam & mutilam materiæ medicæ notitiam ſic expertus, nullam judicavi Artis cognitionem jucundiorem, quam rerum naturalium ex Indiis aliisque orbis olim incogniti partibus allatarum, ulteriorem diſquiſitionem, qua ſine æſtu, ſine ſudore, ſine mora venari licet tot abditiſſima miracula,

& ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum,

& perſpicue ex iſtis elicere, quod DEUS ſit, & quam immenſa ejus Bonitas, tot ac tanta hominibus exhibendo naturæ bona ac dotes. Certe ut militis nomen non meretur, quem quid arma ſint, aut quomodo tractanda, latet ; ſic nec Medici nomine dignum reor, exacta luxuriantis quotidie materiæ medicæ deſtitutum notitia.

Tandem cum pene deſperarem, Dn. Pometus in Libr. Gallice inſcripto : L'Hiſtoire generale des drogues Libr. II. chap. XIV. p. 69. Radicis hujus deſcriptionem, Inventores, exhibendi modum, pretium, Iconem, aliaque exhibuit : Cui vero plantarum ordini hæc Parreira brava foret accenſenda, luculam accendit exiguam & plane fatuam. Cum enim Parreiram bravam, vitem ſignificare ſylveſtrem pronuntiaret, quicquid de vite ſylveſtri a Botanicis annotatum, examini ſubjectum eſt. Subiit mentem recordatio uvæ Tamineæ Plinii, *quam in Braſilia quoque repertu dari Cl. Bontius in Hiſtor. Medic. & Natur. Ind. Oriental. Libr. IV. cap. XVII. affirmat, quæ eadem eſſe videtur ac* cevalchichitique Hernandis, *vel* vides de la Isla Eſpannola Lop. de Gomare ; *ſed reperi hic, quod pueri in faba. Sic quoque cum Labruſca virginiana Muntingii, vite vinifera fol. incano ſubtus, fructu variegato Commelini aliisque, quæ claſſi vitium ſylveſtrium inſeruntur, res ceſſit, ut nil plane ſolatii, pro radice Parreira, hiſce ex fructibus obtinuerim.*

Cum præterea laudatus jam Pometus Mexicani ſoli alumnam hanc plantam prodidiſſet, Mexicanam illam plantarum, Animalium & mineralium

neralium Hiſtoriam a Franciſco Hernandez in Indiis compilatam, dein a Nardo Antonio Reccho in volumen digeſtam, denique a Joh. Terentio, Joh. Fabro, & Fabio Columna (proh! quantis in Hiſtoria naturali illuſtranda luminibus) notis & additionibus illuſtratam Romæque Ann. 1651. in Fol. impreſſam, oraculi loco futuram confiſus, avide totam percurro. Invenio quidem ſylveſtrem vitem ceval chicaltic *Libr. IV. c. 39. p. m. 128. cujus tamen deſcriptio ad nil minus, quam Radicem Parreiram bravam quadrat; nec* cocozmatl *ſive* luteum Tamatli, *urinaria mirabilis dicta, cum noſtra radice quoad plantæ ſtructuram & partes externas comparari poterit, licet quoad efficaciam, in affectibus quoque calculoſis, Renumque & Veſicæ morbis laudem promereatur, cum urinam mire evocet, arenas & pituitoſa excrementa pellat, atque quicquid urinarios meatus obſtruit, expurget & trahat: quod exemplo Epiſcopi Cordubenſis, quem Mantuæ Carpentariæ graviſſima urinæ ſuppreſſione affectum, hoc remedio veluti per miraculum liberatum ajunt, illuſtratur. Sic irrito labore hac Mexicana Hiſtoria perluſtrata, nec volam inveni, nec veſtigium, quo animus ſciendi hac in re cupidus ſatiari potuerit, quod in Johan. Euſeb. Nierenbergii quoque Hiſtoria naturali, Mexicanas Plantas comprehendente, contigit.*

Id quod Mexicana vero negaverat, Braſilienſis tamen naturalis Hiſtoria exhibuit. Conſului primo Iter Braſilienſe Neuhofii, in quo plurima naturæ κειμήλια *reperiunda, quæ fruſtra alibi quæſiveris, ab aliis plane intacta & intermiſſa. Ex illo illuſtris Rajus ſtupendis operibus Willughejanis nonnulla intulit, ſed maxime dolendum eſt, hunc naturæ theſaurum ob linguæ, in qua ſcriptus eſt, apud nos ignorantiam, & Bibliopolarum incuriam, linguæ hujus libros nobis invidentem, in librariis Tabernis non proſtare. Prodiit autem hoc ſub titulo: Joh. Nieuhofs gedenkvveerdige Zee en Land-Reiſe &c. beneffens een bondige Beſchryving van gantſch Neerlands Braſil, zo van Landſchappen, Steden, Dieren, Gevvaſſen, als draghten Zeden en Godsdienſt des Invvonders &c. verçiert met verſcheide afbeldingen, na t' leven aldaar getekent Amſterd. 1682. in Fol. Licet opu-*

lentum hoc quoque Braſilienſis Hiſtoriæ naturalis Promtuarium non ex voto illud, quod de Radice Parreira brava quæſieram, ſed herbam de Cobra tantum p. 205. ſuppeditarit; ad Piſonis tamen & Marggravii volumina ablegabat, & Plantam Luſitanice dictam Erva de noſſa Senhora *exhibens, digito quaſi monſtrabat viam ad Caapebam, radicis hujus veram nutriculam; ceu ex ſequentibus lineolis, ulteriori & uberiori Plantæ hujus & radicis examini deſtinatis, palam fiet. Molimur equidem in illuſtranda novi hujus Medicaminis Hiſtoria, opus partim inviſum, cum auribus jam obverſetur illud, quod Alexis apud Athenæum ſuggerit:*

Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρορῶμεν συγγενές.

Aliena amamus, proximum contemnimus,

partim haud quidem arduum, plurimis tamen difficultatibus, cum paucos præeuntes habeamus, involutum; nihilominus, uti ſpero, utile non ſolum, ob ſolatium in renum & veſicæ morbis affectos redundans, ſed & jucundum, maxime cum neceſſitas urgeat, ut, quo durius & ferius hoc morbi genus eſt, mecum

Acrius omnes
Incumbant generis lapſi ſarcire ruinas.

PAR-

PARREIRAE BRAVAE
PATRIA ET NOMEN.

P*Atriam* Parreiræ ſi noſſe cupis, terrarum partem illam nomino, quo

Primus in ignotum penetravit Americus orbem,
Inventamque ſuo terram de nomine dixit,

præcipue vero Provinciam occidui hujus orbis nobiliſſimam pene, aſt ſimul crudeliſſimam, Braſiliam puto, ubi

Alios hominum mores miramur & urbes,
Corporaque humanis fœde diſtenta medullis,
Infamesque dapes, & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detruſit in artus.
Hic belli laus ſumma viris, in viſcera victos
Condere, & inviſos diſcerpere dentibus hoſtes,
Ne toti noceant, vel ab ipſa morte reſurgant.

Radicis noſtræ Planta, ſecundum Piſonem & Marggravium, hujus regionis alumna, nec ſolo ſemper pingui fertilique gaudet, ſed arenoſo ſæpius, inculto, imo fruticis, ut ex Plinii eloquio, *ne ſylva quidem, horridiorque naturæ facies medicina careat, ſacra illa parente, rerum omnium nusquam non remedia diſponente, homini ut Medicina etiam fieret ſolitudo ipſa.* Vocatur lingua Braſilienſi vernaculâ Caapeba, de cujus vocis Etymo plura & certiora proferrem, ſi Pegneſi accola, Braſilienſem fluvium Maranhaon deguſtaſſem. Terminationem *peba* huic linguæ maxime familiarem eſſe, plurima probant verba, e.g. *Accorapeba* piſcis, *Boipeba* ſerpens, *Jajarapeba* vipera, *Carapopeba* lacertulus; in regno vegetabili adhuc plura occurrunt: *Ivapeba* frutex,

tex, *Jurapeba*, *Mandupeba*, *Mandiipeba*, *Vrupeba*, *Vipeba* aliaque. Noli frontem hic corrugare, Lector; extra Latium & Græciam ſumus. Non ſolis veteris orbis populis conceſſum voces condere, etiam penes Americanos eſt vis & norma ad placitum ſua efferendi; liceat Barlæi feſtiva verba, quæ in Hiſtor. rer. geſtar. Com. Mauritii in Braſilia habet, hac in re facere noſtra.

An vero vocabulum *Caapebà* cum accentu in ultima, ſive *Caapéba* in penultima ſit pronunciandum, latet. Πολυμαθέςατος certe Hadr. Relandus in Diſſert. Miſcell. P. III. Diſſ. XII. de Lingu. Americ. p. m. 179. ex Grammat. Ling. Braſilic. Joſeph. de Anchieta notat, *verba Braſilianorum maximam partem accentum habere in ultima.* Addo ex Clar. Marggravii Hiſtor. Braſilienſ. Libr. VIII. c. 8. p. m. 275. *Quæ deſinunt in* a, *partim habent gravem in ultima, & notantur eodem accentu, partim in penultima, & notantur acuto.*

Regnum illud ditiſſimum Mexicanum

(Cum nusquam terrarum opulentia tanta,
Vt peregrinari reliquis videatur in oris,
Heic fixiſſe ſtatam Regina Pecunia ſedem)

inter reliquas naturæ gazas hanc quoque radicem Braſilienſi præſtantiorem, promere, Pometus teſtis eſt dans l' Hiſtoire generale des Drogues l. c. Si vero ex me nomen verum quis quærat, plane in ancipiti hærens, nil determinare audeo. Plurima certe cum planta volubili diuretica, ſive *Itzac caonene pilli* Nardi Anton. Recchi in rer. Medic. Nov. Hiſpan. Hiſt. Libr. IV. c. 24. p. 119. habet communia, in multis tamen diſcrepat; eandem plane ſcenam in Herba *Tlallantlacoa cuit la pilli* Libr. VIII. cap. 34. invenies, de quibus in ſequentibus plura. Cum igitur tot difficultatibus res ſit immerſa, neceſſe eſt, ut veteri me, circa denominationem veræ Plantæ Mexicanæ, Radicis Parreiræ bravæ parentis, expediam formula, ἐ καταλαμβάνω, ἐχ ὁρίζω.

Nec

Nec Virginia quoque Anglicæ coloniæ multitudine, copia rerum naturalium, ſoli ubertate, omniumque ad victum & amictum neceſſariorum frequentia, feliciſſima Provincia, hac deſtitueretur radice, ſi convolvulus Mexicanus Cl. Banniſteri & excell. Plukenetii cum Caapeba Braſilienſi in una eademque claſſe foret, & forte Cipo de Cobra radix erit, la Racine du ſerpent à ſonette dicta, quam ceu veram contra ſerpentis hujus morſus panaceam deſcribit, illique easdem, quas Cipo de Cobra, virtutes attribuit, novus Virginiæ Encomiaſtes in Libello Gallice inſcripto: *L' Hiſtoire de la Virginie &c. par un Autheur natif & habitant du Païs.* Amſterdam 1708.

Hiſpani & Luſitani Mexicanæ & Braſilienſis Provinciæ Domini, jugum incolis, & rebus nova imponentes nomina, hanc radicem *Parreiram bravam* dixerunt. *Parra* enim in Hiſpanica lingua *vitem* denotat, hinc *Parra depatio de caſa*, vitis compluviata, ſecundum Aelium Nebriſſenſem, Interpretem Regium in Dictionario Hiſpanico. Sic apud Botanicorum Coryphæum, Hans Sloane, in Catalog. Plantar. Inſul. Jamaic. occurrunt, *Parras ſalvajes Ovied.* Item *Parras ſylveſtres deſta nueva Eſpanna, que Ilman dehualchichiltic o Totoloctli Xim* : Item *parrales como los de Caſtilla de Juan Gonzales de Mendoza* ; quæ denominationes omnes vocem *Parra* agnoſcunt matrem, æque ac *Parreira brava* ; quam terminatio *era* vel *eïra* Luſitanicam prodit: Sic *Erva Cidreira* planta vocatur, quæ citri odorem æmulatur, vid. Piſo Hiſtor. natur. Braſil. Libr. IV. c. 57. p. m. 242. *Viſqueira* herba, quæ viſcoſitate manibus & veſtibus adhæreat; Idem de Facult. ſimpl. Lib. IV. c. 72. p. m. 105. Cauſam & rationem, cur vitem ſylveſtrem dixerint & Hiſpani & Luſitani, ex Pometo ſæpius laudato hauries: *Quelques Perſonnes m'ont aſſuré, que cette raçine eſtant dans terre pouſſoit des branches charges de feuilles tout à fait ſemblables à la vigne, qui rempent le long des murailles, ou des arbres. C' eſt pour ce ſujet que les Pourtugais, qui ont apportée de Mexique, luy ont donné le nom de* Parreira brava, *qui ſignifie*

en François vigne ſauvage ou batarde. Latio donata hæc verba, hunc ſenſum exhibent: A nonnullis certior factus ſum, hanc radicem terræ commiſſam, & germina & folia protrudere, vitibus, muris & arboribus affixis, perquam ſimilia. Hanc ob rationem Luſitani, qui primitus eam Mexicano ſolo extulerunt, nomen Parreiræ bravæ impoſuerunt, quod vitem ſylveſtrem vel ſpuriam denotat.

Ad vocem *Brava* devolvimur. Feroces in lingua Italica *bravi* nominantur, & quia effrenes cicuribus ferociores ſunt, ideo Hiſpani Animal indomitum, nondum manſuefactum Taurum, Equum, Leonem, & id genus alia, *bravo* appellant, ſecundum Celeberr. Octav. Ferrar. Orig. lingv. Ital. p. 64. 65. Adjungit eruditiſſ. Menagius nell' origini della lingua Italiana, in lingua Italica vocari *vache brave*, iſtas vaccas, quæ licet ſint domi natæ, ſemper tamen in ſylvis diebus noctibusque permanent, nunquam ad ſtabula, priusquam hyems ingruit, redeuntes, quod in Alpibus quoque Helveticis fieri ſolet. Hæc denominatio a brutis animantibus deinde ad plantas ſponte naſcentes ſive ſylveſtres derivata: ſic *Nana brava* dicitur Ananas ſylveſtris apud Marggrav. Hiſt. Plantar. Braſil. Libr. I. cap. 16. p. 33. *Tujoba brava & Mangara brava* Piſon. Hiſtor. Braſil. Edit. prim. p. 95.

Mr. Froger *dans la Relation du voyage aux cotes d' Afrique*, noſtram radicem vocat *Para-ayra-brava*: ſed nihil moror iſtam nominis deformationem, quam forte Etymologiæ produxit ignorantia.

Lucidiſſimum quondam Academiæ noſtræ Leopoldinæ N. C. ſidus, Excellentiſſ. Menzelius, in eruditiſſimo opere, quod nomen gerit: Πίναξ βοτανώνυμος πολύγλωττος καθολικὸς, ſive Index nominum plantarum univerſalis, ad vocem Caapeba addit *Perexil do mar* Theatr. Braſil. inſimulque Marggravium p. 14. citat, qui Plantæ Perexil l. c. quidem ſub imagine crythmi marini non ſpinoſi mentionem injecit, de Caapeba autem, quam p. 25. Lib. I. c. 13. deſcribit, ne gry quidem addit, id quod a

Piſone

Piſone quoque factum p. 243. Edit. ſec. Hæret hic aqua, nec video, quomodo plantæ nimium quantum diſtantes conjungendæ, niſi nomen forte Caaponga, quæ Perexil do mar denotat, cum Caapeba confuſum. Vid. Piſon. Edit. 2. p. 243. Poſſet tamen rem omnem de planta Caapeba & Caaponga ſive Perexil do mar dirimere, & extra controverſiam ponere, abſconditus hactenus naturæ Theſaurus in Bibliotheca Potentiſſimi Boruſſorum Regis ἀνέκδοτος deliteſcens; Theatrum rerum naturalium Braſiliæ, earum nempe, quas Cl. Piſo & Marggravius nondum ediderunt. Juſſu illa Principis Mauritii Naſſovienſis in Braſilia coloribus oleagineis in Chart. maj. ad viva exemplaria ſunt depicta, & ab Excell. Menzelio juxta ordinem Piſonis & Marggravii diſpoſita, IV. Voluminibus incluſa, quorum primum continet imagines Quadrupedum. II. Avium. III. Piſcium. IV. Vegetabilium. Vtinam exorare ſe pateretur Regum Sapientiſſimus, ut hunc Perſicas Gazas longe ſuperantem Theſaurum literato orbi impertiretur. Fuſius hoc de opere egit Cl. D. D. Erndelius in Epiſtol. ad D. D. Breynium de Flora Japonica Codice Bibliothec. Regiæ Berolinenſis rariſſimo. p. 11. ſeqq.

Synonymon Caapebæ vocabulum eſt *Cipo di Cobras*. Vox *Cipo*, vel *çipo*, *Cepo* in lingua Luſitanica & Hiſpanica plantas ſcanſiles, repentes, clematites, convolvulos, maxime vero vitem deſignat. Sic *vitis brachiata* Hiſpanice *Cepo con brachos* audit, ſecundum Aelium Nebriſſenſem, & a Gallis quoque *Cep de Vigne*, vitis vocatur. Cum igitur Caapeba nunc vicinas arbores ornate conſcendat, nunc humi inſtar colubri repat, ob ſimilitudinem Cipo de Cobras, a Luſitanis nomen obtinuit. Sicuti vice verſa ſerpens çacaboa a Luſitanis *Cobra di Cipo* nominatur, quia colore & figura climaces illas chordarum inſtar humi repentes æmulatur. Vid. Piſon. Hiſtor. natur. Braſil. L. V. c. 1. p. 279. Edit. ſecund. nam in prima editione nomen Cobra di Cipo ſerpenti Boitiapo impoſuit, cum tamen in ſecunda editione nullam hujus nominis fecerit mentionem in deſcriptione ſerpentis Boitiapo.

 Deri-

Derivant nonnulli vocem *Cipo*, *Cepo* & *Cep à Capo.* Veteres enim Latini radices vitis vocarunt Caput Vineæ, uti ex Virgilio & Columella elucet. In Legibus XII. Tabularum occurrit : TIGNOM JVNCTOM AEDIBVS VINEAEQUE CONCAPES NEI SOLVITO. Vbi concapes, idem eſt ac ſi dicas depactum & defixum terræ ad vineam ſuſtinendam. Concapes, primicapes, præcapes, deincapes, ancapes, omnia a capite deſcendunt; hodie princeps, præceps, deinceps, anceps. Vid. plura apud Scaligerum Not. in Pompej. Feſt. p. 192. Ingenioſiſſimus Menagius autem originem vocis *Cipo*, *Cepo* & *Cep* a vocabulo *Cippus* deducit, quod antiqua Gloſſaria κόρμος ſive Truncus interpretantur, dans les Origines de la Langue Françoiſe. Nonnullis vox *Cipo*, *vinculorum ſpeciem* deſignat; inde fortaſſe eſt, quod a Gallis Americanas Inſulas inhabitantibus omnes ſcanſiles plantæ ſepibus & arboribus adrepentes, & agglutinatæ quaſi, *Lianes* vel *Lienes*, appellentur a voce Gallica *lier*, quod eſt ligare & vinculis conſtringere. Cum Botanicorum pauciſſimi, harum plantarum, quæ nomine *de Lianes* & *Lienes* apud Gallos Americanos veniunt, meminerint, binos produco teſtes Hiſtoriæ Indicæ naturalis ſcriptores fulgidiſſimos Rev. P. Plumier & Dn. Rochefort. Cum vero primus, cujus opus ſub Titulo : *Deſcription des Plantes de l'Amerique avec leur figures Chart. Auguſt. Fol. ex Typographia Regia An.* 1693. *Lutetiæ impreſſum*, ob raritatem exemplarium non in omnium manibus ſit, conſultum duxi deſcriptionem ipſiſſimis inſerere verbis ; maxime cum Caapebam huic Claſſi expreſſe inſerat.

Les François des Isles de l'Amerique appellent indifferement Lianes toutes ſortes des Plantes, qui rempent ſur les hayes ou ſur les Arbres, en les diſtinguant pourtant, ou par leur figures, ou par leur vertuë, comme la Liane à ſerpent, à cauſe qu'elle eſt fort efficace contre leur morſure, la liane a dent de ſcie, parceque ſes feuilles ſont decoupées, comme les dents d'une ſcie ; la Liane brûlante, à cauſe qu'elle eſt fort brûlante & cauſtique, & ainſi des pluſieurs autres. Ils donnent

donnent ce nome de Liane à ce ſorte de plantes, du verbe lier, parce qu' ils ſe ſervent de quelques unes, comme de Cordages, tant pour la conſtruction de leurs Maiſons, qu' ils nomment vulgairement caſes, que pour fortifier les barrieres, & pour pluſieurs autres uſages. Il y en a pourtant, a qui donnent plus particulierement le nom de Liane, qui ſont celles, que les Caraibes appellent Meregovia, les Braſiliens Murucuja, les Eſpagnols granadilla, & nos François Fleurs de Paſſions, &c. i. e. Galli, qui Inſulas Americanas inhabitant, ſine ullo diſcrimine Lianes vocant, varias ad ſepes & arbores repentes ſcandenteſque plantas, eas tamen invicem, vel a figura externa, vel ab efficacia & viribus diſtinguentes. Sic Liane de ſerpent, Liane ſerpentum, (ignoſcite huic vocabulo Ciceroniani Manes) obtinuit nomen, ob virtutes, quas contra earum morſus exhibet: liana ſerræ vocatur, quod folia acutos ſerræ dentes æmulentur; Liana urens audit, ob vim cauſticam, quam exſerit, & ſic de cæteris. Nomen hoc hiſce plantis a verbo lier, lat. ligare inditum, cum nonnullis funium loco inſerviant, ab aliis ad conſtruendas ædes, quas vulgo Caſas appellant, ab aliis ad obices ponendos, ne quis irruat, alioſque uſus deſtinentur. Reperiuntur tamen, qui potiſſimum Lianæ nomine illas deſignant plantas, quas Caraibes, Antillarum Inſularum nativì Incolæ Meregovia, Braſilienſes Murucuja, Hiſpani Granadilla, & Galli Florem Paſſionis Dominicæ vocant. Poſterior a nobis in rebus Indicis inſtar oraculi conſulendus eſt vir multum terris jactatus & undis *Dn. Rochefort dans l' Hiſtoire naturelle & morale des Isles Antilles de l' Amerique Edit. ſecond.* 1665. *Chap. XI. Articl.* 3. *p. m.* 125. *Il y a pluſieurs eſpéces de bois rempants par terres, & empeſchent ſouvent de courir facilement par les foreſts. Les habitans des Isles les nomment lienes. Les unes ſont en forme de gros Cable de Navire. Les autres portent des fleurs de diverſes couleurs. Et méme il s' en voit, qui ſont chargées de groſſes ſiliques tannées: longues d' un bon pied, larges des quatres ou cinq pouces & dures comme l' ecorce du cheſne, dans lequelles ſont contenus ces fruits curieux,*

rieus, qu' on appelle chaſtignes de mer, qu' ont la figure d' un cœur, & dont on ſe ſert ſouvent, apres qu' on les a vuidez de leur poulpe, pour conſerver du Tabac pulverisé, ou quelque autre poudre de bonne ſenteur. Ce que les habitans des Isles appellent Pommes de lienes, eſt un fruit qui croit ſur une ſorte de vime, qui s' attacha aux gros Arbres comme le lierre. Il eſt de la groſſeur d' un bale de jeu de paume & couvert d' une coque dure, d' une peau verte, qui contient au dedans une ſubſtance, laquelle eſtant meure a la figure & le gôut des Groſeilles. i. e. Dantur plures repentium plantarum lignoſarum ſpecies, quæ arboribus adhærent, & curſum per ſylvas impediunt. Incolæ Inſularum Lienes vocant. Nonnullæ harum rudentibus navium non ſunt diſſimiles; nonnullæ flores varii producunt coloris; nonnullæ quoque repertu dantur, ſiliquis caſtanei coloris gravidæ, pedis longitudine, quatuor vel quinque pollicum latitudine, querni corticis duritie; quibus ſiliquis incluſi fructus illi elegantes, quos caſtaneas marinas nominant, qui figura cordis gaudent, & quibus pulpa exemta, utuntur ad Tabaci in pulverem redacti errhini conſervationem, vel pro receptaculo aliorum bene olentium pulverum. Illud, quod incolæ Pomorum de liene nomine indigitant, fructus eſt ſpeciei Viminis, magnas arbores inſtar hederæ aſcendentis & adrepentis. Pilam luſoriam adæquat, cortice præduro, viridique cuticula, medulla cum ad maturitatem pervenit ratione ſaporis, groſſularium æmulante. Hæc Rupifortius, qui ſub nomine Lienes, ut verum fatear, plantas comprehendit, quæ ad Caapebam noſtram plane non quadrant. Propius ad metam & Caapebam noſtram Plinius Amboinicus diligentiſſimus *Rumphius*, qui repentium fruticum hoc genus, quod P. Plumier & Rupifortius Lienes vocant, *funium ſylveſtrium* nomine ſequentibus delineat Ephem N. Cur. Dec. II. Ann. 3. Obſ. XXIII. p. 76. *Per funem ſylvaticum*, (ſcribit) *intelligo talem fruticem, qui non erectus creſcit, ſed longo & flexuoſo ſtipite aut per humum ſerpit, aut per arbores ſcandit. Hos frutices funes appellamus, qui magna*

magna copia, & diverſa ſpecie in harum Inſularum nemoribus luxuriant, quos complectitur Liber VII. mei Herbarii. Eis parem in Europa indicare non poſſum, quamproxime tamen cum vite pergulana modo creſcendi conveniunt, multo tamen longiores, craſſiores, & maxima parte absque ramis. Quid aptius ad Caapebam & Parreiram bravam ſive vitem ſylveſtrem ſcribi potuiſſet?

Excellentiſſimus Dn. Valentini in Muſeo Muſeorum meminit, radicem Parreiram bravam *Botnam* vocari a B. Paulo Hermanno, Leidenſis Academiæ quondam incomparabili Botanico, in Collegio Mat. med. Manuſcripto; quod literis humaniſſimis ad me datis confirmavit. Excellentiſſimus Dn. Bajerus, in Palæcome noſtra Prof. Publ. Collega & Fautor æſtumatiſſimus, qui lectiones illas Hermannianas quoque poſſidet, legit Botuo Pariera. Interfui huic Collegio, dum ſtudiis Lugduni operam darem, & dictata excepi calamo, curasque poſteriores, quas poſt abitum meum amici collegerant, obtinui, nulla hujus radicis mentione facta. Neque in Cl. Henningeri Cynoſura materiæ medicæ Hermannianæ, quæ nuper in publicum prodiit, de radice plantaque Botna vel Botuo, ac Parreira aliquid reperiundum. Quodſi in vivis adhuc foret βοτανικώτατος Vir;

Cujus ab ore juvat, juvat o! meminiſſe pependi,
Et doctas voces ſæpius aure bibi,

lubens de planta hac Botnam vel Botuo, reliquo Botanicorum choro ignota, ipſum conſulerem.

Retulit tandem Amicus e Galliis redux, Excellentiſſimum Gothofredum, qui juſſu Academiæ Regiæ Pariſinæ Parreiræ bravæ examen ſuſcepit, de voce *Butua* vel *Botuam* omnem diremiſſe litem. Vix ſcribi poteſt, quanto deſiderio flagrarim, librum, in quo Hiſtoria Actaque hujus Academiæ continentur, inſpiciendi. Nec enim mihi intermortua Illuſtriſſimæ Societatis hujus memoria, ad quam ante triginta, & quod excurrit annos, dum Lutetiæ degerem, cum amiciſſimo tunc, nunc beatiſ-

beatiſſimo Eiſenſchmidio, Argentoratenſium Archimede, mihi tam felici eſſe licuit, ut Excell. Hombergio parario, quod grata ſemper mente recolo, facilis patuerit acceſſus aditusque; licet non tantam tunc gloriam, quantam nunc, Regia ſuffragante gratia munificentiaque, acquiſiverit. Erecta quippe jam Anno 1666 Regiæ quaſi Anglicanæ An. 1663. fundatæ æmula, maximum tamen incrementum Anno 1699. poſt Riswycenſem Pacem ſtabilitam cepit, quo Regio juſſu ab Eminentiſſimo Franciæ tunc Cancellario, Dn. de Ponchartrain, cui curam hanc Gallorum demandavit Monarcha, aucta legibus, ſtipendiis ditata, in meliorem ordinem redacta, noviterque quaſi reſtituta, operam præcipuam conferente ac commodante Illuſtriſſimo Academiæ Præſide Dn. Bignono, Abbate S. Quintini, Conſiſtoriano Comite, cujus Avunculus Magnus Franciæ Cancellarius, quæ fuſius recenſita leguntur in libro a Dn. Fontenelle Gallice inſcripto: *L'Hiſtoire du Renouvellement de l'Academie Royale des Sciençes, Ann. MDCXCIX.*

Nec hic ſubſtitit favor Regius, ſed eo devenit, ut conventus locum Academiæ conceſſerit in Regia Luparæ, ſtupendo illo opere, quod

Inceptum a Proavis imperfectumque relictum,
Pacatis LVDOVICVS agens placida otia rebus,
Tantum opus abſolvet molemque æquabit Olympo.

Academiæ equidem hujus Regiæ laudibus numerandis nominandisque imparem me eſſe profiteor: neque enim quisquam, ſi vel maxime omnes plagas luſtraverit, a Gadibus usque Auroram & Gangem, juncta Anglicana Societate Regia, doctiores conſeſſus inveniet, aut qui majori cum gloria dignitatem ſuam, innumeris variæ eruditionis & naturalis ſcientiæ documentis editis, tutati ſint, ut non immerito inter Academias recenſeri poſſint

Præcipuas, quas Phœbus habet, quas præ omnibus ultro
Spreto Helicone novemque colunt ſua cura Sorores.

In


Ambutua
Legno.
Butua overo
Brutua Arbore.

In venerandæ hujus Academiæ Actis Ann. X. p. 78. Edit. Belgicæ, ut ad rem ipſam me convertam, Excell. Gothofredus, cujus Botanica varia obſervata, his in Actis hinc inde recenſita, omne punctum ferunt, examen Parreiræ bravæ, ut modo diximus, ex Academiæ edicto inſtituit.

Et quidem quod ad cognomen *radicis Botou* ſive *Botoua* attinet, vel ut ab aliis effertur *Botjam*, nominis ſono delinitus Dn. Gothofredus, eandem quam *Butua* vel *Brutua* Jacobi Zanoni eſſe aſſerit. Cui pollicem premit Dn. Joh. Baptiſt. Chomel. dans l'Abregé de l'Hiſtoire des Plantes uſuelles in duodecimo Pariſiis edit. p. 192. 193. qui Butuam ſive Brutuam Zanoni in Iſtor. Botanic. An. 1675. Bonon, Italic. edit. p. 59. & *Ambutua* lignum, Tab. XXI. delineatum, & Parreiram bravam matrem agnoſcere eandem credit.

Fateor equidem me, ſimulac nominis Botuæ vel Botjam notitia mihi facta, Zanoni probe inſpexiſſe opus, ac deprehendiſſe, quoad omnia ab arbore, lignoque ac radice, illic deſcriptis, Parreiram noſtram differre. Perlecta autem iterum Cl. Gothofredi Chomeliique ſententia, accuratius licet Zanoni deſcriptionem *Butuæ* vel *Brutuæ Ambutuæque* perpendens, non tamen menti meæ imperare potui, ut huic ſubſcriberem hypotheſi. Ne vero mihi ſoli ſapere videar, haud inconſultum duxi, ipſiſſimam Zanoni delineationem B. L. exhibere, ejusque æquæ cognitioni judicioque rem omnem relinquere. Audiamus, quid

- - *Hic Myſtes naturæ arcana parentis*
E latebris dias in luminis eruit auras.

Producam autem locum Latiali toga indutum: *Butua ſive Brutua in regione Mozambique Indiæ orientalis naſcitur, planta revera inter rariſſimas recenſenda, nec, quantum ſcio, apud alios recenſita; & mihi quoque nulla ejus notitia ſuppetit, quamvis variis prædita virtutibus, quæ exponuntur in Manuſcriptis Rev. P. Matthai. Arbor eſt, quæ in divaricatis radicibus, facta transverſim ſectione, ſolis*

 exhibet

exhibet imaginem, id quod figura expreſſa exhibet. Perſuaſus ſum, nemini hoc legenti incredibile fore, arborem hac gaudere qualitate, cum & in noſtro climate, ſimili ſignatura, licet non tam accurate expreſſa, repertu detur, aliis innaſcens arboribus, viſcus quernus dictus, e quo præter uſum medicum in officinis Pharmaceuticis quotidie obvium, coronæ vulgo precariæ dictæ adornantur, nomine coronarum e ligno ſolis factarum cognitæ.

In Muſeo meo lignum quoddam nomine Ambutuæ aſſervatur, nominis ſono ab hactenus deſcripto parum vel nihil, uti judico, diſcrepans. Lignum formæ rotundæ, ſed imperfectæ eſt, cortice ſubtili, coloris caſtanei obſcurioris tectum, quo detracto lignum per longitudinem ſtriatum apparet carnei coloris & argentei ob lineas quasdam interſecantes ſibi conjunctas, facile tamen ſeparabiles, viſuique gratiſſimas. E variis componitur tunicis, totidem quaſi cannas exhibentibus, quarum una alteri ſuperimpoſita, initium e medulla ſumentes, quam ſecunda ambit, hanc tertia & ſucceſſive aliæ, ſecundum ligni craſſitiem. Lignum diſſectum in meditullio varios exhibet fibrarum flexus, ſive elegantem texturam telis aranearum, quæ in domibus & palatiis majoribus reperiuntur, non abſimilibus, ut e figura aeri inciſa elucet. Et hoc forte lignum erit arboris ſuperius deſcriptæ, quippe cum hæc in radice ſolis figuram repræſentet, haud difficulter quis colliget, in arborum ramis alteram, non valde diverſam figuram reperiri, præcipue cum eodem ferme nomine gaudeat. Hoc ligno, ſi fides, qui illud mihi attulit, Rev. nempe P. Johannes Antonius Montecuculi e Capucinorum ordine, ſæpius in hoc opere a nobis laudatus, habenda, Indi utuntur ad reſolvenda maturandaque apoſtemata interna, & temperandam ſanguinis acrimoniam in ſubſtantia pulveris; in aquæ vehiculo exhibetur, impaſtatur pariter cum lacte, & apoſtematibus externis applicatur. Maſticatum ſaporis eſt amari, juncta quadam acrimonia.

Apud eundem Zanonum nel Pendice ſive in Appendice ex ſchedis R. Patr. Matthæi ſupra allegatis p. 209. hæc referuntur: *Reperitur in Moſambico arbor, vocata Brutua, cujus radix eſt magnæ æſtimationis, (corticem habens ſubnigro colore, intus vero ſubalbo)*

albo) quibusdam circulis ſeu partibus veluti muſculis compacta, & gravis eſt, non levis, cujus virtus mirabilis eſt ad apoſtemata reſolvenda, ſi tantillum de ea in potu ſumatur. Putant, quod hæc radix ſit illa, quæ vocatur RANGAIRE, vulgo MANIKAL, magni pretii & virtutis.

Abſit, ut his a Zanono relatis ſubſcribam, & Parreiram bravam, ac Butuam, Brutuam Ambutuamque unam pronuntiem eandemque. Quicunque rem ſagaciter inveſtigabit, & preſſius comparationem inſtituet, mecum reputabit, toto cœlo eas differre. Nolo equidem de Patria movere litem: Butuæ enim Zanonus Moſambique eſſe aſſerit, Africæ ſecundum R. P. Maffejum Hiſt. Indic. Lib. III. tractum, olim *Praſium Promontorium* nominatum, cum ad unum omnes, qui Parreiræ bravæ hactenus meminere, Americanæ originis pronuncient. Plurimum pro me militat maxima, quæ binas plantas intercedit, diſcrepantia, ſtructuræque diverſitas, quæ cauſa eſt, ut Butuam ſive Brutuam & Ambutuæ lignum Lectoris oculis exponere decreverim, criſin illius expectaturus, an cum Parreira brava ullo modo conveniat.

Arbor eſt Brutua ſive Butua; Parreiræ autem nomen ipſum vitis vel ſcanſilis plantæ progeniem facit. Nec cannulatæ Ambutuæ compagem in radice Parreiræ, nec Butuæ radicis Solis æmulam imaginem, nec aranearum telis ſimile textile unquam quis deprehendit. Certe vocis Butuo vel Butuæ, Botjam & Butuam ſono allecti Viri Clariſſimi ad Zanoni Butuam converſi ſunt. An felici omine, penes Lectorem ſit arbitrium.

Ad nominis Botjam vel Botnam aliam, & Parreiræ convenientiorem & propiorem originem nos conjectura duceret, modo Patria radicis hujus locum relinqueret. *Buto* vel *Budo* in Sinenſi vel potius Japonica lingua *vitem* denotat viniferam, *jam* vel *jama* autem *ſylveſtrem*, ut Budojama & contracte *Budjam* vel *Butjam* ſit ejusdem plane ſignificationis ac Parreira brava, a qua voce corrupta Butnam & Butua, nata videtur. Sed hæc omnia exinde fluunt, quod non conſtiterit, Parreiræ na-

tales in Caapeba eſſe quærendos, quod a nobis modo erit demonſtrandum. Illuſtriſſ. Hans Sloane in Parte prima Prodromi Hiſtor. natural. Jamaicæ ſive Catalogo plantarum Inſulæ Jamaicæ, convolvulum Braſilianum flore octopetalo monococcum, quem eandem ac Caapebam plantam eſſe Excell. Rajus credidit, *Velvetleef* appellari, & in frutetis circa urbem St. Jago de la Vega Inſulæ Jamaicæ reperiri aſſerit.

Parreira vel potius *Perreira* familia inter maxime illuſtres Luſitaniæ ſplendidiſſima eſt, imo quod omnem gloriam ſuperat, hodiernæ Regiæ Familiæ Luſitanicæ per conjugem *Beatricem de Perreira, Nunii Alvarez de Perreira* filiam, ſtirpis *Bragantinæ* Satori, Alphonſo Duci hujus Domus primo nuptam, originem & incrementum dedit.

Ex eadem Bragantina ſtirpe prodeuntes *Comites de Tentugal Marchiones Ferreiræ*, nomen *Perreiræ* aſſumſerunt; & primus quidem *Nunius Alvarez Perreira de Melo* III. *Marchio de Ferreira*, cujus Nepos *Nunius Alvarez Perreira de Melo & Portugal*, Ducis dignitate a Johanne IV. Rege auctus, eaque tunc *Cadavalenſi* annexa eſt, quæ in *Caſtrenſis* familiæ ditione olim fuit, & per matrimonium *Johannæ de Caſtro* cum *Ferdinando* I. *Bragantiæ Duce* in hanc tranſiit.

Hujus inter Proceres Luſitanicos eminentiſſimæ familiæ Filio natu maximo *Ludovico Perreira de Melo*, Petrus II. Rex cum dignitate *Ducis de Cadaval* filiam ſuam naturalem nuptui locavit, cumque is præmature vita caruiſſet, Fratri ejus *Jacobo Perreira de Melo*, in Ducis pariter Cadavalenſis titulum thalamumque ſuccedendi, poteſtatem dedit, quo is æque ac ille ſterili hucusque uſus eſt. E naturalibus liberis ſupereſt *Nunius Alvarez Perreira* eccleſiaſtico mancipatus vitæ generi, Rector Vniverſitatis Conimbricenſis, peripateticæ olim Philoſophiæ inſtauratricis celeberrimæ.

Perreiræ nomen in hiſtoria literaria quoque inclytum, cum plures viri eruditione fulgidiſſimi hoc cognomine ſuperbiant.

biant. *Benedictus Ferdinandus Perreira Valentinus*, Societatis JESU Theologus, editis *Commentariis in Geneſin, Exodum, Danielem, Epiſt. ad Romanos & Apocalypſin*, uberrimis orbi literato notiſſimus.

Benedictus Perreira Borbenſis Luſitanus e S. J. modo laudati Benedicti Fernandi e Sorore nepos ; Eborenſi in Academia humaniores docuit literas, poſt & Theologiam e cathedra primaria ; emeriti tandem privilegio donatus ; hinc Theologus & Philologus elegantiſſimus, cujus ingenii fœtus proſtant: *Commentarius in Horatium duobus Tomis. Liber de moribus gentium omnium tam veteribus, quam recentibus. Liber Problematum*, qui inſcribitur: *Pallas togata & armata.* Scripſit porro, teſte *Cl. Franco de Frankenau* in *Sacr. Themid. Hiſpan. arcan.* Sect. XII. §.43.p.192. *Promtuarium reſolutionum univerſæ Theologiæ moralis*, cujus dein ad exemplar condidit: *Promtuarium Reſolutionum univerſi Juris Luſitani.* Ejus pariter ingenii fœtus eſt, *Liber de Jure Academico Olyſſ. An. 1661.* impreſſum ; quod Lipenius, neſcio qua fide, Eboræ impreſſum eſſe tradit ; Antonius vero in Biblioth. Hiſp. nov. App. T. II. p. 284. inter Manuſcr. numerat.

Bartholomæus Perreira, itidem S. J. Theologus, *decem libris de Perſecutione Japonica*, totidemque de *morte Franciſci Pacieci, Provincialis in Japonia*, adornatis, ut & *Commentar.* in *Tobiam* famam promeruit.

Franciſcus Caldes Perreira de Caſtro tractatum elegantiſſimum conſcripſit *de Jure emphyteutico*, cujus filius *Gabriel Perreira de Caſtro Luſitanus*, Bracaræ in urbe Epiſcopali natus, ordinis St. Chriſti Eques & poſt obita varia in republica patria munera Curiæ Olyſſiponenſis Senator, vernacule *Deſembargador dos aggravios da Caza de ſupricaçano.* Ejus ſunt: *Deciſiones ſupremi Senatus Portugalliæ.* De *manu regia tractatus*, in quo omnium legum regiarum, quibus Regi Portugallia in cauſis Eccleſiaſticis cognitio eſt, ex jure, Privilegio, conſuetudine ſive concordia, ſenſus & vera decidendi ratio aperitur. Liber Philippo IV. Hiſpaniarum Regi inſcriptus. Elegantiſſimo carmine

 patria

patria lingua elaborato, cui nomen præfixum: *Vlyſſes ſive Lisboa edificata*, Lauream inter Luſitanos Poëtas obtinuit; cave tamen, carmen hoc cum alio ejusdem inſcriptionis, quod Luſitanus alius Poëta, magni nominis & famæ, *Antonius de Souſa Macedo*, in publicam emiſit lucem, confundas.


Georgius Gomez Perreira, Methymna Duellenſis Hiſpanus, Philoſophus acutiſſimus, medicus expertiſſimus, *Antoniana Margarita*, elegantiſſimo certe opere edito, inter ſeculi ſui viros principes conſpicuus. His e fontibus illuſtrem Carteſium plurima hauſiſſe, imprimis de brutorum ſenſibus & anima mutuatum eſſe, Cl. Borrichius hariolatur.

Hieronymi Perrieræ Luſitani pariter meminit Doctiſſimus Schottus in Biblioth. Hiſpan. ſcriptis, quæ *de Sacramentis & Chriſti reſurrectione* edidit, celebris.

Claudat agmen R. P. *Thomas Perreira*, qui cum R. P. *Gerbillon* a Sinenſium Imperatore, ad magnum Ruſſorum Avtocratora ad Tractatus Pacis Nagovii ſive Nipchou An. 1689. inſtitutas Legatus miſſus, de quibus videatur *Dionyſius Chao Sinenſis in Deſcript. Patriæ*, cap. 24. p. 186. Plures adhuc *Perreiras* ſilentio tranſeo, ne copia moleſtus fiam. Videntur enim nonnullis hæc ex eorum claſſe eſſe, de quibus in recenſione Parreiræ bravæ Hiſtoria Academiæ Pariſinæ meminit; *Ces ſortes des doutes ſçavans ſont plus propres à faire honneur a celuy, qui les propoſe, qu' a inſtruire ceux à qui ſont proposé.* Ad utiliora calamum convertimus.

PARREIRAE PLANTA, ORTVS, STRVCTVRA.

NOminum cortice diffracto, πρὸς ἔργον ἐξορμώμεθα, plantam ipſam intimius inſpecturi. Cum Aſia, Africa & America, in noſtram migraverint Europam, præſertim in polydædalos cultiſſimorum regnorum hortos, ut prioris ſeculi Botanicis opus eſſet filo Ariadneo, ne in diffuſiſſimo hoc Floræ labyrin-


CAAPEBA.
PARREIRA
BRAVA



byrintho hinc inde impingerent, & aberrarent, dolendum ſane, in nullo Europæ viridario hanc Caapebæ plantam adhuc comparuiſſe; ut Malpighiana & Grewiana methodo, in ejus natales & ſtructuram examen inſtitui poſſet. Erimus igitur Marggraviana & Piſoniana deſcriptione contenti, cum vix ac ne vix quidem deſiderare amplius quid queamus.

Eſt ergo, ſecundum Piſonem Edit. I. Libr. IV. c. 54. p. 94. *Caapeba planta Clematiti non abſimilis*, (Edit. II. Libr. V. c. 19. p. 312. *Clematitem ſarmentoſam vocat*) *quæ tenaci ac prælongo ſarmento, nunc vicinas arbores late aſcendit, nunc humi inſtar colubris repit*; addit in Edit. ſec. libr. IV. cap. 66. p. 261. & p. 312. *ob ſimilitudinem partim, partim ob inſignem efficaciam antidotalem ſerpentibus inimicam, Cipo di Cobras ſive convolvuli columbrini nomen indiderunt* Luſitani. A Marggravio Hiſtor. plantar. Braſil. libr. I. c. 13. p. 25. nude tantum vocatur *planta ſcanſilis*.

Caulem Marggravius ſolus deſcribit, nempe *caulibus teneris, rotundis, viridibus, admodum lentis*.

Quod ad *Folia* attinet, eſt, ſecundum Piſonem, *folio tenuiſſimo rotundo, læteque ſemper virente*, (addit in Edit. ſec.) *ſeorſim poſito in caule nunc orbiculari, nunc cordis latioris figura, ſuperius dilute vireſcente, inferius albeſcente.* Cl. Marggravius rem fuſius declarat: *Folium quodlibet*, inquiens, *ſeorſim poſitum in caule*, in ſuo pediculo rufeſcenti duos digitos longo, & in exortu paululum excurvato, orbiculare vel cordis latioris, ubi pingitur, figura, conſiſtentia, folio perfoliatæ ſimilis, ſuperius dilute virens, inferius albeſcens, in quibusdam plantis folia omnia ſunt rotunda.

Ad *pediculum* procedimus. Piſo *foliorum pediculos rufeſcentes pronuntiat.* Marggravius inſuper addit, *pediculus folii cujusque non inſeritur in fimbriam ſeu extremitatem folii, ſed plus dimidio digito ab ora verſus medium folii, ut fit in Naſturtio Peruano.*

Florem

Florem nunc exhibemus. In prima Piſonis editione altum plane de flore Caapebæ ſilentium. In editione autem ſecunda hæc de flore pronuntiat: *Ad pediculos foliorum rufeſcentes, flores pallidi flaveſcentes proveniunt.* Si Marggravium inſpicimus, dilucidiora circa florem promit: *Ad pediculos foliorum etiam pediculus provenit ſeſquidigitum longus, floſculum ſuſtinens pallide flaveſcentem, octo foliis conſtantem hoc modo, quatuor ſuperius appoſita ſunt parva, obrotunda, his ſubſtat amplum obrotundum, adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita.* Addunt denique ambo, *plantam Menſe Julio florere. Provenit autem ſponte & voluntarie absque ulla ſollicita hominis cura, & tamen creſcendi attingit terminum.*

Semen, ſecundum Piſonem in prima editione, fert magnum coloris roſacei, e capſulis (lupulo ſimilibus) prominens. In editione ſecunda annectit: in ſummitate pediculi granum profert magnitudine parvi piſi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum, quæ ex Marggravii deſcriptione ſunt mutuata, qui inſuper hoc attulit: in ſummitate pediculi inter quatuor ſuperiora foliola, granum provenit magnitudine parvi piſi &c.

Ad principem ſchediaſmatis partem & præcipuum argumentum nunc ordo nos ducit, *radicem* nempe *Parreiram bravam* & *Raiz de noſſa Senhora*, quæ cum una eademque ſit, Caapebamque plantam matrem utraque agnoſcat, pro duabus tamen diverſis jam tempore Piſonis habita, & nunc quoque ab aromatariis, quos barbaro vocabulo Droguiſtas vocant, (a Gallica voce Drogues, non autem ex Germanico vocabulo Betrug / quod Nobil. D. ab Hörnigk placuit) venditur, cum nullum plane, niſi ratione ætatis & exinde dependentis magnitudinis, fibrarumque duritiei diſcrimen ſubſit. Cum igitur juvencula adhuc ſit, & ſarmentoſa & tortuoſa coloris e cineritio nigricantis, digitalis craſſitiei, & ut Wormio in Muſeo placet, quinque unciarum longitudinis, ſtrigoſa tam in-

terius

terius quam exterius, Rayz de noſſa Senhora, & Cipo de Cobra vocatur.

Cum autem jam plane adolevit, nigricantis coloris, ſæpius brachium adæquat, quale fruſtum radicis hujus apud ſolertiſſimum noſtrum Pharmacopœum, Dn. Dietericum, inſpicere licuit, & tunc Parreiræ bravæ nomen gerit. Cutis radicis aſpera eſt in utraque; quas tamen in ejusdem ſuperficie externa eminentias Pometi icon exhibet, non in omnibus reperiuntur. Videtur autem cutis utrarumque radicum, ceu reliquæ plantarum cutes, conſtare e duobus generibus, parenchymatico altero ex cellulis & bullis, altero lignoſo ex vaſis tubuloſis conſtructo, quæ omnia armato oculo intuenti optime patent, ita ut, ſecundum Excell. Rajum, cuticula vel cutis nihil aliud eſſe videatur, quam vetus cortex exareſcens & contractus, novo quotannis ſubnato, quemadmodum ſpolium ſerpentis, quod quotannis exuit, ejusdem exarefacta cutis exiſtit.

Cortex cuti agglutinatus ex duabus quoque partibus coagmentatus, parenchymatica nempe & lignoſa. Immiſi aquæ fontanæ radices, ut eo melius & intimius conſtructionem rimari poſſem: nec deſtituit ſucceſſus ſpem, nempe corpus ſumme poroſum, dilatabile, &, niſi omnia me fallunt, ſpongiæ per omnia ſimile, armato oculo intuens conſpiciebam; pori ſphæricæ figuræ, & maſſa cellularum & bullularum minutiſſimarum, ſpumam cereviſiæ vel albuminis conquaſſati ovi æmulabantur: viſui ſe minus ſubduxerunt hæ bullæ, aqua, cui immerſæ erant, turgidæ, in arida radice transverſim ſecta, quod experimentum Excell. Grew placuit. Has cellulas bullasque quis receptacula liquoris & aëris eſſe neget? vel utriculos in ſe mutuo hiantes, & pervios ſecundum ingenioſiſſimum Malpighium. Per alteram corticis lignoſæ partem vaſis ſucciferis conſtantem, liquor quoque circulatur & aër. An vero ad ſe invicem accedant, & iterum reflectantur, nul-

las tamen dent inter eas Anaſtomoſes, ſecundum *Cl. Grevv*, ſed unumquodque filamentum unum & ſimplex vas ſit ab imo ad ſummum continuum, non ramoſum, cavitate ab imo ad ſummum æquali, in fruſtis radicum, jam longo tempore areſactis detegere haud licuit.

Lignea radicis pars iisdem quoque partibus conſtat, (1.) parenchymate nempe, ſeu utriculis in radios diametrales a circumferentia ad centrum tendentes, diſpoſitis, ut in transverſa ſectione patet. (2.) Fibris ligneis ſeu vaſis ſucciferis duum generum, (quod in corticis quoque vaſis notandum) nimirum vel lympham deferentibus, vel ſuccum lacteum, aliumve plantis peculiarem, ſeu ut vocant ſpecificum. (3.) Fiſtulis aëri excipiendo & derivando deſtinatis ſive tracheis, de quibus *Cl. Malpighius* annotat, quod in radicibus plerumque majores & magis patentes ſint, quam in ramis & trunco.

Medulla, quæ *ſecundum Excell. Rajum* in nonnullis radicibus deeſt, noſtra non caret; quæ ex utriculis quoque componitur, iisque magnitudine & figura diverſis, quibus vaſa aliquot ſuccifera interdum admiſcentur; adeo ut medulla, ex mente Cl. Raji, aliud nil eſſe videatur, quam rete quoddam mirabile, ſeu infinitus fibrarum minutiſſimarum, mirabili ordine complicatarum numerus. Sed ſecundum Euripidem *ὐκ ἀκριβῶς αὐτὰ θήσομαι λίαν*; non ſubtiliter iſta tractabo nimis, cum jam in Anatome Radicum omnia ſumma cum laude exhauſerint, curioſiſſimi *Malpighius, Grevv & Rajus.*

De ſapore alius dicendi locus ſupererit, ubi de Parreiræ viribus & efficacia. *Delectum* radicis pretiumque *Dn. Pomet nobis* ſuggerit dans l' Hiſtorie des Drogues : *Pour ce qui eſt de ſon choix, Mr. Thevard m'a aſſurez, que celle de Mexique eſtoit beaucoup meilleur, que celle de Portugall. - - Ils le vendent en Portugall dix teſton la livre, qui ſont environ cinqs livres de notre monnoyes.* i. e. Ad delectum quod attinet, Dn. Thevard me certiorem reddidit, Mexicanam Luſitanicæ præferri.

Luſi-

Luſitani libram decem teſtonis ſive quinque Francicis libris vendunt.

Quæ de duplici radicis Parreiræ ſpecie habent,attentionem merentur. Sic enim Acta Hiſtoriæ Academiæ Pariſinæ: *Vidit Dn. Gothofredus binas Parreiræ bravæ ſpecies, ſi modo colorum differentia ſola ad duas ſpecies diſpeſcendas ſufficit. Prima & quidem maximi uſus, externe bruni coloris eſt, interne autem bruni flaveſcentis.*

Secunda ſpecies externe albicat, interne ad flavum citreum colorem accedit. Hæc ipſa adhuc recens carnei coloris eſt, & ſucceſſu temporis pallet. Ambæ ſunt ſubſtantiæ duræ, poroſæ & ſpongioſæ: guſtu gaudent amaro levidenſi, immixta aliquali dulcedine liquiritiæ æmula. Craſſitiem ſæpius pollicis habet.

Si,quæ ſentimus, nobis libere pronuntiare licet de binis ſpeciebus,Raiz de noſſa Senhora & Parreira confunduntur, id quod e viribus in fine annexis patet. Nec mirum, cum jam Piſonis tempore pro diverſis habitæ, licet Caapebam unam matrem agnoſcant, nec aliter quam ætate indeque dependente magnitudine fibrarumque duritie & colore diſcrepent.

PARREIRAE CHARACTER
ET GENVS.

JAm vero cum plantarum certi ſint ordines, earundemque una claſſis alteri ſubſit, adeo, ut velut ad cohortes revocari poſſint ſingulæ, cui ordini planta hactenus quoad omnes partes illam conſtituentes, easdemque viſui obvias, a nobis delineata inſerenda ſit, nunc ediſſeram. *Vitis* quidem *ſylveſtris* deſignatur nomine, cum tamen nil niſi nudum nomen poſſideat, ad arbores bacciferas tetrapyrenas (cui claſſi a Cl. Botanici ſtudii principibus, *Rajo* & *Hermanno*, vites inſeruntur,) referri nequit.

Clematiti non abſimilem pronuntiavit Piſo Edit. II. Libr. IV. ſed cum ſecundum Floræ illud delicium, amiciſſimum Collegam *Helianthum II.* notæ genericæ & ſpec. Clematitis ſint ſemina ad ſingulum florem plura, compreſſa, rotunda, caudulis plumoſis in extremitate notata, ac in capitulum congeſta, flores perfecti uniformes, tetrapetali, vid. *Flor. Noriberg.* p. 114. quomodo hæc ad Caapebam aptari poſſint, non video; quod forte Piſoni ſuboluit, hinc Libr. V. edit. ſecundæ nomen convolvuli colubrini imponens, huic plantarum ordini Caapebam immittere geſtit, ſed quo ſucceſſu & omine, illi judicent, quibus ſecundum modo laudatum *Cl. Volkamerum* notæ genericæ & ſpecialiores convolvulorum ſunt ſemina vel anguloſa, ſubrotunda, vel oblongiuſcula, pericarpio membranaceo tricapſulari, utplurimum rotundo incluſa, ita ut in ſingulo loculo, modo bina, modo terna foveantur. Flores perfecti uniformes, monopetali margine utplurimum integro, excepto convolvulo pennato, cujus floſculi in quinque lacinias diviſi. Ad ſemina quod attinet, quam longe diſtent a convolvuli ſeminibus, pericarpio membranaceo tricapſulari utplurimum rotundo incluſis, patet, cum ex Marggravii & Piſonis delineatione in ſummitate pediculi inter IV. ſuperiora foliola granum proveniat magnitudine piſi parvi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum. Ad *Flores* quod attinet, utplurimum in convolvulis uniformes, monopetali & ſecundum *Cl. Rajum* campanulati, margine integro & plerumque reflexo; Caapebæ flos vero octo ex deſcriptione Marggraviana foliis conſtat, e quibus IV. ſuperius appoſita ſunt parva ſubrotunda, his ſubſtat amplum ſubrotundum; adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita, quæ heteroclita florum in Caapeba figura, ab omnibus plane convolvulorum ſpeciebus abludit. Plura & uberiora de convolvulorum differentiis & gyrorum dextrorſum & ſiniſtrorſum ſe torquentium ſtructura noſſe qui cupit, perlegat quæſo eruditiſſimam & omni curioſi-

tate


a
a
a
c
e
d
d
f
Plumerianae
Caapebae
structura
Clematis baccifera glabra et viollosa
rotundo et vmbilicato folio.



tate ſcatentem *Helmſtadienſium Mathematici Clar. Dn. Wagneri Diſſert. de Gyris convolvulorum An. 1705.* habitam.

Nil igitur Caapeba cum convolvulis commune habebit, quippe floribus & ſemine ab hac claſſe deſciſcit, præterquam quod caulibus ſcandat & repat. Ab *Illuſtri Rajo* Caapeba inter plantas anomalas refertur, & tandem definitur, quod ſit: *Convolvulus Braſilienſis flore octopetalo, monococcos.* Oper. Botan. Tom. II. Libr. 28. ſect. 3. cap. 2. p. 1331.

Reverendus *P. Plumier, Ordinis Minorum in Provincia Franciæ & apud Inſulas Americanas Botanicus Regius*, qui tribus diverſis temporibus hanc olim orbis incogniti partem, Botanici ſtudii amore adiit, in Tractat. de Novis Plantarum Generibus, hanc plantam tanquam incertam, peculiari claſſi novoque generi inſerit, tres Caapebæ ſpecies recenſendo. Sed cum hoc Caapebæ novum genus tantum diſtet a Piſoniana & Marggraviana hactenus recenſita deſcriptione Caapebæ, quantum æra lupinis diſtant, non amplius animum ſubit admiratio, cur *Celeberrimus D. Hans Sloane, Botanices gloria nulli ſecundus, quondam Ducis Albemarliæ, Inſulæ Jamaicæ Gubernatoris Medicus, in Catalogo Plantarum Inſulæ Jamaicæ, ſive Prodromo hiſtoriæ naturalis prædictæ Inſulæ* Part. I. p. 85. anceps hæreat, an clematitis baccifera glabra & villoſa rotundo & umbilicato folio Rev. P. Plumier, ſit una eademque ac Caapeba Piſonis & Marggravii?

Vt res clarior evadat, lucis & litis gratia, ſi pote, decidendæ, conſultum duxi B. L. oculis & menti Plumerianam Caapebæ deſcriptionem objicere. Sic autem ille *dans la deſcription des plantes de l' Amerique : Cette plante couvrent toutes les hayes par ſes ſarment, qui ſont menus, ſouples, ronds, unis, & qui pouſſent alternativement à chaque næud, (qui ſont aſſez proches les uns des autres) une feuille & rarement deux : ces feuilles ſont presque ronds, & quelquefois de la figure d' un cœur emouſſé : elles ne ſont pas attachées à leurs pedicules immediatement par le bord, mais un*

 peu

peu plus par deſſous le dos ; leur grandeur eſt indeterminé ; il y en a qui ſont grandes, comme la paume de la main, & d' autres beaucoup moindres : elles ont quelques nervûres tant ſoit peu eslevêes, qui ſortant de l' inſertion du pedicule, s' etendent de la & de ça par la feuille, enfin elles ont beaucoup de rapport aux feuilles de l' Ariſtolochie ronde, tant par leur figures, que par leur conſiſtence.

On en trouve de deux eſpeces, l' une eſt tout a fait liſſe, & c' eſt la plus frequente, l' autre a ces feuilles cotoneuſes & blanchaſtres, mais elle eſt plus rare ; on peut y ajoûter, une troiſieme eſpece, que j' ay ſouvent remarquée dans l' Isle St. Dominique, dont les feuilles ſont attachées immediatement a leurs pedicules par le bord. Les unes & les autres pouſſent des branches fort menuës du meme endroit d' ou ſortent les feuilles : elles ont environ demie pied de long, & ſont couvertes des feuilles beaucoup plus petites, que les premiers, qui s' entrecouvrent ſouvent les uns, les autres & compoſent comme la Cheûte d' un feſton. Du fond de chacune des ſes feuilles, il en ſorte une petite grape de fleurs blanches, fort menuës, & compoſée de quatres petites feuilles pointuës ; apres qu' elles ſont paſsées, il y vients des bayes rouges comme du Corail, & groſſe comme la ſemence de l' orobe ; on le prendroi pour des bayes de nos Cheurefeuilles, car elles en ont la groſſeur, la couleur, & la conſiſtence, & elles pendent en bas en façon des petites grapes. On appelle cette plante dans nos Antilles, & particulierement dans la Martinique Liane de ſerpent, a cauſe de la grande vertu, qu'elle a pour guerir les morſures des ſerpents, & parceque le contour de ſes feuilles repreſentent le plan de la teſte de ces animaux. C' eſt la Caapeba des Braſiliens l' Erva di noſtra Senora, herbe de nôtre Dame, Cipo de Cobras de Portugais de Marggrave livr. 1. chap. 18. Quæ Latine ferme

„ ſic efferri poſſent: Planta hæc omnes pene ſepes ſarmentis ſuis tenuibus, flexilibus, rotundis, conjunctis tegit quaſi & occultat ; quæ ſarmenta per alternas vices ad nodos ſibi invicem ſatis contiguos folium, raro duo protrudunt, hæc folia rotunda ferme, ſæpius ad figuram cordis retuſi

„ acce-

accedunt; pediculis proxime non per foliorum extremita- „
tes, ſed paululum infra dorſum connectuntur. Magnitu- „
do foliorum non ſibi ſemper reſpondet, cum palmæ ma- „
nus magnitudinem ſæpe attingant, longe minora alia. Ner- „
vulos paululum elevatos habent, qui ex pediculi implica- „
tione prodeuntes, hinc inde per folium ſeſe extendunt, ita „
ut ratione figuræ & conſiſtentiæ plurimum ad Ariſtolo- „
chiæ rotundæ folia accedant. „

Binæ repertu dantur ſpecies, una plane glabra, quæ „
frequentior occurrit, altera foliis lanuginoſis & albicantibus „
gaudet, quæ rarior; hiſce duabus quoque tertia conjun- „
genda, quam ſæpius in Inſula St. Dominici reperi, cujus „
folia per extremitatem & foliorum oram proxime pediculis „
connexa. Vtraque ramuſculos, ex eodem, quo folia pro- „
germinant loco, emittit; dimidii pedis longitudine, mino- „
ribus foliis, quam priora coopertos, quæ foliola ſe mutuo „
contegunt & pendentem encarpum oculis exhibent: ad „
extremitates horum foliorum parvulæ quaſi uvæ ex floſcu- „
lis albicantibus, tetrapetalis, acutis, conſtantes prodeunt; „
his deciduis baccæ rubræ corallium æmulantes, magnitu- „
dine ſeminis orobi ſuccedunt; pro caprifolii noſtri baccis „
quis ſumeret, cum craſſitie, colore, & conſiſtentia vix diſ- „
crepent, & parvarum uvarum inſtar propendeant. „

Inſulis noſtris Antillarum, præcipue incolis Inſulæ Mar- „
tinique Liane de ſerpent audit, ob eximias, quas in mor- „
ſibus ſerpentum ſuppeditat vires, & quod ambitus folio- „
rum ſerpentino haud diſſimilis ſit capiti. Hæc planta Caa- „
peba eſt Braſilienſium, Erva de noſtra Senora, herba divæ „
Virginis, Cipo de Cobras Luſitanorum Marggravii Libr. I. c. 13. „

In Tractatu *de novis Plantarum Americanarum generibus* p. 33. ulterius *Rev. P. Plumier* progreditur, & diſtincte characterem generis ex florum & fructuum conſtitutione ſequenti deſcriptione & ſchemate exhibet:

Caapeba

Caapeba (ſcribit) *eſt Plantæ genus flore roſaceo, quatuor ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ſed ſterili, e cujus medio ſurgit piſtillum C. planum, orbiculare & umbilicatum. Embryones autem D. in eadem planta a floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in baccam E. mollem, ſphæricam, & ſemine fœtam F. rugoſo D.*

Caapebæ ſpecies ſunt (1.) *Caapeba folio orbiculari, & umbilicato lævi.* (2.) *Caapeba folio orbiculari, umbilicato tomentoſo.* (3.) *Caapeba folio orbiculari non umbilicato.* Hactenus Plumerius. Hæc ſi probe cum Marggraviana & Piſoniana Caapebæ deſcriptione conciliare aliquis poſſet, certe μέγα νεῖκος (ut cum Aſcraeo vate in Theogon. dicam) ἐπισταμένως καταπαύσει, magnam litem ſcienter ſedabit.

Excellentiſſimus quoque Plukenetius, quem Indicas naturæ gazas plenis calathis inferentem, univerſa ſtupet Europa, in Almageſt. Botanic. p. 114. quærit: *An convolvulus Americanus ſub Jalapiæ nomine receptus, non ſit convolvulus Colubrinus Piſonis Caapeba? ſive convolvulus Braſilianus flore octopetalo monococcos Raji? Figuram*, quam in Phytognom. Tab. 25. Fig. 1. exhibet, B. L. oculis hic ſubjicio, una *cum convolvulo monococco Virginiano D. Baniſteri*, quem haud diſſimilem credit, ex Phytognom. Plukenet. Tab. 166. Fig. 4.

Quod ſi viri hoc in ſtudio conſummatiſſimi, & penes quos Dictatorum auctoritas, hic ſuſpendant judicium, neque certi quid circa has plantas determinare audeant, extremæ eſſet temeritatis, ſi ego judicem hac in re abſtruſiſſima agere vellem, ubi mera ἀκαταστασία regnat:

- - - Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi
Conſimili in curſu poſſint, ac fortis equi vis.

Plumerianam Caapebæ deſcriptionem examini ſubjiciens Amicorum certiſſimus *Dn. D. Volkamer*, Botanici ſtudii ſi quis alius ſcientiſſimus, Ariadneum ex hoc labyrintho filum præbuit,


CONVOLVULUS AMERICANUS SUB IALAPIÆ NOMINE RECEP




ONOLVULUS MONOCOCCOS VIRGINIANUS.

buit, *eam Bryoniæ & Smilaci aſperæ affinem* pronuntians. Vtraque enim herba ſcandens baccifera, ſemine incerti numeri, pericarpio carnoſo rotundo, ſeu baccæ incluſo, flores in Bryonia perfecti, monopetali quadrifariam vel quinquefariam diviſi, in Smilace autem aſpera hexapetali in racemulos congeſti; radice in Smilace ſarmentoſa. Hæc omnia ſi cum delineatione Plumeriana conferantur, manifeſta ſunt, omniumque oculis expoſita patent; latet autem illud, quod in Piſoniana & Marggraviana Caapebæ deſcriptione deſideratur, ut certæ quoque claſſi poſſit inferri, & cum Plumeriana conciliari.

Ego, quod hic amplius addam, nil habeo, niſi illud Rev. P. Nierenbergii Hiſtor. natur. p. 16.: Nunquam ita patuit natura, ut hodie, tantum dimidius vultus antiquis eſt viſus, & velut ex obliquo reſpectus, nunc ex integro & ex directo oſtenditur. Cum novo orbe nova ſpectacula exhibuit, & ſe aut alteram aut diverſam. *Nemo tamen integram hactenus contemplatus eſt.* Hinc omnes Senecæ ſubſcribimus: Multum adhuc operis reſtat, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adjiciendi.

Reſtat, ut de *Inventore radicis* hujus paucula annectamus. Equidem quis Europæ noſtræ notitiam ejus primus dederit, ἴττω ζεὺς, norit Jupiter. Nullus dubito, quin Luſitani, Braſiliæ domini, hanc radicem una cum aliis naturæ cimeliis primitus in patriam aſportarint, id quod Pometus tamen Mexicanæ regioni vindicat. Galliam hac Braſiliæ alumna ditavit, a Luſitanica Legatione redux Illuſtriſſimus Amelotius, Chriſtianiſſimi ad Luſitaniæ Regem Orator: diſcimus hoc ex Dn. Pometo, qui & hoc addit, quis ægris in Gallia primus hanc radicem exhibuerit: *Ce premier, qui a apporté cette racine à Paris, a eſté Mr. Amelot, Ambaſſadeur de Portugal, & apres luy Mr. Tournefort, qui m'a donné un morçeau; depuis que Mr. Amelot en a apporté a Paris, Mr. Thevard Medecin de la Faculte & quelques autres, l'ont miſe en uſage, comme un remede ſpecifique pour la gueriſon de*

F la

la Pierre ; les Portugais ont eſte les premiers, qui l' ont apporté de Mexique, h. e. Primus, qui Lutetiam Pariſiorum attulit, Dn. Amelotius erat, Legatus ad Regem Luſitaniæ, poſt illum Dn. Tournefortius, qui fruſtum radicis mihi dono dedit. Ab eo temporis tractu, quo radicem hanc Lutetiam detulit Dn. Amelotius, Dn. Thevardius, Facultatis Pariſinæ Medicus, aliique in uſum pharmaceuticum produxerunt inſtar remedii ad calculum profligandum ſpecifici. Luſitani primi erant, qui ex Mexicano ſolo attulerunt. Inventionis gloriam cum Illuſtriſſimo Amelotio communem habere aſſerit Excell. Gothofredus l. c. Dn. Roillard, Amelotii in Legatione Luſitanica ſucceſſorem, qui primitus Galliæ radicem hanc intulerunt, majore digni laude Nicotio, qui Tabaco pariter e Luſitania allato Galliam ditavit, hancque plantam ab ejus nomine nobilitavit. Cl. Helvetius, Aurelianenſis Ducis Medicus, edito libello Gallice inſcripto: Traité de maladies, les plus frequentes, & des Remedes ſpecifiques pour les querir, Parreiræ noſtræ aliquoties cum laude meminit. Hinc factum eſt, ut ob hujus radicis & lapidis porcini (piedra del porco) datam notitiam Cl. Eugenius Eybenius, in Belgicam transtulerit, Helvetiique Parenti, Excell. D. D. Joh. Frider. Helvetio, ſcriptis Chemicis & Philoſophicis literato orbi notiſſimo, hanc filii lucubrationem inſcripſerit. Laudatus hic Helvetius radicem Parreiram bravam a Dn. Pille obtinuit: teſtes produco ſeqq. lineolas: *Ce remede m'a eſte donné par Mr. de Pille, connu dans toute l' Europe pour un homme tres-curieux & tres ſçavant. Il en a la decouvert, pendant qu'il eſtoit a la ſuite de Mr. Amelot Conſeiller d' Eſtat, Ambaſſadeur de France en Portugal.* Hoc remedii genus mihi dono oblatum a Dn. de Pille, qui curioſiſſimi & doctiſſimi Viri nomen apud Europæos promeruit. Detexit & didicit ejus uſum, cum Dn. Amelotium, Conſiliarium Status, & Gallicum ad Luſitaniæ Regem Oratorem ſequeretur.

PAR-

PARREIRAE EXAMEN ET VIRES.

PRiusquam, quomodo & qua doſi radix Parreira brava exhibenda, & ad quæ mala averruncanda & depellenda apta ſit, inquiramus, neceſſitas exigit, ut quæ illius ſint elementa, quæ principiorum textura, quæ particularum mixtio, quis agendi modus, accuratius indagemus. Et quidem, quæ primo in ſenſus incurrunt, mox quæ Chimia ſuppeditat, quæ denique ratio miniſtrat, exhibenda. Si armato inſpiciatur oculo, ea ſe offerunt, quæ caput præcedens exhibet.

Ad *Saporem* quod attinet radicis noſtræ, ex generalibus jam conſtat, quod corpuſcula ſapida guſtus & ſaporis ſenſum producant, variis figurarum, ex quibus conſtant, particulis, quæ ſaliva ſolutæ, linguæ papillas nerveas pro varietate variæ figuræ pungant; maxime vero ſalinæ ſaporum videntur eſſe cauſæ. Ex diverſitate nunc & modificatione figurarum ſalinarum diverſarum, ſaporum quoque diverſitas. Salia omnia videntur angulоſis conſtare particulis, cum tamen anguli ſint minus ac magis acuti, & prout plures anguli ſimul aut pauciores occurrunt, ita ſaporum quoque differentiæ reſultant. Polygona enim corpora multitudine angulorum, minus ac magis obtuſorum, conjunctione infinita fieri poſſunt, ceu egregie Cl. Clericus philoſophatur. In radice noſtra plane ſingularem figurarum ſtructuram eſſe, dulcamarus ſive γλυκύπικρος ſapor prodit, inter mixtos & compoſitos recenſendus, qui hoc ipſo vix determinari poteſt; licet enim particulæ ſalinæ ſulphureis oleoſisque immixtæ, meridiana clarius luce ſe ſiſtant, inque ſenſus incurrant, qualis tamen præciſe ex iſta mixtione oriatur figurarum diſpoſitio, qui dixerit, magnus mihi erit Apollo. Agonizantis in Galliis Carteſianæ Philoſophiæ reſtaurator, Pierre Sylvain Regis, Libr. VIII. Phyſ. c. 4. facem miniſtrare vult & lucem,

ſed

ſed debilem nimis, cum idea, quam de corporibus amaris dulcibusque concipit, rem hanc non ſolvat, nedum abſolvat. Ἐμοὶ ἐπιανδάνει οὕτως, mihi ſic placet: Particulas ſalinas, ſulphure volatili delinitas eſſe, oleoſisque mollibus quaſi inviſcatas, involutasque, ut papillas nerveas & fibrillas tangant quidem, non tamen angant. Quod ſi plauſibilem modum hunc non exiſtimes B. L. cedo mihi vel ſimiliorem, vel commodiorem, & viridi tibi caput lauro redimam. Gaudet certe hac facultate Parreira quam Cous noſter deſiderat Lib. II. de Diæt. c. 31. t. 16. τῶν πικρῶν καὶ δριμέων γλύκεσι διακρινῶντα. *Vim amarorum & acrium, dulcium mixtura corrigere oportet.* Vt ita radix Parreira potius amariuſcula ſit, πικρότης, (quod vocabulum de vino veteri quoque uſurpatur) non amara, ob admixtam dulcedinem. Quadrat in noſtram radicem illud Claudiani de Nupt. Honor.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter; & infuſis corrumpit mella venenis.

Saporem γλυκύπικρον radici Ginſem ſive Ninzin quoque adjudicat nobiliſſ. Breynius in Diſſert. de ead. radice Lugd. Batav. impreſſa, §. 4. dum ſcribit: *Sapore prædita eſt dulci ad Glycyrrhizam vergente, quanquam longe ſuaviori, cum amaritie levi & occulta ſive leviori vi aromatica linguam blande excalefaciente conjuncto.*

Sic Planta Mexicana diuretica Tlallantlacuam cuitlapilli ſive cauda parvi Tlacuazin ſaporem Parreiræ æmulatur, ejusdem quoque in pellenda urina & calculis efficaciæ, de qua hæc Nardus Antonius Recchus in Rer. Medicar. nov. Hiſpan. Hiſt. Libr. VII. cap. 34. habet: *Radix odore inſigni caret, ſed initio dulcedinem quandam præfert Glycyrrhizæ ſimilem, poſtea vero amaritudinis nonnullum ſenſum præbet.* Porro Herba Cozticpatlis ſive Thalictrum Mexicanum, cujus radicis decoctum epotum urinam provocat & renum calorem ac dolorem mitigat, radice gaudet dulci & amaritudinis cujuspiam participe, eod. Nardo teſte Libr. VII. c. 28. p. 235. & hinc credit plantas, quæ ſaporem habent

γλυκύ-

γλυκύπικρον, utiliſſimas exiſtere ad expurgandos meatus urinarios, renumque calculos.

Parreiræ igitur noſtræ ſapor non ex illis amaris, de quibus Plutarchus Libr. I. Sympoſ. quæſt. 6. pronuntiat: Τῇ γεύσει πάντων ἐστὶ τῶν χυλῶν ὁ πικρὸς ἀηδέστατος. *Guſtatu omnium ſaporum injucundiſſimus eſt amarus.* Quamvis & hæc Plutarchi regula inſignem patiatur exceptionem; cui enim ignotum in communi uſu & jejunorum delitiis eſſe vinum, quod abſynthites nominant, quodque conficiunt immaceratione abſynthii, cardui benedicti, centaurii minoris, ſimilium in amaricando potentium. Tantum enim abeſt, ut hoc amariſſimum potionis genus abhorreant, ut potius cum lena illa vinoſiſſima apud Poëtam exclament:

- - - Salve, anime mi,
Liberi lepos, ut veteris vetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinamomum, tu roſa,
Tu crocum & caſia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepultam.
Sed cum adhuc naſo odos obſecutus es meo,
Da viciſſim meo gutturi gaudium.

Certe Friſii in hoc potu usque adeo luxuriantur, ut teſte Clariſſ. Lindenio, in uno diverſorio Leovardiæ, provinciæ metropoli, aliquot ſupra quinquagenos cados fuerint conſumpti uno anno: vocat autem cados, quos vulgus oxhoofden; æſtimatur quisque amphoris octoginta. Et quis in abſynthio γλυκύπικρον quærat? Teſtem producimus Cl. Carol. Avantium in elegantiſſimis in Fieræ Cœnam notis p. 137. ſeq. *Quamvis abſynthium*, ſcribit, *vermes ſtrenue interficiat, & veſtimenta a tinearum noxis vindicet; & ipſum tamen aliquando verminare obſervavi, quod non aliunde, quam ex medulla, quæ dulcis percipitur, provenire exiſtimandum eſt.*

Succedit guſtui radicis noſtræ Parreiræ bravæ odor. Qualis in recenti vigeat, haud equidem conſtat; in illis, quas India nobis mittit, nullus. Si Pergameni effato fides adhibenda foret, amara plane deſtituerentur odore; ſed huic Galeni aſſerto opii teter odor, abſynthii & aloës effluvia & caput & nares ferientia, reclamant & contradicunt. Vt myrrham ſilentio tranſeam, quæ ob odoris fragrantiam aromatibus adſcribitur. Vid. Plinium, Dionyſ. Perieg. aliosque, quos citat ævi ſui Phœnix, Belgarum decus, in Select. Med. Diſſ. p. 308. 309. ſeqq. Quod ſi blando calori admoveatur radix, exhalat odorem, non mephitim quidem empyrevmaticam, ſed naribus blandientem, liquiritiæ quoque æmulam.

Hæc ſenſibus externis obvia. Ad alia nunc progrediendum, & quæ *ars illa, corporum naturalium partes, ignis plerumque auxilio vel ſegregatas conjungens, vel conjunctas ſegregans*, (*ceu Chemiam definit* ingenioſiſſimus Anglus, Joh. Freind in Prælect. Chem. p. m. 8.) ſuppeditat, exhibenda. Optandum equidem, ut hæc per ignem analyſis vera foret & genuina corporum in ſimpliciſſima, & principia primo-prima (ſic in ſcholis loquuntur) reſolutio; aſt potius vulcanio hoc adminiculo, accedente rapidiſſimo particularum motu, rerum formæ plane deſtruuntur, textura immutatur, partim ſitus & ſtructura disgregatur, novumque quid emergit, plane a priſtino abludens. Accedit inſuper hoc, quod ad chymica illa principia reduci haud queant omnia phænomena, cum ipſiſſima illa principia nimium quantum inter ſe diſcrepent & pugnent, quippe utcunque inter acidum & Alcali ferveat mortale odium, aliquando tamen alterutrum, ſuo etiam generi non minus iraſcitur. Acida enim cum acidis & alcalica cum alcalinis bellum inteſtinum gerunt; quodque cum uno corpore comparatum Alcali audit, mox ſi ad alterum conferatur, acidi titulo inſignitur. Ita fruſtra quærimus limites, quibus utralibet ſpecies contineri debeat, ut cum ſuperius citato Cl. Freindio loquamur.

Exem-

Exemplis res evaderet clarior, niſi extra choreas nimium ſaltare videremur.

Quæ cum ita ſint, nemo a nobis hoc exiget aut poſtulabit, ut in ſpiritu aliquo aut ſale volatili e radice noſtra per ignem extorquendis operam ſimul & multos ſumptus temere perdamus. Fecit tamen ſolertiſſimus Pharmacopœorum noſtrorum Dn. Dietericus ſucceſſu ſequenti. Raſuræ radicis Parreiræ bravæ unciam ſemis igni commiſit per retortam deſtillando ; obtinuit ſpiritus aciduli empyrevma redolentis, ligni Quajaci & corticis Chinæ Chinæ æmuli ſcrupulos quinque ; olei empyrevmatici fœtidi, oleo Tartari non abſimilis ℥j. capitis mortui nigerrimi reſidui, inſtar Eboris uſti, ſcrupulos quatuor.

Fluunt ex hac radicis vulcania analyſi ſequentia notatu digna: 1. Spiritum acidiuſculum, plane novum ignis productum eſſe, ſuccedens amaritiei & dulcedini ſive mixto ſapori γλυκυπίκρῳ, indubium præbens indicium, naturam ſaporum in certa textura ac particularum mixtura poſitam eſſe, quæ per diſſociationem ab igneis particulis factam, immutatur, & a priore abludens, aliam ideam ſaporis imprimit. Spiritus enim Parreiræ bravæ, conchis præparatis affuſus, haud levem efferveſcentiam & motum particularum internum produxit, ſulphure inde exhalante naresque feriente ; cum tamen in pulvere & infuſo exhibita radix ſenſilem aciditatem vix præ ſe ferat. Poſito tamen, non noviter productas per ignem eſſe has acidiuſculas particulas, & radici occulte inexiſtere, innuunt hæ certe temperiem hujus radicis, ejusque in calculo debellando efficaciam, cum ſecundum Excell. D. Stahlium homines calculo obnoxii ſint perpetuo habitus corporis ſanguinei prædominantis.

2. Spiritus colore ſuo obſcure rubicundo prodit reſinoſarum particularum præpollentiam, quæ vitro quoque ſeſe agglutinantes, clare præſentiam latitantis reſinæ indicant, quod inſuper eſſentiæ Parreiræ bravæ variis menſtruis extractæ, coloris intenſe rubentis confirmant.

3. Olei

3. Olei fœtidi copioſa quantitas & Salis Volatilis & reſinæ quoque index; quod ſi cum Sale fixo digeratur loco calido & ſ. a. in phiola deſtilletur, obtinebis Sal Volatile, quod quæſiveris; quippe olea deſtillata nihil aliud ſunt, quam Salia volatilia concentrata ope cujusdam acidi, ſecundum Chemicorum regulas.

4. Oleum fœtidum inviſum licet naribus & ob exhalantem empyrevmaticam mephitim exoſum, ex retorta prodiens craſſeſcebat: firmiter collo, per quod prodibat, adhærens, enchiriſi quadam leviuſcula, depoſito fœtore empyrevmatico in Balſamum vel reſinam redigitur, egregie omni reſiſtentem putredini, acrimoniamque ſalſam involventem.

5. Ex capite mortuo nigerrimo poroſiſſimo, in quo radii lucis penitus ſuffocantur, haud difficile erit ſal quoque fixum elicere. Hoc tamen probe notandum, neque Salia, neque ol. fœtidum, neque ſpiritum, neque extractum, vires tantas exſerere; quantas radix porrigit, digito quaſi monſtrante viam, radicem Parreiram agere tota ſubſtantia, uti in Scholis Galenicorum loqui amant, de quibus mox fuſius.

Licet enim non affirmare auſim cum veteribus, dari remedia, certæ cuidam parti vel viſceribus tantummodo dicata, cum id circulationi ſanguinis repugnet, non tamen hoc negandum putarim, extare medicamenta, quæ huic vel illi parti corporis magis vel minus amica ſint, cum hoc dependeat a varia & diverſa partium ſolidarum ſtructura, tam quoad poros intro foras & foras intro ſpectantes, quam quoad ſtamina & fibrillas, ex quibus conſtant & contextæ ſunt, itemque quoad fluida in illis circulantia & fluentia; & hinc quoque medicamenta diverſos edere in partibus diverſis effectus, quis ambiget? Hanc vim ſpecificam veteres temperiem dixere, recentiores craſin, texturam, a varia particularum modificatione dependentem, ſive a figurarum varietate. Nemo hoc hodie ferme negat, nec Antiquitas negavit. Sic enim ſentit Hippocrates,

A quo,

A quo, ceu fonte perenni,
cuncta Machaonius arva rigantur aquis.

Δεῖν δέ μοι δοκέει καὶ ταῦτ' εἰδέναι, ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ἀπὸ δυναμίων ἔρχεται, καὶ ὅσα ἀπὸ σχημάτων. Λέγω δὴ τι τοῦτο, δύναμιν μὲν εἶναι, τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητάς τε καὶ ἰσχῦς. Σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἔνεστιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. *Oportere autem mihi videtur & hoc noviſſe, qui affectus hominis a facultatibus veniant, & qui a figuris. Quod dico, hoc eſt: Facultatem ſcilicet eſſe, humorum ſummas vires Figuras vero intelligo, quæ inſunt in homine* Libr. de vet. Med. XXXIX. 146. Exemplis deinde aliquot dilucidata hac propoſitione, tandem concludit t. XL. 157. f. ταῦτα δὲ πάσχει διὰ τὴν φύσιν τοῦ σχήματος. *Hæc vero patitur ob naturam figuræ.*

Naturæ ſolertiſſimus Myſtes Plinius Libr. XXII. c. 24. ſequentibus eandem rem exprimit verbis: *Eſt & ratio ſubtilitatis immenſæ a Platone deſcendens: corpuſculis rerum lævibus, ſcabris, angulosis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus; ideo non eadem omnibus amara aut dulcia eſſe.* Videmus ſic, quam blande veteres conſpirent cum recentioribus. Hoc vero opus, hic labor erit, particularem inter ſe coordinatarum minimarum diſpoſitionem & nexum velle eruere, eorumque numerum, proportionemque inter ſe determinare ad amuſſim, quæ ob exilitatem ſuam, noſtrorum effugiunt qualemcunque ſenſuum aciem, hoc, inquam, artis opus, in quo tantum votis locus, labor omnis hucusque irritus, perſcrutatio manca, mutilaque. Ad internum igitur principium, formam, vel ideam formalem, vel formam idealem, recurrere ſi quis velit, libet, licet. Ου κρινοῦμαι τῶν δὲ σοι τὰ πλείονα, ut cum Euripide loquar in Medea: Simus contenti, quid ſenſiles facultates hac de ſpecifica virtute & efficacia radicis noſtræ nobis manifeſtant, & per chemicam analyſin illuſtrant. Quicquid igitur in omnibus renum & veſicæ affectibus auxilii porrigit, quicquid in hydrope præſtat, quicquid virium aliis in morbis leniendis miniſtrat, ceu optimum diureticum; hoc peragit *partim particulis ſuis*

ſalinis tam volatilibus quam fixis; quibus (1.) glandulas & ſiphunculos renales fiſtuloſosque tubulos, per quos tanquam minutiſſima filtra & ſpongiolas urina ſecerni debet, materia tenaci viſcoſaque infarctas & anguſtatas incidendi vi aperiunt, abſtergunt, urinæque ſeparationem promovent. (2.) Fermentum renum fracidum, acrimonia volatili urinoſa deſtitutum & plane iners, diſponunt ad promovendam copioſiorem ſeparationem, quod in cachecticis diſpoſitionibus, imprimis vero illa hydropis ſpecie, quæ, teſte Nobiliſſ. Dn. ab Helmont, renum vitio contingit, in quibus urina fluit pauca, licet ægroti multum potent, fieri ſolet, hoc in affectu particulæ ſalinæ radicis noſtræ ad urinæ excretionem ſtimulant, & partes heterogeneas ſanguinis evehunt. (3.) Dum aquæductus illi, qui ad colligendum aquas, tota domo defluentes, & demittendum in veſicam, velut in ciſternam, deſtinati ſunt, (ureteres innuo,) vel ſinguli, vel ex una parte, materia tenaci viſcidaque quoque turgidi infarctique ſint, ut debito officio fungi haud queant, viſcidam materiam fundendo, aperiendoque & ad veſicam præcipitando, has vias iterum permeabiles reddunt. Quis non in miram hanc particularum ſalinarum radicis noſtræ vim diureticam ſequenti Epigrammate ludat, illamque loquentem quaſi introducat:

Sæpius obſtructis renum canalibus arctis,
Ad fontes refluunt flumina ſalſa ſuos.
Prodigium infelix! vicinis undique membris
Turbatur totis & trepidatur agris.
Quid vos ignavæ, (ſic increpo) ſiſtitis undæ?
Mecum ite, en vobis rumpere clauſtra paro.
Rumpo, patent; notusque ſuas vehit alveus undas,
Lætantur magno membra levata manu.

(4.) Spiritum porro dictum Gorgonium,

qui ſaxea reddit
Corpora, qui totis inducit marmora rebus,

in renibus ſtabulantem, arenulasque & ſabulum cum muco viſcido compingentem inque lapidem coagulantem & efformantem, ſalinæ quoque Parreiræ particulæ deſtruunt, & ulteriori calculorum geneſi obicem ponunt.

Vidimus efficaciam *ſalinarum*: nunc quid *ſulphureis*, *oleoſis*, *balſamicis*, *mollibus*, *dulcibus*, *reſinoſis*, *glutinoſis particulis* agat & præſtet, examini ſubjiciemus. His (1.) ſalia acria imprimis ſalſa involvit & deſtruit, præſente quippe calculo urina acrior evadit & ſalſior, hinc criſpationes, & dolorificos meatuum ſpaſmos, eorumque anguſtias inde productas abigit, ut ſoluta criſpatione ad debitam amplitudinem viæ antea arctatæ redeant, id quod veteres laxare & lubricare vias calculoque viam parare dixerunt; imprimis (2.) particulæ dulces mollesque & reſinoſæ, amaris immixtæ, aptæ natæ ſunt ad ſalſedinem urinæ temperandam; quid enim ſalivæ ſalſedinem magis corrigit, quam liquiritia, paſſulæ &c. Accedit, quod dulcia ſemper habeant quandam γλισχρότητα & viſcedinem ob intimiorem particularum ſulphurearum nexum & cohæſionem, quibus ſimul abſtergunt & lubricant, ac particulas ſalinas involvunt, inviſcant, doloresque demulcent, anodynique vices ſupplent; non abſimili modo ac Gummi Arabicum, quod ceu præſentaneum in calculi doloribus remedium Curioſiſſ. & Rever. P. Boccone commendat.

Vt taceam, vi quadam ſpecifica, quæ a nobis determinari nequit, hanc quoque Parreiram noſtram in comminuendo calculo efficaciam ſuam exerere, cum & menſtrua proſtent, omni corroſivo deſtituta ſapore, imo plane inſipida, quæ ſuccis corporis noſtri admixta, & circulationis lege renibus ingeſta promte in calculos renales irrumpere, eos aggredi, maſſamque coagmentatam, inque lapideam duritiem concretam diffringere & comminuere poſſint; haud aliter ac

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Vbi tamen non negandum, optatum certe medicamentorum horum lithontripticorum inſipidorum ſucceſſum, utplurimum a lapidis qualitate dependere; quod ſi tophaceum repererint, feliciorem certe effectum expectabis, quam in ſiliceo. Congeſſit hanc circa materiam plurima apud alios plane non reperiunda, & intacta, omnigenæ eruditionis abyſſus Cl. Salmaſius, ſeculi miraculum, in interpretat. Aphoriſm. Hippocrat. 79. ſect. 4. de Calculo. Inter remedia illa lithontriptica non corroſiva ac pene inſipida choream ducit pulvis Nephriticus Magnifici quondam Præſidis Academiæ noſtræ, νῦν ἐν ἁγίοις, Volkameri. Timæanum porro in calculo evporiſton, & ſuccus betulæ, quorum virtutem in comminuendo calculo, ſi quis negare velit, experientiam tot Excellentiſſimorum Practicorum habebit contradicentem. Meminiſſe quoque juvabit liquoris illius (cujus Generoſiſſ. Dn. Boyle Tract. de Specif. remed. cum corpuſcul. philoſoph. concord. prop. 1. mentionem injecit) adeo debilis, ut integrum etiam ejus poculum absque noxa ebibi poſſit, & nihilo ſecius in duriſſima corpora, ut lapides, imo metalla quoque, fortiori modo agat, quam ipſa menſtrua corroſiva. Eundem effectum expectes in calculo ex infuſo lapidis Hiſpanice dicti *Pedra quadrata*, a Nephritico lapide plane diverſi, effluviis haud ſenſibilibus impraegnati, cujus notitiam ſequenti optata occaſione obtinui.

Cum *Invictiſſimus Imperator, Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha, Dominus noſter Clementiſſimus, CAROLVS, ordine Cæſarum SEXTVS, rebus geſtis MAGNVS, Virtutibus Chriſtiano Principe digniſſimis MAXIMVS, quem DEVS ſervet, ſoſpitet, tueatur triumphisque cumulet,*

let, poſt Coronam Francofurti ipſius ſacrato Capiti impoſitam, factamque Imperii inaugurationem, Vrbem noſtram inter lætiſſimos applauſus & ardentiſſima vota tranſiret, ac inclytum Senatum civesque jurejurando in fidem reciperet, obtigit, ut Illius *Machaonem fidiſſimum* & in proſperis æque ac adverſis, per terræ marisque tractus individuum comitem adire, ejusque mihi favorem conciliare licuerit. Eſt is *Vir Excellentiſſimus Dn. D. FACKHIVS, Sacr. Cæſar. Majeſt. Conſiliarius & Perſonæ Sacr. Medicorum Princeps*, qui inter alia luculenta ſatis humanitatis & benevolentiæ erga me documenta retulit, ſibi in Hiſpania calculi doloribus excruciato, aliis nihil proficientibus, hoc ex remedio, *Pedra* nempe *quadrata*, paratum *Infuſum* profuiſſe, illud dolores ſedaſſe, calculumque eliminaſſe. In Ephemeridibus Venetis, *Galleria di Minerva inſcriptis*, Tom. V. part. X. p.m. 271. mentio etiam fit lapidis, cui Excell. Hector a Valle nomen *Pietra Quadra* impoſuit, vires ejus in partu difficili, fœtuque mortuo expellendo his verbis recenſens: *Diedi in acqua d' Artemiſia e Meliſſa la infuſione della detta Pietra Sfregolata, ad un Gentildonna, che ſoleva ſtentare ſino alle Agonie in partorire, e partori felicemente. Ad altre due la diedi in acqua di Gigli bianchi, e di dittamo Cretico con evento fortunato.* i.e. Exhibui in infuſo „ aquæ Artemiſiæ & Meliſſæ dictum lapidem comminutum „ (de petra quadra illi ſermo) fœminæ cuidam nobili, partus „ doloribus agonizanti, quæ feliciter in dias luminis auras fœ- „ tum protulit. Aliis duabus in aqua liliorum alborum & di- „ ctamni Cretici dedi, felici cum ſucceſſu. „ Sed plura de hoc lapide in peculiari diſſertatiuncula egimus. Vt alia omni corroſiva vi deſtituta Lithontriptica ſilentio prætercam.

Poſuimus his hactenus adductis, uti ſpero, fundamentum, quod vera ratio & experientia non refellet, cuique plurimi effectus radicis noſtræ laudatiſſimi, quos in Praxi promit & prodit, poſſunt inædificari: Hæc enim ſpecialiſſima vis

diuretica in noſtra latens radice tot ac tantis aliis palmam præripit. Nihil apud Practicos frequentius reperies, quam cautelas & querelas de diureticis in omnibus renum & veſicæ morbis ſæpius infauſte exhibitis; dum enim morbum tollere debent, potius ægrum tollunt, dolores inflammationesque ſæpius augent & inducunt. Nil horum incommodorum a temperatiſſima radicis noſtræ craſi metuendum. Conſentientem habemus Dn. Helvetium: *On a jusqu'icy emploié un grand nombre des remedes contre les Maladies des Reins & de la Veſſie; les diuretiques ſont ceux que l'on a le plus mis en uſage: mais l'experience a fait voir, que dans beaucoup d'occaſions ils ont eſté plus nuiſibles qu'utiles. Ils ont cauſé quelquefois des deſordres aſſez facheux, pour faire apprehender, de s'en ſervir en toutes rencontres, parce que chariant trop de Matieres à la fois, & precipitant trop abondamment les urines, il cauſoint des ſupreſſions entieres & des douleurs extrêmes & continuelles. Cependant on eſtoit ſouvent obligé de tenter ce ſecours malgré qu'on n'en eût, parce qu'on n'en connoiſſoit pas de meilleur: mais depuis peu d'années qu'on a decouvert l'uſage de la Racine de Parera brava, on n'eſt plus dans le même embarras. Ce remede n'eſt point ſujet a des pareils inconvenients, c'eſt un ſpecifique contre toutes les maladies des Reins, & de la Veſſie qui ſont curables. Il agit avec tant de douceur, qu'il n'y a point d'occaſion ou l'on ne puiſſe l'employer ſans en craindre de mauvaiſes ſuites; & on peut comparer ſes effets aux éffets ſpecifiques du Quinquina, de l'Hypecacuana, & de l'Alun. J'ai vu de malades, qui apres en avoir usé, ont rendu de pierres groſſes comme des olives & ſe ſont par la garantis de la Taille; cependant cet éfet n'eſt pas toujours certain, il reuſſit aux uns & ne* „ *reuſſit pas aux autres.* i.e. Varia hucusque ad debellandos „ renum & veſicæ morbos adhibita fuere remedia; ex qui„ bus diuretica in frequentiorem protracta uſum; ſed ex„ perientia rerum magiſtra docuit, in plurimis caſibus plus „ nocuiſſe illa, quam profuiſſe. Sæpius enim anſam præ„ buêre

buêre funeſtis ſymptomatibus, ut cautius mercari didicerint Practici, ſemper & ubique illa exhibere ægris, materiam quippe peccantem ſimul & ſemel eliminando, urinamque copioſius juſto præcipitando, omnigenam ſuppreſſionem, doloresque intenſiſſimos continuosque produxerunt. Interim defectu meliorum, his auxiliis uti coacti fuerunt, usque dum ab annis non multis, radicis Parreiræ bravæ introducto & patefacto uſu, huic obviam itum difficultati. Hoc enim remedium ſimilibus & recenſitis incommodis caret, ſpecificum quippe in omnibus renum & veſicæ morbis, qui curam admittunt, pharmacum. Tam blande, tam leniter virtutem & vires ſuas promit, ut nulla plane ſe offerat occaſio morbi, cui ſine ullo metu ac hæſitantia non exhiberi poſſit. Effectus, quos exerit laudatiſſimos, effectibus ſpecificis Chinæ Chinæ, Hypecacuanhæ & aluminis perquam ſimiles ſunt. Viſui ſeſe obtulerunt ægroti, qui poſt uſum hujus radicis, lapides magnitudine olivarum fructus æquantes, excreverunt, ab imminente ſectione calculi immunes ſic redditi. Non idem tamen ſemper effectus, cum huic individuo citius medeatur, quam alteri." Eandem ſententiam fovent duumviri Braſilienſis Hiſtoriæ, Piſo & Marggravius; ille Hiſtor. Braſil. de Facult. ſimplic. libr. IV. p. 95. *Renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medetur. Vſque adeo calculi expellit materiam, ut magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint.* Addit edit. ſecund. p. 312. *Radices imprimis illæ, quæ jam plane adoleverunt, humoribus ſeroſis movendis, & calculis frangendis dicatæ ſunt, quæ vero primo natæ frondes & ſarmenta, morſibus ſerpentum medentur.* Hic vero Hiſtor. Plantar. Braſil. libr. I. c. 13. *Radix contra calculum excellentiſſima, & eſt illa, quam Luſitanus dabat Dn. van der Duſſen, optimo ſucceſſu.*

PAR-

PARREIRAE VSVS, PRAEPARATA ET DOSIS.

PErluſtratis Parreiræ bravæ viribus, indigitatoque agendi modo ac explicata facultate, ſupereſt, ut qua medicamentorum forma, quo apparatu, qua doſi, commode exhibeatur, aliisque aggregetur medicamentis, nunc doceamus. Modum, quo in Braſilia Luſitaniaque ægris porrigunt, Dn. Helvetius, *dans la Traité des Maladies les plus frequentes, & des remedes ſpecifiques pour les guerir &c.* p. 96. ſiſtit ſequentibus verbis: *La maniere de s' en ſervir dans le Breſil & en Portugal, eſt de faire bouillir une once de cette racine batué & effilée, avec un gros de Sel Ammoniac dans une Pinte d' eau. Lors qu' elle a fait cinq ou ſix bouillons, on la retire du feu, & on la laiſſe infuſer juſqu' a ce qu' elle ſoit froide. On paſſe la liqueur, & le malade en boit enſuite un verre de quatre heures: on en peut donner auſſi en ſubſtance:* h. e. *Modus, quo hoc remedio in Braſilia Luſitaniaque utuntur, hic eſt. Radicis Parreiræ contuſæ unciam unam, cum Salis Armon. drachma in menſura aquæ decoquunt, cum aliquoties ebullierit, ab igne removent, & ulteriori extractioni, frigorique exponunt. Bibat de hoc filtrato liquore hauſtum, ſingulis quatuor horis repetendo. In ſubſtantia quoque exhibetur radix.* Subjungimus Helvetio Cl. Piſonem de Facult. ſimpl. Libr. IV. c. 54. p. 95. Edit. I. *Radix in taleolas ſecta, perque aliquot dies ſub dio in liquido convenienti macerata, vim ſuam illi communicat, nec ingrato adeo ſapore aut cereviſiam, aut vinum, quo diluitur, imbuit, quin potus ordinarii loco ægri illo utuntur, quod renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medeatur. Vsque adeo calculi expellit materiem, ut Magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint.*

Cum hodie omnibus fere θερμοποσία familiaris, plurimique in Thee illo Sinenſi & delicias & ſanitatem venentur, tædioſaque faſtidiant decocta, hanc radicem Parreiram, foliis Acmellæ

mellæ maritatam, vel ſpeciebus decocti Nephritici Foreſti a Zwölfero correctis immixtam, ſummo exhibui emolumento; nec facti fere pœnituit unquam, cum inexpugnabiles calculi dolores, evacuatis aliquot Thee hujus ſpecifici calicibus, domitos ſæpe viderim. Ratio in promtu; quippe particularum motum exagitans calor mediante aqua, devicta ejus cruditate, non tantum vires ſpecierum, quibus ſuperinfuſa mobiliores & ad extractionem aptiores arripit ſibique aſſociat, ſed etiam corporis humoribus immixtas, lege circulationis ad obſtructiones defert, calore blando eo facilius feliciusque reſerat, viſcidum reſolvit, acrimoniam temperat, & per vias debitas eliminat. Velim tamen in delectu *Acmellæ* vel *Chryſanthemi Bidentis, ſive Bidentis Zeilanici fl. luteo lamii folio*, (cujus figuram elegantiſſimamque deſcriptionem & vires Cl. Dn. *Breynius* in *diſſert. Botanico-Medica de Radice Gin-Sem & Acmella* exhibet) caute quis ſe gerat, cum & pretio & viribus nimium differant. Jungimus Acmellæ Ceylonenſi, Chilenſium Clinclin, ſive Polygalam cæruleam anguſtis & denſioribus foliis, quam polygala vulgaris C.B. quæ Planta potentiſſimi diuretici in infuſo vices ſupplere prædicatur a R. Patre Feuillee dans le Journal des obſervations phyſiques & Mathematiques p. 721. Idem Vir doctiſſimus nimius fere eſt in prædicanda vi lithontriptica Alkakengi amplo flore violaceo, cujus fructus aliquot in aqua communi contriti vel in vino albo contuſi exhibiti, incantamenti inſtar urinam calculumque pellere creduntur, l. c. p. 724. Differt tamen hic Chilenſis fructus toto cœlo ab Alkakengi Mexicano, quem deſcripſit Joh. Terentius Not. in Nard. Ant. Recchi Libr. VIII. c. L. p. 296.

Cum dolores calculi ſæpius adſtrictam alvum comitem habeant, decantatiſſimum illud *linum Catharcticum*, quod nunc curioſorum practicorum animos allicit, huic radici admixtum, & inſtar Thee ſpecifici, infuſi æmuli exhibitum, indicationibus ſatisfacit omnibus.

Quod *linum Catharcticum* concernit, ὡς ἐν παρόδῳ hoc addere libet, vocari illud ab Anglis *Millemountain*, teſte Meretto in Pinace, & videtur eſſe Chamælinum Cluſii, vel linum pumilum, ſive potius minimum Bauhini; & parvitate ſua floribus albis exiguis, vaſculis lini caniculatis, & vi catharctica abunde ab aliis linis diſtinguitur ſecundum Excell. Rajum in Synopſ. method. Stirp. Britann. p. 221. & Sam. Dale Supplem. Pharmacolog. p. 211. ſeqq. & Chabræum, qui ſub nomine lini minimi floſculis albis, ſive Alſines vernæ glabræ deſcribit: Stirp. Sciagraph. p. m. 480. Vid. Sibbaldus Prodr. Nat. Hiſt. Scot. p. 56.

Easdem pene vires ac linum catharcticum promit Herba Gvilno Chilenſium, innocuum plane laxans, omni conveniens ætati omnique ſexui, cujus infuſum nil quoque nauſeabundi habet, quam novam plantam deſcribit & delineari inſuper fecit ſub nomine Graminis Bromoidis catharctici jam laudatus Rev. P. Feuillee, l. c. p. 705. Forte hoc gramen eſt ſubtile & delicatum illud, cujus meminit Rev. P. Alonſo d' Ouaglie in relatione hiſtorica Regni Chili, quod in aqua pariter decoctum, & calide hauſtum ſtupendas vires exſerit, introrſumque educit. Vid. quæ de Muſco carthartico habet Excell. Borrichius in Act. Med. P. I. Obſerv. 66. p. 126.

Quod ſi ventriculus aquam ſimplicem abhorreat, cereviſiæ incoquatur, vel ſola Parreira, vel cum *ſemine Dauci*, quod remedii genus admodum ſalutare erit. Quod ſi cum *ſucco Betulæ* combinentur, & in cereviſia fermententur, medicamentum exurget inde, quo in calculo debellando vix melius ullum. Vid. de Cereviſia leptomera, ceu optimo calculi prophylactico, Illuſtr. *Charlton*, diatrib. de Lithiaſ. p. m. 176. Act. Hafn. P. I. Obſerv. 19. Vel coquatur parreira in vino cum gramine cruciato, ab Alpin. de Plant. Aegypt. c. 40. & Bontio Hiſt. natur. & Medic. Ind. orient. L. VI. c. 52. deſcripto, eleganti certe efficacique diuretico, cujus meminit Bontius ſequentibus:

Gra-

Gramen ego quamvis vociter viliſſima planta;
Sed tamen in morbis notus me prætulit uſus,
Qui renes dire vexantque dolore veſicam.

Vid. de hoc gramine pariter Nieuhofium en ſyne Gedankwaerdige Zee en Land-Reiſen in Fol. p. 250.

Exhibetur præterea radix Parreira *in ſubſtantia*, ut loqui amant ἰατρῶν παῖδες, in *pulvere ſubtiliſſimo*, de quo Dn. Helvetius l. c. *On en peut donner auſſi en ſubſtance. La doſe eſt d' un demie gros & quinze grains de ſel Ammoniac, qu' on reitere de quatres heures en quatres heures, jusqu' a ce qu' on ſoit ſoulagé.* h. e. Etiam in ſubſtantia ægris exhibetur ad drachmam ſemis „ cum quindecim Salis Ammoniaci granis, quod repetitis vi- „ cibus poſt 4. horarum ſpatium, usque dum æger levamen „ ſentit, fieri ſolet. „

Certe crebriori uſu edoctus, *Parreira brava* hoc cum *cortice Chinæ Chinæ*, *ligno Quajaco* aliisque plurimis vegetabilibus commune habet, ut in ſimplici *pulvere* vel in *Infuſo* & Thee ſpecifico exhibita felicius operetur, quam ſpiritus acidulus ac oleum empyreymaticum deſtillatione prodiens, Eſſentia cum ſpiritu appropriato alioque menſtruo apto parata, aut ſimilia ex cortice Chinæ Chinæ & Quajaco compoſita remedia, quod clare innuit, in textura ſpecifica medicamentoſam vim harum ſimplicium conſiſtere. Vid. Excell. Lipſienſium Aeſculapius ὁ πάνυ *Bohnius, in aurea diſſert. de Medicamentorum Chymicorum & Galenicorum præpollentia dubia.* §. LXIV. p. 56. *Dn. Pomet l' Hiſtoire generale des Drogues Livres* 2. Chap. XIV. p. *69. pulverem parreiræ* in vino exhibet, mane ventriculo vacuo. Loco Salis Armon. quod Dn. Helvetius pro ſtimulo addit, in nonnullis caſibus *Sal amarum catharcticum Ebshamenſe* ex voto ſubſtituitur, de quo prolixe egit *Clariſſ. Dn. Nehem. Grevv in peculiari de hoc Sale amaro catharctico Tract. Londin. 1685. impreſſo* & Dn. Helvetius in libr. ſæpius citat. Traité des Maladies p. 80. Si conjecturæ experimentisque locus, an non ex aquis lacus Cei-

 cenſis

cenſis in Moravia tanto infectis amarore, quantus in gentiana & felle animalium vix reperitur, ſal hoc æmulum ſalis Angliæ Ebshamenſis parari poſſit, curioſis regionis iſtius indagandum relinquo. Adeo enim nitro ſcatet, ut ex ℔vj. hujus aquæ aliquot Nitri uncias extraxerit *diligentiſſimus Jordanus in deſcript. Aqu. medicat. Moraviæ.* Meminit & hujus aquæ ſumme amaricantis *Excell. Hertodt in Tartaromaſtig. Morav.* Quod ſi *Tartarum nitratum* Parreiræ noſtræ admiſcueris, vix ulli pharmaco antinephritico palmam cedet. *Millepedes* quoque Parreiræ ſocientur felici ſucceſſu, quippe urinæ ſuppreſſiones aliquoties incantamenti inſtar hoc remedio ſuſtuli; ſed porrigendum in optato illo momento, quo natura ſe ſolvere geſtit, qua obluctante & renitente κενεὰ πάντα.

Optime eidem radici durantibus ſpaſmodicis illis tenſionibus dolorificis cinnabarina junguntur, ceu tutiſſima anodyna; ab *opiatis* enim cavendum in leniendis doloribus nephriticis & arthriticis, cum ſæpius his in caſibus narcotica vis opii in necroticam degeneret; quod Excell. Stahlius, judicioſiſſimus cautelarum practicarum promus condus, annotavit, intra exiguum temporis ſpatium ſex hoc malo laborantes ab opiatorum uſu paucis horis aut diebus periiſſe. *Certe opiata ſic exhibentes faciunt ægrotanti, quod eunuchi Artaxerxis faciebant Hamani. Cujus quidem faciem tegebant tanquam ſubtracturi oculis & iræ Regis; interim & Regem verbis inflammabant, & Hamanem mentione patibuli, Mardochæo erecti, in ſublime perniciter agebant.* Eſter. 7. v. 8. 9. 10. ceu feſtive ſcribit Leydenſis gloria Pindi.

Spiritus ex radice Parreira deſtillatus aliquoties exhibitus ſudorem potius movit, quam urinam; ſed mirari deſii, cogitans, quod diaphoretica modaliter a diureticis differant; quippe a diaphoreticis M. S. movetur vehementius, & a centro ad peripheriam corporis largiori in quantitate pellitur; a diureticis vero non æque, quæ potius blande movendo ſanguinem,

guinem, ad interiores partes, & conſequenter etiam ad renes propellunt. Hinc diaphoreticis ſæpius exhibitis & ſero jam imminuto, diuretica non conveniunt.

De Sale volatili & fixo jam in examine Chymico dictum, quod ſi illud Sal volatile anxie quoque deſideres, obtinebis vel *methodo Excellentiſſimi Wedelii*, communis Germaniæ in ſtadio medico Præceptoris, vel *Helmontiana*, per longam olei fœtidi cum ſale fixo in blandiſſimo calore circulationem & ſubſequentem ſublimationem. Ego vero radicem ipſam huic per ignis violentiam extorto remedio, longe prætulerim: habebis hoc tamen modo, ſi exoptes.

Dn. Helvetius ex hac radice Balſamum conficit, ut eo melius in expeditionibus bellicis & ſuſcipiendis itineribus ſecum vehi poſſit. En! Balſamum ipſiſſimis Auctoris verbis libr. cit. pag. 99. *Prenez de l' Huile de Scorpion composée, ſuivant Mathiole, une livre: la Baume de Copayvé cinq Onces: du Baume de Soulphre Therebentiné quatres onces: du Stirax liquides deux onces: de la Cire jaune ſix onces: de la Racine de Parrera brava en poudre ſubtile une demie livre: du ſel Ammoniac deux onces: d' excellent vin d'Eſpagne deux livres. Faites bouillir le tout a petit feu, en le remuant toujours avec une ſpatule de bois jusqu' a l' evaporation entiere du vin; enſuite ôtez le tout du feu, & paſſez le Baume chaud â travers une etamine avec une forte expreſſion; & quand il ſera a demi refroidi, vous y ajouterez trois onces du baume de Perou noir, que vous mélerez bien avec la ſpatule. Lorsque tout ſera froid, vous le mettrez dans un pot de Fayance bien bouché. La doſe eſt d' un demi gros, & on peut retrancher la cire, ſi l' on veut. Balſamum Parreiræ Helvetii:* ℞. Ol. Scorpion. compoſ. Matthiol. ℔j. Balſ. Copayb. ℥v. Sulph. Thereb. ℥iv. Styrac. liq. ℥ij. Cer. flav. ℥vj. Rad. Parrer. brav. ſubtiliſſ. pulveris. ℔ß. Sal. Ammoniac. ℥ij. Vin. Hiſpan. optim. ℔ij. lento igne omnia coquito, lignea ſpatula ſemper agitando, ad totalem Vini Hiſpanici evaporationem usque. Hoc facto ab igne removeto,

 per

per textum cilicinum expreſſione forti facta Balſamum trajicito ; cum aliquantulum deferbuerit, addito Balſ. Peruv. nigr. ℥iij. ſpatula lignea probe miſcendo & agitando. Cum omnia frigore condenſata, vaſi fictili Faventino, probe obturato, immittito. Doſis hujus Balſami drachmæ ſemis pondus erit. Cera, ſi placuerit, omitti poteſt.

Vires hujus Balſami ferme hyperbolicæ ; in hydrope naſcente illud quoque commendat Helvetius ob diureticam vim, præmiſſis tamen univerſalibus ; quo facto doſis Balſami exhibetur, & ſingulis 4. horis repetitur, involuta cruſtulæ ſaccharatæ, ut deglutiatur promtius. Aſſumpto hoc pharmaco, hauſtus vini albi, vel ptiſanæ aperientis ſtatim exhibendus. Quatuor diebus remedii hujus uſus continuandus, quinto æger pulvere febrili purgandus; die poſt aſſumtum purgans, & quatuor diebus ſequentibus Balſamum iterum exhibetur. Quodſi durante & continuato Balſami hujus uſu nil æger levaminis ſentiat, nec urina profluat largior, ab ulteriori uſu abſtinendum, indeque concludendum, malum vel difficulter vel plane non tolli poſſe. Hæc de Balſamo ſuo Helvetius ; qui inſuper addit, hoc pharmacum eandem in averruncandis calculi malis exſerere vim ſpecificam, ac China Chinæ in febribus, Ipecacuanha in dyſenteria, & Alumen in Hæmoptyſi.

Paravimus inſuper ex hac radice, more hactenus recepto, *Eſſentiam duplicem* pro varietate cauſæ morbificæ; & quidem in cauſa vulgo frigida dicta, ubi malum ab acido viſcido utplurimum proficiſcitur, cum Spir. Tartar. vere volatili extrahitur haud certe contemnendi uſus, cujus doſis a gutt. 20. ad drachmam ſemis in Thee ſpecifico, vel aqua ad calculum e nucleis, alioque vehiculo. Eſſentia quoque confieri poſſet in eodem caſu cum Spir. Acmellæ ex India allato, qui paſſim in officinis proſtat; non tamen ſponſor extiterim ulli, acmellæ folia cum ſilice maſticata, eundem emollire, præſertim cum

ſæpius

ſæpius jam laudati Cl. Breynii expectationem circa hoc experimentum eventus eluſerit. Hæc autem erit *Eſſentia Parreiræ bravæ tartariſata volatilis* : ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav. ℥ß. ſpir. tart. ſal. volat. imprægn. ℥iv. f. l. a. digeſtio & filtretur. Etiam *Eſſentia compoſita* ſequenti modo parari poterit. ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav. ℥ß. G. Lign. Quajac. ʒß. Tinct. Tart. compoſ. ℥iv. f. ſ. a. digeſtio & filtr. add. ol. lign. Saſſaf. deſtill. gutt. viij. M. Cum autem diuretica, calida præſertim, calidis & ſiccis affectibus laborantibus minime conveniant, hinc eſſentiam Parreiræ bravæ præparare juſſi, cum menſtruo meo nitroſo caſtoriſato, divino certe medicamine; conducet quippe hæc eſſentia melius bilioſis:

Nam calidi plus eſt illis, quibus acria corda
Iracundaque mens facile efferveſcit in iram,

ſecundum *Lucretium*. *Eſſenta Parreiræ bravæ Nitr.* ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav. ℥ß. Spir. Nitr. dulc. Caſtoriſ. ℥iv. f. ſ. a. digeſt. & filtr.

Quod ſi quis *Extractum Parreiræ* deſideret, illud obtinere poterit, modo Cl. Friendium in Prælect. Chymicis non conſulat; ex hujus enim mente & hypotheſi, tanquam rigidi nimis Cenſoris, *Extracta ob partes ſubtiliores avolantes & in abſtractione diſſipatas ad medicos uſus nil conferunt. Si vero quis partium craſſarum & magis inertium delectum facere velit, eas nulla alia apparatus ratio æque feliciter ſuppeditat. Ita ut ea, quæ a Chymicis tantopere venditantur Extracta, ſi vires medicas ſpectes, non tam pharmaci loco, quam vehiculi, ſi ita loqui liceat, habenda ſint.* Hæc Friendiana ſi non tangant quempiam, & extractum ex Parreira brava obnixe petat, en compoſitum habebit & ſimplex. *Extractum Parreiræ bravæ reſinoſum.* ℞. Rad. Parreir. brav. ℥ij. extrah. c. Spir. Vini Auſtriac. rectificatiſſ. ℥xij. Tinct. abſtrahatur ſ. a. ad conſiſtentiam Extr. reſinoſi. D. ad uſum. Spir. abſtractus ſignetur Spir. Vin. Parreir. brav. Reſiduum radicis coqu. in aqua fontan. clarificetur & inſpiſſetur ad conſiſt. extr. aquoſ. pro pilulis & potionibus. Ex Spir. Vin. Parreir. brav. & extr. ejusd. radicis parari poterit ſequens Eſſentia compoſita Parreiræ. ℞. Extr. rad.

℞ad. Parreir. brav. Myrrh. balſam. noſtr. an. ℥j. Spir. Vin. Parr. brav. ℥iv. f. ſolutio. D. ad uſum.

Doſis radicis noſtræ, uti jam ſupra annotatum, ad pondus drachmæ dimidiæ, ſcrupulorum duorum, imo drachmæ unius, ſi ſola, nullo admixto ſtimulo, in pulvere ſubtiliſſimo exhibeatur. Exacte enim definiri doſis nequit, cum natura a natura, regio a regione differat. Satius eſt peccare in defectu quam exceſſu.

Et hoc quoque circa uſum Parreiræ noſtræ monendum duxi, quod de diureticorum abuſu notavit gloria Germanorum „ Practicorum Beatus *Ettmüllerus* noſter; ubi nempe ad tem- „ pus fruſtra adhibita fuerint medicamenta, ſubſiſtatur, & fe- „ riæ quaſi permittantur naturæ, ne illo uſu nimio, plus quam „ par eſt, ad renes moveantur cruditates, quod obſervatione Epiphanii Ferdinandi illuſtrat. Non poſſum continere calamum, quin colophonem additurus verbis acutiſſimi Antoni- „ dæ de Sapient. Med. §. 25. finiam; Sæpe nulla res magis ad- „ juvat laborantem, quam tempeſtiva abſtinentia, non jam „ dico a cibo, ſed medicina. Audiant, qui intereſſe honoris „ ſui arbitrantur, ne qua viſitatio tranſeat ſine Recipe. Ali- „ quando ſola dies & quies ut graves morbos ſanant, ſic ma- „ gnos motus ſedant. In alimentis varietas delectat, in me- „ dicamentis paucitas. Sicuti in Ethicis idem vagus & vanus „ eſt, ita in medicis *præſcriptor immodicus fit proſcriptor exitio-* „ *ſus*.

VSVS PLANTAE CAAPEBAE ET
RADICIS NOSSA SENHORA.

HActenus Parreiram bravam examini ſubjecimus; reſtat, ut paucis Caapebæ plantæ ejusque foliorum uſum, radicisque noſſa Senhora dictæ ſpecificam contra morſum ſerpentum vim admirandamque efficaciam ſiſtamus.

Omnes


CIPO DE COBRAS
ERVA DE NOSSA SENHORA



Omnes equidem plantæ partes in id amice conſpirare videntur, ut deleterium a ſerpentibus aliisque veneno nocentibus rebus corpori ingeſtum virus abigendo, priſtinam reſtituant ſanitatem : mutuemur in hanc alexiteriam plantæ hujus vim verſus illos, quos nitidiſſimus Poëtarum Anglorum Coulejus fudit:

Quid quod ſerpentum furialia pello venena,
Et mea ſerpentes dia venena necant.
Illos ſubtili ferit arcanaque ſagitta,
Et perimit cæco vulnere triſtis odor.
Sic, Pater arcitenens! victum Pythona fuiſſe
Arbitror, & ſuccis illita tela meis.

Folia Caapebæ Marggravius Hiſtor. Plantar. Lib. I. c. 13. p. m. 26. memorat, ſingulare eſſe remedium contra morſus venenatorum animalium, ut ſerpentum, tam in hominibus quam brutis, ſi morſui paulum contuſa imponantur ; curantur enim morſus ſine ullo alio medicamento. *Succum foliorum Caapebæ* & Cajatiæ in morſu venenatiſſimo anguis Ibobocæ, a Luſitanis Cobra de Corais dictæ, laudat Piſo de Venen. eorumque antidotis L. 3. p. 43. edit. 1. nam edit. 2. p. 278. vocatur Anguis Cobra de Coral. Sanatur, inquit, morſus emplaſtro e capite ſerpentis concinnato, & efficaciter appoſito. Pulvis plantæ Nhambi & ſuccus foliorum Caapebæ & Cajatiæ vulneri inſtillatus extrahit virus. Binæ hæ plantæ *Cajatiæ* & *Caapebæ*, in eundem ſcopum alexiterium collineant, eodemque inſigniuntur nomine, nempe *Erva des Cobras*, licet diverſiſſimæ ſint. Caapeba enim planta ſcanſilis, Cajatia vero ſive Caacica humi depreſſa repens plantula, lacteſcens inſtar Eſulæ, foliis Menthæ non diſſimilibus, cauliculis ad rubedinem vergentibus, radicibus miniatis, ex Piſonis deſcriptione de Facult. ſimplic. l. 4. p. 102. Cum igitur nomen hoc Erva de Cobras binas complectatur plantas, neſcio, quam inter vulneraria nominet modo laudatus Piſo de Medic.

 Braſil.

Braſil. Lib. 2. c. 20. de Vulner. & Vlcerib. Abutuntur tamen & pulv. *Herbæ Caapebæ* & Nhambi ſceleratiſſimi homunciones in Braſilia, dum ex ſucco jam venenato Manipueræ ſtudio aſſervato, ad totalem putredinem usque altiorem corruptionis & toxici gradum, ex vermiculis inde pronaſcentibus, (qui Taparu ipſis dicuntur) quærunt, iisque in pulverem redactis, hominibus pro lubitu inſidiantur, ita, ut exigua licet quantitate, vitam citiſſime & certiſſime adimat, ſi ſimplex adhibeatur; ſin vero compoſitum & viribus imminutis (quod potiſſimum pulvere herbæ Caapebæ & Nhambi fieri ſolet) longo poſt tempore, ne nefanda ſcelera in publicum prodeant, miſere & lenta tabe interimat. Vid. Piſon. Hiſt. Nat. & Med. Braſil. Lib. V. p. 305. Edit. II. & Edit. I. Lib. 3. de Venen. p. 48.

Nunc *radicem Caapebæ* in medium producimus, *Raiz de noſſa Senhora*, ſeu radicem Dominæ, ſive ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ dictam. Vbi tamen ante omnia monendum, *Erva de noſſa Senhora*, & *Erva de Santa Maria*, licet unum idemque ſignificent, differre tamen nimium, cum nomine *Erva de Santa Maria*, ſerpentaria major, ſive dracunculus major polyphyllos deſignetur. Efficaciam radicis de noſſa Senhora optime ex Piſone diſcimus, qui ſcribit: *Radix noſſa Senhora ſive primo natæ frondes & ſarmenta morſibus ſerpentum medentur, ſi ſemel atque iterum eorum ſuccus recenter expreſſus indiſcreta quantitate propinetur, atque ſimul extus applicetur. Nulla interim ſubſequente manifeſta evacuatione, neque per vomitum, neque per ſudorem, neque per aliam aliquam viam, quantum aſſequi potui. Licet autem ab anguium aliorumque reptilium & inſectorum venenatorum ictibus & morſibus tantum curandis videatur bene audire hujus convolvuli & radicis ſuccus, qui amaro ſapore caloris prædominium præ ſe fert, quoad manifeſtas qualitates; venenis tamen frigidis contrariari comperi.* Edit. 2. p. 312.

In ſpecie Cl. Piſo *radicem Caapebæ* commendat in *morſu ſerpentis Ibicacoa* admodum venenoſo, & peſſima ſymptomata inferen-

ferente, haud ſecus quam Cucurucu, quippe ſanguis quantocius a morſu, ex auribus, naribus & oculis profluit, & niſi ſtatim ſubventum fuerit, moritur vulneratus. Quod ſi virus nondum ad cor penetraverit, carne ipſius anguis cocta cum radice Jurapeba, Jubarandi, Malva Iſca, Caapeba, Capybuba, additis ſummitatibus Nhambi, ex vino interne exhibitis reſtituantur. Addatur externum remedium ex capite ipſius feræ contuſo, & cum Erva de Cobras aliisque præparatum.

Eandem quoque efficaciam in *morſu Anguium Tareyboja & Cacaboya* de ſe promit, teſte eod. Piſone l. c. qui & hoc addit: *In ſucco Mandihoca, Manipuera* dicto, (qui ſi crudus aſſumatur, adeo venenoſus eſt, ut ſtatim enecet, coctus vero nutritivus evadit) miram ſanandi vim aliis radicibus & herbis junctam Caapebam exhibere, quod & de fructus *Ananas* ſucco largiter & crebrius hauſto expectandum, *de quo delicioſiſſimo fructu, guſtus ſuavitate omnibus ſupereminente, inque domeſtico horto Cl. Volkameri, mellitiſſimi Amicorum, late creſcente & luxuriante, ejusque ſpeciebus, anatome, viribus & efficacia plura in peculiari ſchediaſmate dedimus.*

Dubius hæreo, an non *Raiz de Juan Lopez Pigneira* (forte Parreira) ſit una eademque, ac *Raiz de noſſa Senhora*, cujus Plinius Tuſcus *Excell. Fr. Redi in Experim. circa res naturales ex India allatas meminit*, ſeq. verbis: *Radix eſt coloris citrini & guſtu amara, hanc ſuper lapide aqua tritam, & unius dimidiæ drachmæ pondere aſſumptam, nec non morſibus vel puncturis animalium venenoſorum applicatam, certo a venenis & febribus liberare volunt.* Annon huc pariter pertineat a Cl. Grimmio Dec. II. Ann. I. Obſerv. 175. p. 411. deſcripta Ruſa Ray nigra, B. L. dijudicandum relinquo. Sic autem de illa: Nigra hæc radix liquiritiam fere æmulatur, niſi quod intus calcem quandam præſentet, cum ſapore amariuſculo ex dulci præmiſſo; magno in morſibus & ictibus venenatorum animalium medendis habetur in pretio, etiam in calidis frigidisque febribus.

OBSERVATIONES CIRCA PARREIRAE VSVM MEDICVM.

Reſtat adhuc, ut felices, quos fidiſſima rerum magiſtra experientia in Praxi clinica circa Parreiræ bravæ uſum, ſuppeditavit ſucceſſus, memorem, inque medium producam. Tantas equidem, ut ingenue fatear, quantas Dn. Helvetius in hanc radicem contulit laudes, & vim illam in omnibus renum & veſicæ calculi incommodis tollendis, ſic dictam ſpecificam, cort. Chin. Chin. in febribus, & aluminis in hæmoptyſi æmulam, indiſtincte deprehendere non potui, cum ſæpiſſime ſpes in ea poſita, ceu ab optimis remediis ſæpius fieri conſuevit, deſtituerit, & promiſſa Helvetiana deluſerit. Huc certe optime collineant, quæ Excell. D. Stahlius, feliciſſimus ad Praxin medicam Daduchus, de ſpecificis his remediis tradidit; nempe ſpecifica plane ad ſpecialiſſimas affectuum & ſingulares circumſtantias dirigenda & applicanda eſſe. Infringitur quippe ſæpe ſpecificorum remediorum vis & efficacia, cum morbo jam altius exardeſcente exhibentur, cui tempeſtiva exhibitione præoccupando ſatisfacere potuiſſent. E contrario quando morbi impetus jam maximam partem deferbuit, ibi præſtat frequentiſſime ſpecifici hujus remedii tempeſtivus uſus utilitatem maximam, ut affectus non ſolum tanto citius finiatur, ſed etiam tanto certius, plenius atque ſolidius in univerſum tollatur.

His præſuppoſitis, aliquoties egregiam Parreira brava, aliis irritis, tulit opem, in cauſa nempe & caſu appropriato. Exhibui autem ſæpius ſolam in pulverem redactam ad drachmam ſemis, imo ad drachmæ quoque pondus, idque repetitis vicibus, ne quis erroris παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, ſive fallaciæ non cauſæ ut cauſæ, uti in Scholis loqui amant, reum me declarare queat.

De ejus tandem efficacia convictus, aliis diureticis, aperientibus & abſtergentibus immixtam, eo propinavi ſucceſſu exoptato,

optato, quem ex plurimis obſervationibus aliquot, ne multitudo Lectori tædium pariat, ſelectiores loquantur.

OBSERVATIO I.

PUerpera 32. annorum bilioſa, aliquot liberorum mater, ultimis fere puerperii, ſic ſatis feliciter hucusque peracti, diebus æſtu obruitur vix tolerando, ſitis ingruit intenſiſſima, vomitus accedunt ingeſtorum omnium, alimentorum, potulentorum, medicamentorum. Vocatus, ægram vix ac ne vix quidem ſibi conſtantem reperio. Scintillant febrili calore truces oculi, ſicca & exſucca lingua, fauces aridiſſimæ, ex imo hauſta ſuſpiria, dicam *Sophoclis in Trachiniis* v. 783. verbis:

Καὶ διώδυνος
Σπαραγμὸς αὐτοῦ πνευμόνων ἀνθήψατο.

Ac perdolens
Ejus prehendit cruciatus pulmones.

Flatuum incarceratorum murmura & borborygmi huic ſeſe malo aſſociant, dumque in renum irruunt regionem moleſtiſſimi hoſpites, cumulando ſymptomata ægræ ſalutem dubiam reddunt, & quartum renum morbum producunt, de quo divus Cous noſter L. de Aff. int. t. xviii. Cum alvus quoque aliquot jam diebus officio non reſponderit, omnibus ſepoſitis clyſma injiciendum ſuadeo, dum vomituriens ſtomachus reliqua recuſaret remedia. Clyſmate injecto, mox omnia in abdomine pacatiora, ςρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι evaneſcunt, &

Sedatur torti tempeſtas turbida ventris,
Poſtico iratus murmure flatus abit.

Succedit fæcum mephitim olentium copia, muci viſcidi vitrea quaſi congeries: ceſſat mox æſtus, & exhibitis remediis debitis, ſiti oriſque & faucium ſiccitati obviam itur. Placido hinc

immerſa ſomno poſt bihorium expergefacta & ſibi quaſi reddita, de doloribus in lumbis adhuc nidulantibus lancinantibusque conqueritur, & ſic triſte illud ſymptomatum choragium in calculum deſinit. Vſum continuatum decocti Nephritici a Zwölfero correcti ſuadeo, imo urgeo, & pulverem meum contra calculum adjungo, urina calculi præſaga. Ingruit magis magisque dolor, recrudeſcit malum, nec decocto, nec pulveri, nec inunctionibus, nec clyſmati rurſus injecto cedens. Irritis igitur omnibus, radix Parreira brava prima vice mercur. cinnab. juncta & ſociata, dolores mitigat, tertia vice ſola ſumpta plane aufert, excreto poſt aliquot dies, cum ſanguinis grumis, calculo ovum fere columbinum adæquante, ſine doloris notabili ſenſu, quod ob meatus brevitatem, humidique inibi copiam, dum latiora & expeditiora ſunt organa, in fœminis potius quam viris quandoque fieri ſolet.

OBSERVATIO II.

JVvenis vigeſimo ætatis anno conqueritur jam per aliquot menſes de obtuſiori & gravativo ſenſu doloris, lumbis in regione renum incubantis, nullo tamen tumore foris conſpicuo; quem corporis motus concitatiores & violentiores nimium exacerbant: fit ſucceſſu temporis dolor acutior, una eademque ſede defixus, per nervorum conſenſum teſtem quoque in doloris conſortium rapiens, adeoque retrahens, ut in ſcroto vix apparuerit; dorſi quoque difficillima inflexio. Vrina longo tempore prodierat limpida, tenuis, inque exigua quantitate, dolore vero ingraveſcente exibat copioſa ſatis, arenulis cruoreque immixto. Licet hæc ſatis diſtincte in renibus latitantem detegerent hoſtem, addidit tamen pondus conjecturæ, decubitus in ægram partem ſemper dolorem demulcens, in adverſam vero exaſperans. Vacuandis e renibus heterogeneis intentus, & diureticis mitioribus, (quibus Parreira noſtra ſemper

comes

comes erat,) exhibitis, ſeptimeſtrem tandem, magnum & moleſtum hoſpitem, hoſpitio ſuo abſcondito extruſit medicamentorum efficacia, inque veſicam deturbavit. Hic exitum quærens, collum veſicæ occludit, & urinæ liberum intercipit tranſitum. Omnibus viribus eo contendi, ut quantocius ex hoc quoque latibulo ejiceretur hoſtis, emollientibus, pinguibus, viasque lubricantibus porrectis, blandioribus lithontripticis pariter immixtis; ſed ſine levamine & evidenti emolumento, cum urinæ vix tantum excreverit, quantum cochlear capere poteſt. Tandem infuſo Acmellæ exhibito, largior quidem profluere cœpit, mox calculo, in aquæductu foras a collo veſicæ protenſo, urethram vocant, pertinaciter hærente. Tandem infuſum Parreiræ bravæ rumpit clauſtra,

- - - - molemque liquore reſolvit
Caucaſeam, impulſu diſſilit illa ſuo;
Obſtructumque diu prono ruit impete flumen,
Et ſecum adverſæ fragmina rupis agit.

OBSERVATIO III.

CVidam renum quoque calculo laboranti, & tot jam remediis incaſſum aſſumptis, omnia lithontriptica renuenti & faſtidienti; radicis Parreiræ bravæ præconia canto; cumque novarum rerum mens humana ſemper ſit cupidiſſima, me tandem accedit, hocce pharmacum enixe efflagitans. Sumſit absque evidenti levamine aliquot doſes, tandem ruptis ex tenaci pituita & viſcido lentore repagulis urinæ ſtagnantis, arenularum ſtupenda prodit caterva, ſuperſtite in urethra remora titillante, quæ tandem cum impetu profluit, & vermes ſex exhibuit, millepedibus non diſſimiles, ſi magnitudinem exceperis; alii dein his ſuccedunt, materiæ, viſcidæ, pultaceæ, ceu genitrici vel nido innatantes, tandem & doloris in renum regione & titillationis ſenſus in urethra ceſſavit; ægroto vires hujus remedii Ameri-

Americani ad cœlum usque extollente. Subiit animum medicorum regula, Anthelminticis ſemper dulcia eſſe admiſcenda, ut illorum blanditiis ineſcati vermiculi promtius hauriant internecionem ipſis ſtruens pharmacum. Jam cum Parreira brava ſit dulcamara, dubium non amplius eſt, recte illam & in vermibus pellendis exhiberi. Vere itaque Manilius cecinit:

Per varios caſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

OBSERVATIO IV.

VIr juvenis bilioſus & arthritidi vagæ ſæpius obnoxius, circa pubis regionem ponderis incuſat ſenſum, hoſtis inibi latentis feralem prodromum. Vrinam fundit lacteam & turbidam, ſedimento mucoſo, viſcido, tenaci gravidam, ut vix illam excernere poſſet, &, quod ſignum plane indubium hoſtis in inſidiis ſe occultantis, urina facilius redditur corpore ſupinato, quam erecto. Sociat ſe his malis Priapiſmus ipſi moleſtiſſimus, ſymptoma calculoſis familiare, quippe affectus libidinoſi lumbis renibusque paſſim in ſcriptura ſacra adſcribuntur. Feciſſe id ideo Spiritum Sanctum vir doctiſſimus in Phyſiologia opinatur, quia caleſcentibus lumbis caleſcunt renes; renibus calefactis, affluit major ſanguinis copia cum ad ipſos, tum ad partes genitales, unde his turgentibus prurientibusque ſubnaſcuntur cogitationes, atque ſtimuli venerei. Succedit pertinax alvi obſtructio. In ædibus meis conſilium petenti, calculum veſicæ ſymptomatum omnium cauſam eſſe dictito, & auxiliares ſpondeo manus, utinam Θεῶν χεῖρας. Enemati aliquoties injecto, ſuccedunt ſcybala, urina quoque citius & absque moleſtia profluente. Sumit ſingulis diebus Thee ſpecificum ex ſpec. decoct. Nephrit. Foreſt a Zwölfer. correct. Rad. Parreiræ bravæ Herb. Acmell. ſem. Nymph. &c. ſyrupo balſamico Conerdingii edulcoratum, cui infuſo inſtillat

ſemper

ſemper aliquot eſſentiæ Parreiræ bravæ Nitr. caſtoriſat. guttulas. Excrevit hinc arenularum copiam, calculi comminuti fruſtulis immixtis, tandem quoque hæc medicamina

Lapidem durum ſilicisque obſtacula rumpunt,
Vix penetret tales Hannibal ipſe vias.

Convaluit ſic æger, ſumens ſingulis hebdomadibus aliquoties & Eſſentiam & Infuſum. Noſtras de calculo obſervationes firmant ab Excell. Gothofredo aliisque facta experimenta plurima. Et certe remedium hoc eo exoptatius, quo crebrius nunc quam olim, neſcio quo fato, calculi doloribus homines affecti afflictique. Cauſam ſi non veram, poëticam tamen & elegantem, ſuggerit vates:

Deucalion poſt terga mares, ac Pyrrha puellas
Jactavit, durum nos genus inde ſumus.
Nec mirum, ſcateant ſi viſcera noſtra lapillis,
Plurimus & lateat, ventre rigente, ſilex.

OBSERVATIO V.

VIr annorum quinquaginta, qui Baccho & Veneri ſtrenue litaverat, viribus exhauſtis, effœtis ſpiritibus & appetitu plane dejecto, oedematoſis pedibus per aliquot temporis ſpatium jam obnoxius, medicaſtri opem efflagitat, qui applicatione repellentium medicamentorum pedibus medendo id effecit, ut intumuerit

- - - ſuffuſa venter ab unda,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

Hoc viſo, exhorruit æger, & dum venienti occurrere morbo cupit, medicaſtrum rurſum accerſit, quæque mala infauſto medendi molimine patraverit, oſtendit. Aureos in ægro reſtituendo ſtimulorum ſeges pollicetur montes, nullumque

plane ſubeſſe periculum ſpondet ; illud Mimnermi ſcomma in Medicos rationales blaterando, & ægro occinendo:

> Οἷα δὴ φιλοῦσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν
> τὰ φαῦλα μείζω καὶ τὰ δείν' ὑπὲρ φόβον
> πυργοῦντες αὐτούς.

Sicut Medici ſolent dicere leves affectus majores & graviores, quam timendum ſit, ut ſe ipſos extollant. Vtinam linguis pendeat crumenimulgum hoc medicaſtrorum genus, in opimam tantum Proſerpinæ meſſem procreatum ! Exhibet trifurcifer ſpiritum ſalis ad aquam intercutem ejiciendam, ventriculumque roborandum; ſed ſpes & ægrum & fumivendulum Thraſonem fefellit. Crevit quippe indulgens ſibi dirus hydrops, ventre utris in modum elato, parteque illa, qua virum ſe olim præbuerat, in triplum monſtroſe ſic ſatis inflata, aqua ſub cute ad candelæ lumen quaſi limpida ſuffuſa, accedit anhelatio, ut animam vix trahere, pulmonibusque ſpiritum reciprocare poſſit; ingruit intenſiſſima ſitis,

> *Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera creſcit.*

Succedunt anxietates circa præcordia, ut ipſi cum Plauti Cappadoce in Caſina exclamandum ſit:

> - - - *Pro metu, ubi ſim, neſcio,*
> *Perii, cor lienoſum opinor habeo, jamdudum ſalit.*
> *De labore pectus tundit* - - -
> *Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.*

His anguſtiis exagitatus, per totum corpus ſudore diffluens, adeo debilitatur, ut prope anima linqui videretur. In deſperato hoc rerum ſtatu, & in orci faucibus ſic conſtituto ægro, (hæc enim peſſima apud noſtrates invaluit conſuetudo) de acceſendo legitimo naturæ miniſtro lectulo ægri adſtantes ineunt conſilium, & quoniam nemini obtrudi poterat, tandem ad me

itur.

itur. Vocatus omnium, quæ jam geſta fuerant, ignarus compareo, & triſtiſſima rerum facie probe perſpecta, peſſima auguror, illud Senecæ recitando: Facilius eſſe excludere perniciosa, quam regere, & non admittere, quam admiſſa moderari; nam cum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi ſe minuive patiuntur. Aegri precibus tandem victus, opem & operam promitto, modo ſe obſequentem præberet, de ejus enim intemperantia fama increbuerat. Vt brevibus me expediam, optimi ſenis conſilio fretus: οὐρητικοῖσι καθαίρειν, λεπτῦναι καὶ ἀναπλῦναι; urinam cientibus purgare, attenuare & mollire oportet. Horum nihil omiſſum, hinc paucos intra dies exhibitis illis, quæ quotidiano uſu & jugi experientia ſalutaria fore judicaram, primo mentula, ſucceſſu temporis abdomen quoque detumeſcere cœpit, ſpirandi difficultate ſive ſuſpirio adhuc ſuperſtite; cui malo vinum, ſcylla marina, millepedibus & vincetoxici radice imprægnatum, in ſolatium ceſſit. Sitis ſola ſupererat, non tam ex morbi pertinacia, quam ægri mala libidine dicam an conſuetudine? originem trahens. Hucusque illum multa invitum & facere & pati coëgeram, dum vero ſedandæ ſiti, me ad ravim usque reclamante & diſſuadente, largius indulget, rurſus

Lympha interius vitio gliſcente turgeſcit.

Veriſſima ſic deprehendi Celſi noſtri, Ciceronis medici, verba: *Facilius hydrops in ſervis, quam in liberis tollitur, quia cum deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promtius his ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt.* Tam male in hunc ægrum collati officii pertæſus, auxiliares ulterius manus denegaſſem, ni lacrymas inter & ſuſpiria datis promiſſis de meliori quam adhuc obſequio, & conſanguineorum precibus, coactus & victus fuiſſem. Ne igitur in conclamatum inofficioſus viderer, iterum operi me accingo, nec tam feliciter, quam antea res ceſſit, incaſſum pluribus

ribus exhibitis, virium defectu medicamentorum exhibitorum vim eludente. Depoſuit alvus quidem muci viſcidiſſimi ſpermatis ranarum non abſimilis copiam, ſed absque evidenti levamine, urina vix ac ne vix quidem prodeunte. Fruſtratus igitur medicamentorum alias probatiſſimorum efficacia, alia agitavi conſilia, Eſſentiam Parreiræ bravæ cum ſpiritu Tartari Volatili paratam aliquoties exhibens,

Hæc tulit præſentem numinis inſtar opem,

ejusque continuato uſu obtinui tandem, ut intra diei naturalis ſpatium, ultra ſex ſeri limpidiſſimi profluxerint menſuræ. Hinc moles aqualiculi imminui quotidie cœpit; ne autem identidem tumor rediret, ventremque nova colluvies rurſus ampliaret, juſſi, ut Eſſentiam Parreiræ bravæ repeteret, cui adjunxi Eſſentiam Abſynthii compoſitam, Zwölferi extracto Trochiſcorum Alhandali, & *Elaterii ex conſilio Excell. Liſteri* impraegnatam; quorum medicamentorum frequentiori uſu, & aſſumpta aliquoties radice *Parreiræ in ſubſtantia ad drachmam ſemis*, promota ſeri per urinam & alvum excretione, brevi ex voto negotium confectum, mortique jam a pluribus adjudicatus æger, ereptus eſt. Confirmat hanc obſervationem effatum Clar. Piſonis Libr. 2. de Medicin. Braſilienſ. c. 9. de Hydrope p. m. 26. Edit. I. *Non raro contigit, ut ſola radice diuretica Caupeba, ex vino vel aqua Paraybenſi ſubinde ægro propinata, latex intercus eductus fuerit.* Sic Medici ſæpius, *Martiali* teſte:

- - - mitibus herbis
Parcarum exorant penſa, breves que colos.

OBSERVATIO VI.

VIrgo ætatis anno decimo ſeptimo ardore ingenti corripitur poſtice in eo, quod ab extremis coſtis ad coxendicem

dicem extenditur ſpatio, dolore ad primam lumborum vertebram accedente gravativo, menſibus ſimul ceſſantibus. Aegræ mater fatidicam accerſens anum, triveneficam, hoc reſponſi fert, menſium interceptionem, mali eſſe fomitem; hinc emenagogis fortioribus, in quarum claſſe quoque Oleum Sabinæ deſtillatum erat, exhibitis, malum in tantum auctum, ut ardor & dolor gravativus indies creverit, accedente ſæpius horrore febrique ſub noctem redeunte. Malo ſic indies ingraveſcente, reſpuunt triſcurria ulteriora maleferiatæ medicaſtræ mœſtiſſimi parentes, ſaniora expetentes conſilia. Vocatus, Phlegmonem renum ſubeſſe & hecticæ febri proximam judicavi virginem: hinc calidiſſima illa medicamina emenagoga devovens, febrili calori expugnando intentus, id effeci, ut febris quidem remitteret, ſuperſtite tamen ardore & dolore in lumbis gravativo, licet absque inſigni moleſtia. Averruncandis his quoque malis aptiſſimum credidi remedium *infuſum Parreiræ bravæ*, Balſamoſaccharo Copaybæ impræegnatum. Nec ſpem felix deſtituit ſucceſſus, cum continuato infuſi hujus uſu & ardor & gravativus dolor fuerit extinctus.

OBSERVATIO VII.

NObilis Fœmina ætatis & conſtitutionis vegetæ, menſibus vix ac ne vix quidem fluentibus, poſt longiorem nauſeam, & ab omnibus aſſumptis excitatam cardialgiam, ob humores craſſos, viſcidos, ſpiculis ſalinis acribus impræegnatos, in orificio ventriculi hærentes, fibrillasque nerveas vellicantes, incidit tandem in Leucophlegmatiam. Roſeus genarum color in pallidum vergit, livent labia, turgidula cutis ubique a pituita albeſcit, & ut *Plauti* verbis loquar in Menæchm.

- - - viridis exoritur color
Ex temporibus atque fronte, oculi herbei.

 His

His malis ſe aliud aſſociat malum : renales enim glandulæ, harumque canaliculi, a coagulo quodam viſcido tenacique obſtruuntur, hinc ſecundum Hippocratem οὖρον μόλις προέρχεται ὑπὸ φλεγμασίης καὶ παχύτητος τοῦ ὀρροῦ, *Vrina vix procedit ob ardorem aut craſſitiem ſeri ;* ſine tumore tamen in pubis regione, ſine dolore tenſivo, quæ omnia Iſchuriam veſicalem comitari ſolent ; hinc de renali certior, quam gravativus in lumbis dolor magis magisque prodidit, anticachecticis & blandioribus emenagogis & diureticis, quæ quotidianus uſus, magiſter rerum, his in morbis ſuppeditare ſolet, malo obviam itur. Nempe ex *Senecæ* conſilio: *Medicus primo in morbis tentat non multum ex quotidiana conſuetudine deflectere ; ſi modus & ordo non proficit & fruſtra molliora ceſſerunt, dum dura videtur curatio nulla, cujus ſalutaris effectus.* Vſitatis igitur medicaminibus irrito conatu exhibitis, malo indies accreſcente, peſſimaque minitante, fortiora Lithontriptica ægræ exhibentur. Ex aſſumpta Tinctura nephritica Amelungi alias ſæpius levamen ſenſerat, hinc quoque iteratis nunc vicibus porrigitur, ſine ulla tamen lotii ſecretione. Quinto jam die durantis ſuppreſſionis urinæ Tinctura nephritica D. D. Hiarnæ, ſpiritui Acmellæ maritata, movebat quidem, non tamen promovebat ſaburram, usque dum *radix Parreira brava ad drachmæ pondus* porrecta, fundendo materiam viſcidam, glutinoſam, renibus impactam, & per urinarias vias reſeratas eliminando, hoſtem abegit; quippe

- - - fluminea labitur ille fuga,
Et multos prono ſecum vehit agmina ſuccos,
horrida quæ ſalſis monſtra feruntur aquis,

& ſic præcipuum morbi aufertur. Vt proficientibus his medicamentis inſtarent per aliquot tempus, ſuadeo, cum nihil æque reſurgentem ſanitatem impediat, quam remediorum crebra mutatio. Detumuit cum debito urinæ profluvio, cu-

tis,

tis, ſuppreſſione menſium ſuperſtite, quibus promovendis *Extractum meum Myrrhæ balſamicum*, *extr. Cort. Winteran.* mixtum, mira præſtitit. Convaluit ſic ex hoc morbo, per aliquot ſeptimanarum ſpatium tempora ſatis commode tranſigens,

Et paulatim roſeum depinxit gratia vultum.

Sed irruit ex inſidiis novus hoſtis, Febris maligna, cum exanthematibus & virium proſtratione ſumma aliiſque diris ſymptomatibus. Ab ægra vocatus triſtia ſtatim cano auguria, quippe ex Quintiliani effato: *Gravius ægrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in alium de integro inciderunt; viribus nempe ex priori morbo nimium exhauſtis*, humoribusque quaſi ex ſpirituum defectu vappeſcentibus. Omnia debellandæ malignitati porriguntur remedia, nullis parcitur ſumptibus, ſed vana conamina, cum Parca non decrevit parcere; eluſit enim vim medicaminum inclementia fati: hæc ſi ingruit, tunc teſte *Euripide in Alceſt.*

- - - ὀυδέ τι φάρμακον
Θρήσσαις ἐν σανίσι, τὰς
Ὀρφεία κατέγραψε
Γῆρυς, ὀυδ᾽ ὅσα Φοῖβος
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
Φάρμακα πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι.

Quæ Grotius eleganter vertit:

Nil contra medicamina
Proſunt, quæ Rhodopæium
Inſcripſit tabulis ſagax
Facundi manus Orphei.
Nil contra auxilii ferunt
Herbæ, quas docuit ſuum

Phœbi

Phœbi cura Machaonem,
Germanumque Machaonis,
Humanum miſerans genus.

OBSERVATIO VIII.

FOemina illuſtri genere oriunda, triginta annorum, in cachexiam prona fluore albo defatigatur, menſibus per anni dimidium jam ſuppreſſis. Varia a variis, antequam accerſitus fuiſſem, exhibita, vel paululum, vel plane nihil attulere ſolatii. Memor uxoris Boëthi, quam morbo hoc decumbentem laborantemque per blandiora diuretica feliciſſimus noſter reſtituit Pergamenus Libr. de Præcognit. ad Poſthum. c. 8. *Eſſentiam quoque Parreiræ bravæ Tartariſatam & Pilulas ex Extracto Myrrhæ Balſamico noſtro & Extr. Cort. Winterani*, porrigo, quæ medicamenta acrimoniam demulcendo, corrigendo, incidendo, aperiendo, attenuando ſuſtulerunt album fluorem, & menſtruum reſtituerunt, haud diſpari cum Boëthi uxore eventu, impari licet ſoſtro, quippe ob valetudinem uxori redditam Boëthus Galeno quadringentos miſit aureos, ego tot obolos vix obtinui, nec deſideravi etiam; ad auctoritatem enim Medici confert, bona voluntate ad fideliter curandum ferri potius, quam obligari auctoramento ſervitutis. Imo ſatius eſt debendi reos habere Reges, quam avaritiæ de ſe ſuſpicionem præbere. Quin potius quam diffidendo de ſanatorum gratitudine amittat opinionem virtutis, malit fidendo decipi, & opis opumque jacturam facere. *Hinc Patroni Medicorum St. Coſmas & Damianus, ſancti ἀνάργυροι.*

OBSERVATIO IX.

VIr mediæ ætatis, (quæ alias *tutiſſima* dicitur, utpote quæ neque juventæ calore, neque ſenectutis frigore infeſta-

tur,

tur, ſecundum Celſum noſtrum l. 2. c. 1.) corripitur doloribus ſupra renes acutiſſimis, hinc inde vagantibus & per omnem inteſtinorum circuitum aberrantibus inque pectinem declinantibus. Renum quartum morbum judicavi, a divino Coo noſtro deſcriptum. Aſſociavit ſe huic malo Stranguria, ſtillans cum dolore urina, ſive ut Vegetius Libr. III. Art. Veterin. cap. XV. exprimit: Veſicæ indignatio, qua mingere quis non poteſt, crura flectuntur, & venter ad terram demittitur. Accuſat æger pepones aliquot immodice aſſumptos, alimentum φυσῶδες καὶ ἀκατάλληλον στομάχῳ, *flatuoſum & inconveniens ventriculo.* Alvus ſuperveniens adſtricta cumulavit malum; iteratis tamen clyſteribus ſollicitata ſcybala educit, tantumque flatuum clariſonorum per inferius guttur ſe præcipitantium numerum, ut illud Divi Hipponenſium Antiſtitis de Civit. D. in memoriam revocaverit, ſcribentis: *Nonnulli ab imo ſine pudore, ita numeroſos ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur.*

Alvo ſic aperta, ſucceſſit pariter Vrinæ fluxus, ſuperſtite tamen in renibus dolore extrorſum vergente, non amplius vago, ſed fixo. Colicam hanc Nephriticam judicans, Parreiram bravam exhibui, tanquam hujus mali ſpecificum, e Clar. Helvetii mente, remedium, & quidem in pulvere, Elaeoſaccharo Cort. ☉. mixto, in Infuſo Acmellæ ſumebat Eſſent. Parreiræ brave ℈ſ. Continuato horum medicaminum uſu profluit urina vulgo pultacea, ſive urinæ pallidæ craſſæ cum contento albo viſcido tenaci matulæ adhærente excretio. Per alvum cum ſcybalis & flatibus ſeceſſit mucus gelatinoſus, tremulus, bile tinctus, borborygmorum ſi non mater ac materia, certe retinaculum; quibus per octiduum fluentibus, & cauſa illa morbifica ſublata, malum quoque ceſſavit. Quæ obſervatio probat, effatum Excell. Gothofredi e tripode quaſi fluere, cum parreirem bravam in colica nephritica vix fallere pronunciat.

OBSERVATIO X.

Jungam huic flatulento affectui e diario meo clinico flatulentiorem : Quinquaginta annorum fœmina paroxyſmis hypochondriaco - hyſtericis ſæpius excruciata, tandem incurrente in ſenſus tumore abdominis duro, renitente, inſtarque tympani, cum percutitur, ſonum edente affligitur, illoque morbo afficitur, qui a Nicandro in Alexipharm. Ὕδρωψ τυμπανόεις dicitur. Comitantur malum pectoris anxietates ex diaphragmate ejus cavitatem coarctante, ſuccedit tandem tenſio cordis lypothymiæ cauſa. Sicca & exſucca hinc lingua a ductibus ſalivalibus viſciditate obſtructis, inſomnes ob inquietudinem noctes ; appetitus proſtratus & fere nullus, pulſus juſto celerior, debilis tamen, calor depaſcens & pene marasmodes ; crura neque tumida, nedum oedematoſa. Vrinæ parcior excretio, & eo ipſo, dum emittitur, ob præcluſam a viſcida materia viam ſupprimitur ad momentum, mox tamen guttatim redditur. Alvus non niſi ſollicitata reſpondet, absque flatibus tamen, ideoque ſine levamine. Φαινόμενα hæc ὑδρῶπα ξηρὸν Hippocratis oſtendebant, curatu difficillimum affectum, Hecticæ in hac ægra proximum. Vocatus ad hanc male affectam, triſtia auguria canens, dimiſiſſem illam Divi Coi noſtri dictis obediens, qui vetat deſperatis adhibere medicinam. Exhibui tamen, ut flatus intra abdomen incarceratos, illudque elatere ſuo renitente tympani inſtar diſtendentes propellerem abigeremque, carminativa varia, ſed temperata, cum volatilia ſulphurea plusquam Aeolia rareſaciendi virtute, malum adaugeant potius, quam tollant, ſuffocationis metum inducendo. Sed per tres ſeptimanas irritus labor, &, ut in proverbio eſt, ventis loquor ; ægraque ſuccubuiſſet, ni emollientibus clyſteribus, & tandem e tabaci fumo per machinas illas fumiductorias, a Cl. Stiſſero ſuppeditatas, immiſſis, dolores ægræ vix ferendos mitigaſſem. Nec

mirum,

mirum, difficilem hoc malum admittere curam, cum pituita illa, quam vitream quibusdam appellare libuit, ob ramoſum particularum contextum & glutinoſitatem, difficulter eradicari queat, eo magis productæ ex ea veſiculæ, magis utpote condenſatæ ac induratæ & quaſi membranoſam indutæ naturam, medicamentorum operationi reſiſtunt, uti optime monuit Illuſtris Academiæ noſtræ Nat. Carioſ. Præſes, Ephem. Dec. II. Ann. I. obſerv. 81. Jam vero cum ad pituitam illam vitream albuminique ſimilem averruncandam, ſpecificam vim poſſideat Parreira in Infuſo & Pulvere aliquoties exhibita, perrupta tandem viſcidæ glutinoſitatis porta ruit flatuum incluſa caterva, & pedit deciesque viciesque, ut cum Martiali loquar. Succedit his, non ſine manifeſto frigoris ſenſu, congeries materiei muculentæ, conglutinatæ, viſcidiſſimæ, tenaciter cohærentis, ſpermati ranarum ſimilis, mephitim exhalantis. His eliminatis e corpore, redeunt halcyonia, ægraque reſtituta dictum confirmavit; Aegrotæ dum anima, ſpes eſt.

OBSERVATIO XI.

IN Aſthmate, (ubi tenerrima pulmonum veſiculoſaque ſubſtantia partim quoad fiſtulas tracheales, partim quoad veſiculas aëre replendas, ab humore tenaci viſcido glutinoſo anguſtatur, pabulumque hinc nitro aëreum excluditur, & ut Poëta canit:

- - Corda occluſis pulmonibus occupat humor,
Aërioſque aditus vis inimica tenet;)

Parreira noſtra, dum coagulum illud tenax, veſiculas pulmonales fiſtulasque tracheales infarciens, reſolvit, incidit, expectorationem promovet hocque ipſo liberiorem aëri ad pul-

mones aditum parat, exoptatiſſimi certe ant-aſthmatici remedii vices ſupplet; tunc enim

Vitali zephyro mulcentur pectoris æſtus,
Miteſcitque tuus, torrida Zona, calor.

Singulares has in ſpirandi difficultate virtutes radicis noſtræ per literas humaniſſimas mihi prædicavit Illuſtr. Argentoratenſium Archiater Dn. D. Henninger, id quod ſequenti Cl. Gothofredi pariter firmabimus obſervatione.

Senex LXXII. annorum ſumme debilis & ſuffocationi ob pituitam tenaciter pulmonibus inhærentem proximus, cum duo Infuſi Parreiræ bravæ plena vaſcula poſt horæ dimidium ſucceſſive exhauſiſſet, tantam hinc muci albuminoſi pituitæque viſcidiſſimæ copiam vomiturienti ſimilis rejecit, a paroxyſmo aſthmatico ſic feliciter liberatus.

OBSERVATIO XII.

NEc ab aſthmate ſeparabimus, quam Vir Clariſſimus de morbo arquato Celſi junxit obſervationem. Fœmina violentis colicæ & acutiſſimis ſub hepatis regione doloribus excruciata, totius corporis icteritia obruitur, ut & lintea urinæ craſſiori injecta croceo colore tincta fuerint. Clyſterum ope educta pauca & albicantia excrementa. Poſt Venæſectiones in brachio & pede inſtitutas, Cl. Gothofredus ægræ imperat, ut tria infuſi Parreiræ bravæ plena vaſcula, ſucceſſive intra dimidiæ horulæ ſpatium ſumat. Brevi poſt tertium vaſculum aſſumtum dolor remittit, alvus ſolvitur & materiem intenſe flavam fundit. Vrina copioſe minusque turbide fluit. Continuato per ſingulas quatuor horas Parreiræ bravæ doſeos uſu, luteus corporis habitus penitus evaneſcit, & ſpatio viginti quatuor horarum in integrum ægra reſtituitur. Ali-

quo-

quoties abhinc colicis inſultibus afflicta, hoc iterum quærens remedium, priſtinum ſolamen iterum obtinet.

OBSERVATIO XIII.

IN eliminandis vermibus quid parreira præſtet, ſequentia probant. Vir quadraginta annorum negotiorum ſuorum cauſa multum terris jactatus & undis, frequentiori urinæ ardore ſtillicidioque laborans, de rodente circa veſicæ orificium cruciatu conqueſtus, meam expetens opem, infuſum Parreiræ bravæ ſæpius aſſumit. Continuato remedii hujus uſu ad ædes meas advolans tres vermiculos oſtendit cum urina una vice, non ſine maxima urethræ titillatione excluſos. Regerenti mihi, annon in vaſe, cui lotium immiſſum, minus bene eloto præextiterint, ſancte affirmabat, illos, per viam urinæ excretoriam prodeuntes ſenſiſſe & vidiſſe. Poſt biduum rediens quippe iterum, ejusdem cum prioribus ſtructuræ offerebat, qui eandem, quam priores ſelegerant viam, poſt aliqualem tamen urinæ ſuppreſſionem & remoram. Erant autem vermiculi millepedibus multo minores & rotundiores, illis non abſimiles, quorum jam mentio facta. Sed eorundem exactiorem inſpectionem exhibui in diſſertatiuncula περὶ Θηριδίου Δασύος Plutarchi.

Sic morſus quoque venenatorum animalium huic obediunt radici, imprimis ejus uſu

- - ſerpentes poterunt non eſſe nocentes,
& non eſſe nocens Africa terra poteſt.

Jungit Excell. Gothofredus huic alexiteriæ contra venenata animalia virtuti vires haud contemnendas Parreiræ bravæ in Angina, Dyſenteria aliisque affectibus, quibus Febres junctæ, inprimis autem in febribus malignis. Sed cum hæc omnia potius ad Radicem vulgo Rayz de noſſa Senhora, & ob ſpecificam

cificam contra ſerpentes vim Cipo de Cobra vocatam, pertineant, de qua plura cum Deo & die ſuppeditabimus, hæc de Parreira brava ſcripſiſſe licebit.

Interea vero juvabit addidiſſe fragmentum literarum Dn. Helvetii ad Excellent. Dn. Duyvenvorde, oratorem Præpot. Statuum Belg. quod cum Societat. Reg. communicatum exhibet Bibliotheca Anglica Menſ. Novembr. & Decembr. 1715. n. 336. §. 3. p. 126. in eo pleraque, quæ hoc in ſchediaſmate fuſius dicta ſunt, breviter confirmantur. Verba ipſa hæc ſunt.

Mr. Duyvenvorde ayant conſulté Mr. Helvetius touchant l' uſage du Parreira brava, qui luy avoit eté recommendé: Mr. Helvetius a repondu, qu' il étoit bien aiſe que Mr. Duyvenvorde ſe fut adreſſé a luy. Il dit qu' il a éte un des premiers, qui ont introduit cette Racine en France; & qu' il en a fait pluſieurs Experiences, qui luy ont reüſſi, & qui l' ont mis en état de connoitre parfaitement ce remede.

Mr. Helvetius remarque, que la Parreira Brava paſſe pour un remede univerſel dans le Braſil, & qu' on l' y employe dans toutes ſortes des maladies. Il ajoute qu' un Capucin, qui venoit de ce Pais-la, luy dit qui ne ſçauroit mieux louër cette racine, qu' en l' aſſurant, que dans tous leurs Voyages, ils portoient l' Evangile dans une poche, & la parreira brava dans l' autre.

Enſuite Mr. *Helvetius* dit à *Mr. Duyvenvorde*, qu' il ſera fort aiſé de le convaincre, que le Parreira brava eſt tres beau pour ſa maladie. *Il s' agit*, continua Mr. Helvetius, *de retablir la digeſtion, afin qu' il ne ſe forme pas trop de phlegme & de crudites acides dans le premiers voyes, il eſt auſſi neceſſaire d' empecher la ſeroſité du Sang, de ſe trop repandre ſur les parties. Or comme l' experience nous montre, que le Parreira brava fait beaucoup uriner; il s' enſuit de la que l' acidité corroſive de la maſſe du Sang ſe dechargera par les Reins. Ce Remede eſt bon auſſi pour diſſoudre les humeurs*

pitui-

pituiteuſes & viſqueuſes ; & il guérit les ſuppreſſions d' urines cauſées par les obſtructions des Reins.

On peut conclurre de ce que je viens de dire, que les ſels du Pareira brava, qui ſont aſſez volatils, ſont propres a diſſoudre & a ſeparer le tiſſu trop épais & trop ſerré du ſouphre de la lymphe. Enfin ce remede a une legere amertume qui corrige les acides de l' Eſtomach & les rend plus purs & plus deliez.

Les Chyle ſe trouve par la mieux digeré, plus balſamique, & diſposé a ſe méler avec le Sang, & a luy conſerver ce degré de diviſion & de fluidité, qui luy eſt neceſſaire.

Pour ſe ſervir de cette racine avec ſuccés, il faut la reduire en poudre, en infuſer le poids d' un demy Gros dans une pinte d' eau bouillante, & l' y laiſſer toute la nuit. Le Lendemain au matin faites bouillir cette eau un moment : enſuite verſez-la doucement : prenez en un demi-Setier, auſſi chaude que du Thee, en deux Taſſes avec un peu du ſucre, & mettez dans chaque Taſſe, cinq grains de la dite racine reduite en poudre, qu' il faut remuer avec un cuillere, afin qu' il n' en reſte point au fond. Vous pouvez repeter la meme Doſe environ quatres heures apres diner, mais il ne faut rien manger un heur apres avoir priſe.

Ce Remede ne vous oblige point a changer votre maniere ordinaire. On peut le continuer quelques mois de ſuite à la reſerve de deux ou trois jours de relâche, tous les mois pourvû qu' on prenne quelque legere Medicine de quinze en quinze jour, ou de trois en trois ſemaines, pendant qu' on uſe de ce remede.

Pergit clariſſ. Bibliothecæ editor : Je dois avertir ici mes lecteurs, qu' en traduiſant la verſion *Angloiſe* de la Lettre de Mr. *Helvetius*, j' ay taché des deviner les propres termes, dont il s' eſt ſervi, mais bien loin de me flater d' avoir toujours reüſſi dans mes conjectures, je crain que cette ſeconde Traduction ne ſoit fort au deſſous de l' original.

Pra-

Preparation du Parreira Brava de la maniere dont Mr. Duyvenvorde s' en ſert.

Prenez onze grains de cette Racine & mettez le dans un Pot à Thé d' Etain remplie d' eau bouillante. Laiſſez le pot toute la nuit ſur des cendres chaudes, ou ſur un fort petit feu; & faites les bouillir au matin doucement jusqu' a ce que vous vous en ſerviez; Il faut boire cette liqueur comme on boit du Thé & elle ne doit pas exceder la quantité de cinq petites taſſes a Thé.

E præli carceribus nondum plane evaſerat hoc ſchediaſma, cum Illuſtris Gothofredus literis me dignaretur gratiſſimis. Placuit in his Viro excellentiſſimo, pro Caapeba mea, Butuam Parreiræ bravæ ſubſtituere matrem, firmiterque illud aſſerere; argumento præcipuo uſus; Caapebæ radicem ſibi viſam, a Parreira brava differre. Sed cum Caapebæ variæ ſint ſpecies, & illa, quam Parreiræ nutricem credimus, & e Piſone Marggravioque deſcripſimus, nimium quantum diſtet a Plumerii Caapeba, non mirum, inter ſe radices diſcrepare. Cum igitur res adhuc in abſtruſo ſita ſit, non ægre feret amicum diſſenſum Vir eruditiſſimus, quem ſumma veneratione proſequor, usque dum ex India certiora obtineamus. Sed de his forte plura in diſſertatiuncula noſtra de Caſina Apalachitarum, illuſtri Gothofrediano inſcribenda nomini.

TANTVM.

MICHAELIS FRIDERICI
LOCHNERI
ARCHIATR. CAES. COM. PALAT. NOBIL. ACAD.
LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOS. EPHEMERIDVM
DIRECTORIS, MEDICI NORIMBERGENSIS

COMMENTATIO
DE
ANANASA
ſive
NVCE PINEA INDICA
vulgo
PINHAS.

Ad
NOBILISSIMVM ET SOLERTISSIMVM
HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM
SCRIPTOREM.

58700(4)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO NOBILISSIMO
IOANNI CHRISTOPHORO VOLCAMERO
S. D.
M. F. LOCHNER.

P*Agellas de ANANASA conſcriptas, nemini cuiquam potiori jure me conſecrare potuiſſe ac debuiſſe, quam TIBI, VOLCAMERE optime, quilibet aequiſſimus rerum aeſtimator facile judicabit, qui perpendet, TE easdem TIBI jam vindicaſſe. Cum enim, quae de Planta hac ejusque fructu ſapidiſſimo, perpetuis Praxeos impedimentis obrutus, ex Hiſtoriae naturalis fontibus hauſta collegeram, expeteres novo Heſperidum Tomo inſerenda; communicavi iſtaec, ſchedis excepta confuſaneis, non tantum lubentiſſime; ſed et cum placere levidenſe illud munuſculum intelligerem, in animum porro induxi, ſub incudem revocare eadem, atque addere, quae ſparſim de Fructuum hac Regina ab Exoticarum rerum Scriptoribus ſunt annotata. Vnde Schediasma praeſens eſt enatum, quod Heſperidum, Latiali toga indutarum Tomo acceſſionis loco ſubjungi queat. Eſt itaque labor hic meus RAMVS E LVCO Heſperidum Tuarum, quem in ſuburbio ab Avo Tuo IOANNE, viro candore Germano, Pietate ſeraque Senectute venerando, plantatum, et ab incomparabili Parente TVO, IOANNE GEORGIO, τῷ μακαρίτῃ auctum, ipſe liberaliſſime alis, amplificas.*

Ditavere locum ingreſſae ſplendentibus umbris
Heſperidum Citrus, Malusque Nerantia quondam
Gloria, perpetuis veſtitae frondibus ambae

Per-

Perpetuo flore ornatae, foetuque tumentes
Perpetuo.

Innata quippe VOLCAMERIS naturalium ſcrutandorum cupiditas a Parente beatiſſimo, qui id omne propemodum complexus animo, quod naturalis ſcientiae ſibi humana acquirere mens poteſt, ad Filios transmiſſa eſt.

Quid de Fratre Tuo, IOANNE GEORGIO, Botanicorum aevi noſtri Principe, dicam? cujus ſtupendam in hoc ſtudiorum genere notitiam

Auſonius ſtupet, Gallus veneratur, et Anglus
miratur, Teuto coelica ad aſtra vehit.

Fratris Tui alterius, FRIDERICI, viri, dum viveret, candidi niveique pectoris, Muſeum praeſtantiſſimum omnibus haec ſtudia colentibus jam dudum innotuit; idque larga indies augmenta capit a Filio Tuo, harum rerum amantiſſimo, utpote ad quem iſtud, fauſto omine, haereditario jure eſt translatum.

Sed cum non id agam, ut laudes Veſtras canerem; aliis quidem hoc munus concedo. De Te autem non poſſum non, veritate ſuffragante, praedicare, quod aeterno Tuo Heſperidum Opere exterorum quoque praeconia promerueris. Germaniam vero noſtram, cultiſſimis accenſendam regionibus, contra Taciti injurias dum ſtrenue aſſeruiſti, Patria haec noſtra TIBI in aeternum obſtricta erit, et

Quicquid reddidit illa Gratiarum,
debebit: neque enim Tuo labore
ſat dignas dederit puto Tibi unquam.

Vale.

Com-

Commentatio
de
ANANASA,
ſive
Nuce Pinea Indica,
vulgo
Pinhas dicta.

* * *

Caput I.

Nana fructuum Regina. Ex *America* primum allata. *Mart. Bohemus*, Freti Magellanici Inventor. *Braſiliam* agnoſcit Patriam, quam et *Parreira brava*. Ananaſae Mexicanae et Haytanenſes praeſtantiſſimae. Naſcuntur in Inſulis *Antilles* dictis, *Jamaica*, *Francia AEquinoctiali*, *Cajenne*. *Guajanenſium* praeſtantia. E Provincia *S. Crucis* in *Indiam orientalem* transplantatae. In *Java majori* et *Malabar* nunc ſponte proveniunt majores Americanis. Commelini Laus. In *Sinam* e Peru illatae. *Siamenſes*. *Bengalenſes*. *Ceylanenſes* Batavicis in Java majori potiores. In Africa alit *Guinea*, unde accepit Belgium. Cluſii Laus. In *Capite B. Spei* plantavit Cleyerus. Germinant in Inſula *Bourbonia*

nia et *S. Mauritii.* Belgae *Europam* hoc fructu bearunt. *Paludanus* ante hoc ſeculum coluit. Floret in Hortis Academiae *Lugdunenſis, Amſtelodamenſi, Muntingii, Pariſino.* In *Boſiano* pro *Ananaſa* culta *Anona.* Hujus deſcriptio. Occaſio erroris, Synonyma. Philoponus Ananaſam et Bananaſam confundit. Haec deſcribitur. Plures Ananaſae deſcriptiones. In Svvebbertiano Horto copioſiſſima eſt. In Volkameriano. Saccharo incruſtata olim in Muſeo *Beſleriano. Kircheri* vanus metus. Solum Norimbergenſe optimum colendis quibuscunque plantarum generibus.

EN Lector Benevole!

Fructum fructibus omnibus priorem,
Qui ſunt, qui fuerant, erunt, priorem,
NANAM fructibus eminentiorem;
Quantum ſunt teneris cedri ſalictis,
Pratis celſius aut jugum Pyrenes,
Aut convallibus infimis nivoſae
Alpes.

Haec jure merito Plantarum, quas orbis Terrarum complectitur, inque ſinu fovet, dici poteſt Regina, in quam omnes guſtus ſuavitates, omnes ſaporis illecebras παμμήτηρ contulit. Proinde quoque Rex Regum ac Vniverſi omnipotentiſſimus Plantam hanc foliacea corona exornavit, ceu luculento in reliquos fructus praepollentiae et dignitatis omine, in quo diademate herbaceo regiae ſubolis futurae primordia, plantaeque, e fatiſcente morienteque genetrice reviviſcentis, rudimenta deliteſcunt, a plaſtica terrae vi temporis ſucceſſu evolvenda et eruenda.

Non

Non autem Europae noſtrae eſt indigena, ſed e remotiſſimis regionibus advena, et quidem ex India,

Praecipites Phoebi qua rota mergit equos,

quae nunc vulgo quidem *America* dicta, rectius autem, ſecundum immortalis gloriae virum, quondam noſtrum Wagenſeilium, occidentalis Bohemia ideo nominanda, quod *Martinus Bohemus*, e familia hujus urbis Patricia, laete in hunc usque diem virente, et cum aeternitate, volente Deo, perennatura, oriundus, jam ante Chriſtophorum Columbum et Ferdinandum Magellanum, Oceani hactenus cogniti terminos ac fines, metasque hominum extremas et ultimam Thulen praetervectus, Azores Inſulas detexit, Fretumque Patagonicum, vel Magellanicum dictum, Luſitaniae Regi radio prius delineavit, quam Magellanus de Expeditione ſua cogitaſſet. Freto huic Patagonico, ſeu potius Boheimico, vicina *Braſilia*, has fructuum delicias primitus guſtandas advenis Europaeis obtulit, ut ſic eandem, quam *Parreira brava*, nuper demum a nobis deſcripta, agnoſcat patriam, et binae Plantae quaſi ſorores Cannibalum ſint natae

- - - - - - ſub oris,
Magajatasve inter duros et pingvia labra
Tappinaquûm, ſacili verſu quos dicere non eſt,
Patagonasque truces, et nudos membra Tapuyas.

Hac tot hominum monſtris infamis regio, e Cl. Breynii

Plant. Exot. Cent. Cap. I. elogio, non ſolum propter mitem, ſanitatique humanae maxime ſalutarem caeli temperiem, atque alios humanae indigentiae ſubvenientes commoditates, ſed etiam ob varios, quibus beata eſt, fructus praeſtantiſſimos, (quos inter Ananaſae palma tribuenda,) imo propter ſalutiferos ac mirabiles plantas, quas Terrae gremium tam larga copia effundit, hanc aſſecuta eſt praeeminentiam, ut inde addubitent nonnulli, an ulla mundi habitati regio huic praeferenda? ac terreſtris quidem Americae Paradiſus hinc multis viſa: digniſſimum certe tali Patria fructum!

Mexicanum quoque regnum, ab urbe cognomine, orbis totius urbium ſpatioſiſſima, turribus tectisque plusquam ſeptuaginta quinque millibus ſuperbiente, celeberrimum, cum pleraque ſui parte propemodum ad luxuriem frugiferi ſoli, ſaluberrimi caeli, frugum tam ſponte ſua, quam cultu naſcentium feraciſſimum, Ananaſae etiam felicitate proventu tanto dives eſt, nusquam ut pene gentium fructuum deliciae Ananaſis Mexicanis, et in ſpecie quidem *Haytanenſibus*, certent, teſte Nard. Anton. Recch. Rerum Medic. Nov. Hiſpan. Libr. VIII. cap. 78. p. 311. & R. P. Nieremberg. Hiſtor. Natur. Libr. XV. cap. I. p. 335. Porro *Inſulae Antilles* vulgo dictae, quarum ingens in hemicycli figura numerus ab auſtrali maris Atlantici tractu jacet, et ſinu curvato in aeſtivum occidentem ſinuatur, fructum noſtrum porrigunt. Imprimis natas in earum cingulo, *S. Chriſtophori* Inſula, ab Anglis Gallisque ſimul habitata, Ananaſas

naſas prae reliquis extollit R. P. Thomas *Gage en de nievve ende ſeer naeukeurige Reyſe door de ſpaenſche VVeſt Indien* Lib.III. c. 22.

Inſula *Jamaica*, Mexicano implantata archipelago, ſub Anglorum nunc, olim Hiſpanorum dominio, rerum ad vitae affluentiam uſumque fertilitate nulli ſecunda, virore litorum et camporum aſſiduo gaudens, nec Ananaſa deſtituitur, cum Excell. Sloane teſtimonium ferente in Catal. Plantar. in hac Inſula provenientium p.79. in hortis agrisque pinguioribus Inſulae ubique plantetur, et ubique luxuriet.

Sic in *Francia* quoque *AEquinoctiali*, *Inſulaque Cajenne* dicta, laete proveniunt, ceu hoc refert dans la Voyage de France Equinoxiale en l'Isle de Cajenne le Rev. Pat. Biet Libr. III.

Imo *Guajenenſes* Braſilienſibus anteponit Otto Kayen im kurtzen Entwurff von Neu Niederland und Guajanen cap. XV. Haec cum ita ſint, nullus dubito aſſerere, reliquas itidem occidentalis Indiae plagas his palati lenociniis excolendis operam impendere.

Caeterum apud omnes Hiſtoriae naturalis Scriptores in confeſſo eſt, e Braſilienſi, et in ſpecie Sanctae Crucis provincia, in *orientalem Indiam* transplantatas fuiſſe has plantas, ſucceſſu equidem adeo felici, ut Braſilienſes mox vicerint, teſte avtopta Neuhofio *en de gedenkvvaerdige Zee en Lant Reizen van Oſt Indien* p.239. *Java* certe major, quae prae ſoli felicitate nimia cultorem in plerisque locis dedignatur, nunc ſponte Nanas promit, ſaporis gratia et vaſtitate

Americanas ſuperantes, in gratiſſimam dulcedinem guſtu deſinente, foliis licet variantibus, et Americanis anguſtioribus: quod de *Malabarenſibus* quoque teſtatur eruditiſſimus Horti hujus, Regii certe operis, commentator, Comelinus, Senator Amſtelodamenſis,

Pater Florae
Geniusque florum, ſtirpiumque nutritor,
Florum peritus et peritus herbarum,
Quascunque Phoebus ſpectat, aut alit tellus,
non noſtra tantum, ſed cuncta,
quam Pontus ambit aut Olympus involvit.

In vaſtiſſimi *Sinenſis* Regni provinciis *Quantuum Chiamſi* et *Tokien* laete pullulare, et ex America Peruviana Chinae ſive Sinae illatas eſſe, communem famam ſecutus ἀϑανάσιος ille Kircherus in Chin. illuſtr. p. 199. meminit, et ex illo Olferdus Dapper in Sina. *Siamenſes* Ananaſas Chriſtianiſſimi Monarchae ad Regem Siamenſem Ablegatus Dn. de Loubere, dans la deſcription du Royaume de Siam T. II. p. 71. *Bengalenſes* Dn. Thevenot Voyages des Indes orientales Libr. I. cap. 40. p. 204. *Ceylanenſes* iam citatus Neuhofius celebrant, et hic praeſertim Batavicis in Java maiori delicatiores pronuntiat, ſucculentiores quippe guſtuique maxime abblandientes. Et ſic de reliquis: has etenim fructus in regionibus Indiae utriusque ubique fere nunc plantari, nullum plane dubium Neuhofio.

- - - - *Vides, dites quas ſufficit utraque Gazas India.*

Nec

Nec *Africa*, novarum ſemper rerum ferax, hoc vacat fructu. In *Guinea* (ubi tanto opulentiora montium ſunt viſcera, quanto paucioribus antehac penetrata, quae proinde auro non tantum ſimplici, ſed prorſus obryzo turgent, unde regioni quoque nomen auriferi littoris) hic fructus laetiſſime progerminat, teſte Boſmanno in regionis hujus accuratiſſima deſcriptione p. 314. Imo jam ante centum & quod excurrit annos a Guinea primum in *Belgium* delatas Ananaſas, teſtatur Not. in Acoſtam latiali toga indutum, incomparabilis Cluſius, qui

- - quicquid tellus vel America, vel quae
India ſurgentem ad ſolem, vergenſue cadentem
Inviſum Europae et noſtris produxerat oris,
(quae variis alii ſcripſerunt ſingula linguis)
donarat Latio felicis munere pennae,
eximiis fulgens per totum laudibus orbem.

Neque e litore illo Africano extremo, a ſpe optima, quae ex amoeniſſimae hujus plagae ac refectionis loci inventione apud Luſitanos, in Indiam orientalem per Oceanum primum navigantes, oriebatur, non fruſtra ſe tantum laborem, tamque difficile iter ſuſcepiſſe, *Caput Bonae Spei* dicto, hic fructus amplius exulat. Licet enim littus hoc, montibus ad horrorem excelſis inſeſſum, leonum terribilium aliarumque beſtiarum crudelium, infinita pene multitudine ibi degentium, ſit ſuſtentaculum; ubi montes tamen deficiunt, et tractabilius in planitie ſolum, florum ſuaviſſimorum, herbarum ſaluberrimarum fructuumque delicioſiſſimorum praedi-

praedives exiſtit hortus, teſte Cl. Breyn. Plantar. Exotic. Centur. Prim. Cap. I. p. 1. Tempore equidem Dn. Wilhelm. ten Rhyne, ampliſſ. Soc. Ind. orient. Medici et a Conſil. Juſtitiae, illic extitiſſe, dubito, cum in Schediaſmate, hoc de Promontorio ſcripto, Cap. VI. ubi de Plantis agit, nulla Ananaſarum fiat mentio: poſt ejus tamen abitum in Japoniam, per Dn. Cleyerum horto, ad Belgici Gubernatoris Caſtellum extructo, illatas fuiſſe, Meiſterus in Hortulano Indic. orientali gloriatur p. 23. easque inibi nunc laete vireſcere, teſtantur Rev. PP. e Societ. Jeſu in Itiner. Siamenſ. Libr. 2. p. 61.

Ab Inſulis quoque Africanis non extorres eſſe Ananaſas, probat Franc. Legvat, qui in Inſula *Maſcurenhas*, alias *Bourbonia*, nunc a rerum omnium affluentia *Eden* dicta, ut et in Inſula *S. Mauritii*, hoc guſtus exquiſitiſſimum blandimentum reperit; ut alias Afras Inſulas hoc itidem fructu ſuperbientes ſileam.

Cum autem omnes has, quas peragravimus, mundi partes lucri cupida puppe Batavus aret, quid mirum has deliciosiſſimi fructus cupedias ab illis Belgio & hinc Europae noſtrae, regionum orbis beatiſſimae, fuiſſe allatas. Sic Cl. Paludanus Not. in Linſchotanum eruditiſſimis, principio prioris jam ſeculi ſe jactat, in ſuo horto domeſtico ex India miſſas Ananaſae extitiſſe plantulas, a frigore Belgici caeli climatisque inclementia deſtructas. Accedente tamen intimiori exoticarum, ſive in hoſpitium quaſi exceptarum Plantarum cultura, calorisque debiti regimine et exaltatione, in variis ſimul exculta eſt Batavorum Hortis. In Botanicorum

corum Coryphaei, Excell. Hermanni, Horto Academ. Lugd. Batav. exhibente Plantas omnes, quibus ab Ann. 1681. ad Ann. 1686. hortus inſtructus fuit, Ananaſa quoque p. 37. comparet. In Amſtelodamenſi Horto Medico ſingulis annis arte excultam fuiſſe, et ſat magnos et maturos protuliſſe fructus, teſtatur Excell. Comelinus in Hort. Medic. Amſtelod. rarior. Plantar. Hiſtor. T. I. cap. 57. p. 109. Horto quoque ſuo vindicavit, tandemque operi immortali, *Nauvvkeurige Beſchryving der Aardgevvaſſen* CLIX. Hooftſt. p. 494. inſeruit Excell. Muntingius, quo libro e Plantarum inſolentioribus

- - depinxit quicquid ſub cardine naſci
ſciverat Eoo, viderat occiduo.

Eodem pene temporis articulo in Pariſino culta fuit horto, ſi fides adhibenda ſcholae Botanicae Pariſinae Collectori.

Quis Germaniae Hortorum in ſinum ſuum primus receperit, incertum. Quod ſi Hortum Boſianum, quoad Exotica a Celeb. Paul. Ammann. Lipſ. jam Ann. 1686. deſcriptum, inſpiciamus, Ananaſam noſtram Catalogus quidem exhibet: at inſtar ſoricis ſe prodit vir caeteroquin βοτανικότατος, inter reliquos, quos citat Auctores, Horti Malabar. T. III. p. 23. allegando, ubi non Ananaſa Oviedi, ſed Anona Maram, ſeu forte Anona Oviedi comparet, quae Arboris Jakae ſive potius Atamaram, Tab. 29. p. 21. ejusdem Tom. deſcriptae, videtur ſpecies; ut ſic non Ananaſam

ſam noſtram; ſed Anonam vel ſylveſtris Nanae ſpeciem, tunc cultam fuiſſe, haud obſcure innuat. Quippe cum Nana in aliquibus convenire videtur; ſecundum Nard. Anton. Recchum enim in Plant. Nov. Hiſpan. cum Not. Terent. p. 348. et 454. ejus fructus *Abate de Panucho*, totus quaſi e glandulis conſtat, pineae nucis figura; ſecundum Hort. Malabaric. autem fructus conum exprimit, pineae pariter ſimilem, interius albicantem, nec non medulla ſucculenta ſaporis grati odorisque ſuavis refertum. Tantum autem Virum hallucinatum nemo miretur, cum nominis diverſitas facile quem in errorem inducere poſſit. Nec enim *Ananas*, *Ananaſa*, *Ananazes*, *Nana* et *Nanana* apud omnes audit. Cave ergo, ne vocis ſono deceptus, Ananaſam et Anonam confundas, quod a Cl. Ammanno factum: vel Ananaſam et Bananaſam eandem credas, quod Philopono Navig. in Nov. mund. ſive Americ. Rev. PP. Benedictin. p. 53. contigit: cum *Bananas* plane diverſa planta exiſtat, Muſa nempe caudice viridi, fructu longiore, foliato anguloſo; ſive Ficoides vel Ficus Indica longiſſimo latiſſimoque folio, Muſa Serapionis dicta Hort. Beaumont. E delineatione tamen fructus aeri inciſa apparet ſtatim, Ananaſam fructum eſſe; vocisque ſonum aemulum errori anſam ſuppeditaſſe. Vocatur autem a Braſiliae primis incolis *Panacous*, Lerio, *Hoyriri* autem, Theveto teſte, Sinenſibus *Vnglay*, Neuhofio, et *Fan-polo-mie* P. Kirchero ſic ſentiente; Siamenſibus ſecundum Dn. de Loubere *Saparot*, Malabarenſibus *KapaTſiaka*, ut ex Horto Malabarico liquet. Nardus Ant. Recchus illam a Mexicanis *Mazatli*, Oviedus

autem

autem tres ſpecies diverſis nominibus vocari refert, nempe *Yajama*, *Boniama* et *Jajagva*, et quae ſunt alia

peregrina vocabula fructus
pene timenda ſono guttur laeſura loquentis.

Poſt obitum tamen Ammanni, et adhuc illo vivente, in inſtructiſſimo iſtoc Horto, hanc quoque adoleviſſe plantam, nemo ambigit, qui in illum ex omnibus mundi partibus plantarum migraſſe foetus rariores novit: multo tamen citius in Illuſtriſſ. L. B. de Munchhauſen, Potentiſſimi nunc Britannorum Regis, et Elector. Luneburg. Conſil. intim. Horto Svvebbertiano, prope Hamelenſe Fortalitium extructo, cum aevi noſtri praeſtantiſſimis comparando, Ananaſam noſtram excultam fuiſſe, hoc certe evincere videtur, quod ibi aliquot centenae Ananaſarum laete progerminent, cum noſtris in oris vix ſingulae adhuc enaſcantur.

Hoc certiſſime affirmare auſim, in amiciſſimi Volkameri noſtri, Naturae myſtae latentis intimi, Horto domeſtico, tunc ſtatim cum de Ananaſae apud Europaeos cultu fama percrebuiſſet, illam apparuiſſe, caputque inter caeteros rariſſimae notae fructus extuliſſe; ut nunc vegetam, vigentem, floridulam intueri poſſimus, quam Sacchâro incruſtatam tantum et immerſam, effoetam et elanguidam, ante ſeculum in urbe noſtra patria, in Besleriano, nunc Engellandiano Muſeo, Θεῦ διδόντος cum explicatione mox prodituro, conſpeximus et aeri inſculptam admirati ſumus. Adeoque metus R. P. Kircheri vanus extitit,

credentis, Fructum hunc in aliud transplantatum clima μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Nullum enim ſupereſt dubium, accedentibus indefeſſis culturae curis, fore tandem, ut ſolo caeloque aſſueta familiarior nobis reddatur; ſic enim contigit, ut non tantum in hortis, ſed et in Agro noſtro Norimbergenſi, pro ſterili olim arenoſoque habito, nunc illae quoque plantae luxurientur, quas nobis maximis ſuppeditarunt olim ſumptibus

alio ſub ſidere terrae
Trans Indos, extraque vias et ſolis et anni:

ut, quod de Gallia ſua omnium rerum feracisſima Rev. P. Rapinus cecinit, patriae noſtrae et orientali Franciae jure meritoque adaptare queamus:

Eſt tamen omne ſolum Francae Telluris alendis
Hortorum arboribus rurique inſigne colendo.

CAPVT II.

Ananaſae ſpecies. Verae et ſpuriae. Differunt (1) Fructuum α) figura. Ananaſa fructu ovato maximo; gingivam cruentat. Fructu conico maximo, nuci pineae ſimilis. Κῶνος. Auctor libri de Alimentorum Facultatibus quis? Κουκουνάριοι. Interpres Theophanis notatur. Oviedi Yayama. β) Mole. Nana fructu conico minore. Oviedi Jajagna. Haec Nana optima. (2) Foliorum colore et figura. (3) Aculeorum ſitu, frequentia. Nana Americana ſylveſtris ſpinoſiſſima. Colore et abſentia. Sinenſis. Heſſi Error circa hanc. (4) Corona, qua carent ſylveſtres. *Kaidae* ſpecies. ten Rhyne Horto Malabarico deſcriptionem virium addidit.

Nanae ſylveſtris ſpecies. 1) Nana brava Acoſtae fuſe deſcribitur. 2) Nana brava Marggravii, 3) non aculeata *Pita*. *Metla*, Coulejo deſcripta. 4) *Kerbita*. Species *Karaguatae* aquoſa admodum. An *Pinguin*? (5) Ananaſa *Chicariri* ſive Palma Braſilienſis. Auger. Clutii vita et ſcripta. Anona pro Ananaſa. Nana Pacoba.

IN tanta fructus hujus copia fieri aliter non potuit, quam ut in plures ac diverſas ſpecies abiret. Sunt autem vel verae, vel ſpuriae ſive ſylveſtres. De his poſtea. Illarum quoque multiplex differentia petitur *a fructibus*, foliis, aculeis, apice foliaceo aliisque accidentibus. Ratione *fructus* ſunt vel fructu ovato maximo carne albida, videturque haec Ananaſa, quam Rochefortius et Pometus Gallice *Ananas blanc* nominant, quamque Oviedi *Boniamam* eſſe credit Meiſter im Orientaliſchen Kunſt- und Luſt-Gårtner p. 20. Fructum hunc ſaepius octo vel decem pollices habere in diametro, quindecim vel ſedecim vero in altitudine, Rev. P. du Tertre meminit. Carne gaudet albicante, quae in minimas diſſolvitur fibras, cortex autem in flavedinem, tandem in aureum vergit colorem. Maturitati proxima ſuavem odorem exhalat, qualem cydonia, quem tamen ſuavitate ſuperat. Quantum autem elegantia moleque prae caeteris huic accedit, tantum guſtu pretioque decedit, quippe prae reliquis magis inviſa dentibus, ac gingivis cruentationem cauſando infenſior.

Vel ſunt fructu conico maximo, flaveſcente carne, hocque pacto nucibus pineis nominetenus comparandae. Pineas etenim nuces, teſte Pergameno noſtro Libr. VII. de

 Com-

Compoſ. Medic. ſec. Loc. c. 1. veteres κόνους vocarunt, et Cedrenus κώνων καρπούς. Simeoni vero Setho, de Aliment. Facult. Lit. K. §. VIII. edit. Pariſ. Bogd. vel potius Pſello, (hunc enim verum ſcripti Auctorem extitiſſe, et Sethum in Pſellianos labores inſaniiſſe, prodit Chiorum doctiſſimus Leo Allatius, inter ἰατρῶν παῖδας quoque referendus, Diatrib. de Simeon. Script. p. 182.) κουκουνάριοι nuces pineae dicuntur. Circa hanc denominationem ὁμοψήφους habet Nonum de Morb. Curat. cap. 125. et Myrepſum ſect. I. cap. 97. quamvis ultimo non κουκουνάριον, ſed κουκουνάρια audiant. Continuator Theophanis Libr. 3. n. 43. mutilato nomine κουνάρια appellat, ubi interpres *poma eſui apta* minus apte vertit. Glycas in Chronico p. 302. κόναρα et Myrepſus quoque, κωνάρια nominat. Quale cognomen et huic Ananaſae fructu conico adaptari poterit; haec etenim eſſe videtur, quae ad ſimilitudinem Sacchari, in conicam formam effigiati, Gallis *Pain de Succre*, noſtratibus Zucker-Hut/ dicitur. Linſchotanus colo muliebri faſtigiato comparat; *hebben de fatſoen glyk het hooft van en Spinrokken.* Haec ſpecies priori praepollet guſtu, gingivas tamen earum uſui nimium indulgentium, aeque ac altera cruentat. In hac Ananaſa ſemina granulaque coloris, ſecundum Piſonem Hiſtor. Braſil. p. 87. ſubrufi, magis quam in reliquis conſpicua deprehendit Pometus; eamque Oviedi *Yayamam* exiſtimat Meiſterus, quae vocanda prae caeteris prolifera; cum corona bifida trifidaque ſaepius ſuperbiat.

Vt figura, ſic mole ac magnitudine differunt Ananaſae. Datur quippe Nana fructu conico minore carne aurea, et fru-

fructu ovato minore, quae guſtus et odoris gratia ad Poma, Gallice *Reinette* vel *Renette* dicta, accedit, quam ſaporis a reliquis differentiam, forte Linguae Gallicae ignorantia vel ψευδερμηνεία ſeductus, Meiſterus Rhenano Vino aſſimilat, et Oviedi *Jajagnam* credit. Haec omnibus aliis ſaporis odoriſque lenocinio, e Rochefortii Pometique mente, praeſtat; et fibroſa licet carne, ori tamen ingeſta glaciei vel aquae inſtar diffluit, Nectaris Ambroſiaeque fundens delicias.

Sequitur foliorum diſcrimen: haec quippe ratione coloris vel glauca inque margine ſerrata, in Ananaſa praecoci; vel ſubrubentia, in Ananaſa fructu conico minore carne aurea; vel coloris viridis lucidioris, vulgo *Seladon*-Grün/ quibus maculae obſcure virideſcentes inſperſae, marmoris inſtar variegati, margineſque foliorum linea rufeſcente quaſi cinctae, in Ananaſa Indiae vulgo Orientalis habita.

Ratione figurae folia alia lata, alia anguſta, alia in gladii ſpeciem mucronata; obtuſiora alia: ſunt quoque rigida alia et ſupra fructum in faſtigium excreſcentia, demiſſiora iterum alia. Imo novam heic Lectoris oculis *Fig. V.* delineatam Ananaſae ſpeciem ſiſtimus, ex inſtructiſſimo Generoſiſſ. Dn. Baronis de Munchhauſen Horto Cl. Dn. Joh. Chriſt. Volkamero miſſam, cujus folia ab omnibus hactenus recenſitis figura, ceu intuentibus apparebit, diſcrepant.

Aculeorum quoque ſitu, frequentia, colore et abſentia differunt. Verae Ananaſae folia pene omnia ſunt aculeata, ambituſque eorum ſerratus magis minusve, inſtar dentium lucii piſcis. Aculeorum alii incurvi, alii erecti. Da-

tur

tur etiam foliis ſpinoſiſſimis Ananaſa Americana, ſed ſylveſtris flore purpuraſcente, fructu albo lanuginoſo, pugni magnitudine, *Tekus* Americanis dicta, hujus quippe folia

ſpinis horrentia acutis,
reſpiciunt aliis haec ſurſum aliisque deorſum,
hiſpida tota ſuis hamis ſpinisque recurvis
horret.

Diſcernuntur et Aculeorum in foliis colore; vel enim ſunt albicantes, ſicuti in Ananaſa fructu ovato carne albida, vel purpuraſcentes, in Ananaſa carne aurea, foliis obſcure rubentibus. Sunt quoque, quae ſpinis nullis munitae; et quidem Sinenſis vulgo dicta Ananaſa foliis anguſtioribus, rigidioribus arrectis, ſubrubentibus, non ſerratis, marginibus aculeis ſpinisque plane deſtitutis. Heſſus in Horticulturae Libro, vernacula Lingua conſcripto, fingit et pingit Ananaſam Sinenſem; ſed in ejus forte cerebro prognatam; quippe ejus deſcriptionem, quam dedit, ſi figurae tantum delineatae comparaveris, refutationem ulterius non requires. Id tam certum eſt quam quod certiſſimum, quod talem Sinenſem nec Agynenſis Brabantiae, nec Ryſvvicenſis Hollandiae, unquam nutriverit, nec alibi fortaſſe talem quis inveniet. Proin, mi Heſſe,

- - Μακρῦ γε δεῖ σε καὶ σοφῦ λόγυ,
Ὅτῳ με πείσεις.

Diſtingui quoque poterunt Ananaſae foliaceo apice et corona. Verae hac nunquam deſtituuntur; at ſylveſtres pene

pene omnes illis carent. Ad poſteriores omnino referendae Kaidae ſpecies, imprimis *Peni-Kaida-Taddi* Hort. Malab. T. II. Fig. 7. et *Kaida Tsjerria* Fig. 8. cujus fructum haud diſſimilem fructibus Tſiakae pronuntiat Auctor Illuſtriſſ. Florae Malabaricae. Suboluit hoc βοτανικωτάτῳ Commelino, qui in Not. eruditiſſimis ad *Kaidas* annectit: *Quod ad Kaidas attinet, folia Aloës Americanae non ſunt abſimilia, fructus vero fructibus Pinus.* Quid convenientius Ananaſis. Nec viribus multum differunt, quas huic aeterno operi Cl. ten Rhyne addidit; ſic enim ille in Carmine Tom. II. Horto Malab. praefixo canit:

Queîs ego (laus abſit) ſubjeci plurima, Vires
omnes adjunxi, queîs Medicina cluet.

Kaidae ad reliquas notharum ſive ſylveſtrium Ananaſarum ſpecies viam nobis ſternunt; et quidem ad *Nanam bravam* ſive ſylveſtrem Acoſtae, a Cluſio notis illuſtratam, et a Cl. Muntingio in opere Botanico aeri inciſam. Radix hujus Ananaſae noſtrae, craſſa, ad latera fibras ſpargens, coloris bruni pallidioris, ſucci turgida, e qua folia laete virentia, arcte cohaerentia, haud adeo craſſa, aloëticis ſimilia, illis vero, quae in Ananaſis veris repertu dantur, longiora latioraque, propullulant, eodem tamen modo in ambitu mollibus ſpinis crenata, ſpinoſisque cuſpidibus inſtructa. Ex his foliis prodit Truncus haſtae magnitudinis ſecundum Cluſium, vel ſecundum Muntingium altitudinis XXII. vel XXIV. pedum, laevis, admodum rotundus, intus ſucci plenus, mali aurei e Cluſii, vel ceraſi

arboris, e Muntingii mente, craſſitiei. Singulae arbores ſecundum radices ſumma tellure, magnam foliorum comam fundunt, majorum quam quae in arbore ſunt. Rami foliorum ſimul glomeratorum capita proferunt, flaventium admodum et tenerorum, ſuaviſſimi odoris, quae nihil aliud ſunt quam flos ipſe; ex horum ſingulis ſpica prodit, Arundinis ſpicae non abſimilis, ſed craſſior, compactior et elegantior, odore Cedri in terram decidua. E ramis petiolo longiori dependent fructus Ananaſae ſylveſtris, qui cum veris et hortenſibus nonnullam habent ſimilitudinem, Melonis magnitudine, figurae elliptico-ſphaeroideae, coloris rubri elegantis, vel ſecundum Muntingium rubeo-flaveſcentis, oculos oblectantis, integri in partes diviſi, quemadmodum cupreſſini ſtrobili, ſeu nuces exſiccatae, ſed tuberculis foris obſiti, ut procul ſpectantibus magni pini ſtrobili appareant. Fructus (quem pauci deguſtant,) ſapore utcunque ſuavi praeditus eſt, adſtrictionis tamen auſterae et palato parum gratae particeps. Haec ſylveſtris Ananaſa adnatis ſe propagat, aliaeque ſtirpes ex aliis enaſcuntur, praeſertim in ſepibus et hortorum ambitu, quos egregie munit.

Succedat huic ſylveſtri Ananaſae, *Nana brava Marggravii* et Piſonis. Quid vocula *brava* denotet, cum ejus nomenclaturam jam in Parreira brava a nobis deſcripta dederimus, repetere nolumus; eadem nempe eſt ac ſylveſtris, et a Piſone in carduorum familiam, qui nunc humi, nunc altis arboribus ſupernaſcuntur, refertur. Ejus fructus eſt inſignis magnitudinis, ovalis, ad citrulli accedens,

com-

compoſitus e quadrangularibus cylindris in extremitate quadrate pyramidalibus, per maturitatem flaveſcentibus, qui ab invicem ſeparari poſſunt. Cavi hi ſunt inſtar oſſis in capite vitulorum, quod den Mit-Zahn (verius Milch-Zahn) vocamus; continentes granula ovalia innumera pallide flaveſcentia, papaveris majoris ſemine majora, ſuavia et dulciſſimo rore imbuta inſtar mellis. Quodlibet corpus cylindricum ſeparatum exprimitur digitis in os, ac granula illa rore melleo imbuta abſorbentur gratiſſimi ſaporis. Fructus etiam transverſim diſcinditur in taleas. Haec Marggravius, et ex illo ipſiſſimis verbis Piſo in Edit. Secund. Hiſt. Braſil. Anno 1658. edita, qui addit: plura qui volet de hac ſylveſtri Ananaſa ſive Nana brava, adeat Bellonium cap. 40. ſed apud hunc altum de ea ſilentium.

Nanis bravis in catalogo Plantarum Americanarum, novis Plantarum generibus annexo, R. P. Plumier accenſet Ananaſam non aculeatam, *Pita* dictam, id quod a Cl. Tournefortio quoque in Inſtit. Botanicis in partes vocante Plumerium, factum. Cum autem plures Pitarum ſpecies dentur, Aloëticis accenſendae Plantis, foliis in filamenta reſolubilibus, byſſumque ſaepius aemulantibus, e quibus fibris tenuioribus Ananaſae frequens incola, avicularum pulcherrima, (de qua mox pluribus) *Colybri* dicta, exteriora nidi compingit; quae proprie harum Pitarum Ananaſae nomen obtineat, non liquet. Si conjecturae locus, crederemus eſſe illam, cujus meminit in Antillarum Hiſtoria naturali R. P. du Tertre p. 105. *une des deux Pites, qui n'a point des petit picquans aux feuilles comme l'Ananas*; quae ſpe-

ſpecies forte erit *Pati* ſive *Metl* leniſſimum Hernandez, vel Pati ou Mangueis leniſſimo Ximenes; ſive Aloë Americana foliis anguſtioribus ac minoribus ſeu tenuioribus absque ſpinis Moriſonii, quam ſub nomine Aloës purpureae levis in Aloëdario Icone expreſſit, fuſiusque deſcripſit Cl. Muntingius p. 15. Ejusdem accuratam omnino deſcriptionem debemus lepidiſſimo Anglorum Poëtae, Abrahamo Coulejo; quam e Poematum Latinorum ſeu Plantarum L. V. p. 302. huc integram exhibuiſſe ac legiſſe, non grave erit Lectori Benevolo. Ita autem de *Metla* canit:

Omnia ſi Dominus Cacais *edit, omnia pene*
poſſidet in Metla, *nec ſe facit illa monetam.*
Nec Mercaturam exercet: merx omnis in ipſa eſt.
Nec pueris fert illa Nuces, *nec dulcia* Poma
foemineo parit oblectamina vana palato:
Tota arbor ſuus eſt Fructus; *folium omne tenellum*
manditur, et victum in promtu dat ſuave ſalubrem;
quod ſimul ac vires aetate acquirit adulta,
texitur in veſtes; neve inſtrumenta deeſſent
artifici, ſummo ſtat Spina *cacumine frondis,*
et fit Acus *ſartori,* acus *et ſua* fila *cohaerent.*
Vritur immodico vicini lumine ſolis
terra ſiti damnata, hîc vivus cortice ſciſſo
fons liquidae prorumpit aquae, quae leniter arctis
percolata viis, longo Maeandria *flexu*
fibrarum, nulloque tamen vitiata colore,
jucundum virgo *trahit intemerata ſaporem.*

Hoc

Hoc ſatis eſt Hominum naturae, *ſed* tibi *non eſt*,
prodiga Metla, *ſatis. Quaeruntur dulcia?* Mellis
inſtar habes; acris delectat guſtus? Acetum *es*.
Parva loquor, Vinum *es*, *generoſo pectora ſucco*
laetificas, quacunque ruis, curamque metumque
pauperiemque gravem pellens, velut aurifer amnis,
influis in venas; per te miſerabilis Indus
dives adhuc, liberque ſibi, dominusque videtur,
et Rege Hiſpano *eſt aliquando beatior ipſo.*
Si dubitat quisquam, nec poſſit credere Vinum,
quam modo vidit Aquam, *pleno ſe proluat hauſtu:*
(Nam quis aquae parcat?) factam de ſimplice Nympha
ſentiet eſſe deam, et vim numinis ipſe probabit.
Delicias fundens tales, Medicamina ſudat.
Cortice diſtillant unguenta potentia cocto,
et pretium eſt lacrymis, quantum non ulla mereri
gemma poteſt, oculo pulcrae nec blanda puellae
gutta tremens, cum ſe pavitantem dedit amanti:
Non illis rabidi praeſentior ulla veneni
Antidotus, *medicant medicatae cuſpidis ictum,*
et gemina exarmant armatas morte ſagittas.

Ananaſae quoque ſylveſtris nomine nota *Kerbita* dicta Cl. Hermanno Prodr. Parad. Batav. quae Caraguatae ſpecies eſt, quarum plures e Ximene recenſet Laët. Not. in Marggrav. Vocatur alio nomine *Karata* et *Karouta*, detorto forte a Karaguata nomine. Piſo mentionem injicit ſpeciei, quae ſaxis horridis et montibus adhaerere

 con-

conſpicitur; fructu fatuo quidem, ſed purpurei coloris inſigni, quem *Ananaſam ſyl-veſtrem* quis dixerit, ſemine numeroſo turgentem, foliis vere craſſis denticulatis, amplis, et inſtar dipſaci incurvatis; quae aliquando medium ſextarium plus minusve aquae limpidiſſimae continent, maximo eorum ſolatio, qui per loca deſerta, nullisque fontibus irrigua iter facientes ad haſce Plantas confugiunt, et ſitim reſtinguunt. Sicut Piſoni haec ſcribenti non ſemel contigit, cum indigenis mediterranea loca perluſtranti. Videturque hujus eſſe ſpecies Ananaſa Americana ſylveſtris altera minor Jamaicae et Barbados Inſulae, colonis ibi degentibus *Pinguin* dicta, de qua Excell. Plukenet Phytogr. T. 258. f. 4.

Vocatur quoque *Anana chicariri*, Palmae quaedam ſpecies apud Marggravium Hiſt. Plant. cap. 3. p. 16. Piſoni de Facultat. Medicam. ſimpl. Libr. IV. cap. 10. p. 62. vocatur *Ana checariri*. Eſtque haec ſecundum Exc. Rajum Hiſt. Plant. p. 1318. Palma Braſilienſis prunifera folio plicatili ſeu flabelliformi, caudice ſquamato. Plura de hac Anana chicariri ſuppeterent, ni invida ſors opus de Palmarum ſpeciebus, ab Augerio Clutio in tractatu de Cocco Maldivenſi et Hemerobio promiſſum, nobis quod dolendum ſurripuiſſet. Praecipuis certe Hiſtoriae naturalis Scriptoribus et Botanicis annumerandus hic Auctor, qui jactis ſub Patre Theodoro Clutio, Horti Medici Lugd. Batav. Praefecto, in re herbaria fundamentis, Gallias percurrens in Monſpelienſi tandem Academia a Cl. viro, Richerio de Bellaval, duobus pene annis vicarius Botanici adoptatus eſt. Hinc

Horti

Horti Regii Medici Monſpelienſis gratia in Africae interiora penetrans, ut quicquid ibi novum aut minus viſum naturae beneficio, pro ſoli et caeli diverſitate natum, in Europam redux referret; ſed obſtitit bonis his conatibus ſors inimica: ter quippe captivus inveſtigationis laudandae poenas luere coactus eſt. Regis equidem Mauritaniae diplomate ter in libertatem reſtitutus, excuſſus tamen omnibus iis, quae ſimplicium teſſellas floridiores reddere poterant. Belgio tandem Patriae redditus, praeter jam citatas de Cocco Maldivenſi ſive Nuce medica, et Ephemero ſive Hemerobio diſſertationes, Theſaurum Exoticorum meditabatur, in quo ex Indiae orientalis occidentaliſque armario melioris ſelectus ſimplicia conſarcinarat, Cl. Bontii Plantarum Indicarum orientalium deſcriptiones ulterius illuſtraturus et dictaturus. Habebat et ſub manibus Tractatum de Palmarum ſpeciebus: quae omnia in ſpongiam forte incubuere. Haec occaſione Ananae Chicariri de Augerio Clutio, dicta ſunto, qui minime cum Cluſio confundendus, quod a Viro caeteroquin eruditiſſimo nuperrime factum memini.

Anona quoque Oviedi inter Ananaſas relata a Cl. Ammanno in Horto Boſiano: ſed cum hoc de errore alibi jam dictum, hîc non ulterius immoror.

Nana quoque *Pacoba* vocatur a Moriſoto Bananas ſive Muſa: ſed haec, uti ſupra jam innuimus, toto caelo a noſtra Ananaſa differt.

CAPVT III.

Radicis externae conſideratio. Major primus Anatomen Plantarum tentavit. Radicis partes internae: Vtriculi, fibrae, tracheae. Caulis exterior. Ejus interiora Cinarae congruunt. Cinarae deſcriptio e Malpighio. Folia pro ſpecierum varietate variant. Deſcribuntur ex Horto Malabarico. Foliorum ordo, aculei, figura, color, gemma, quae Plantae mater. Structura interior, eadem quae in aliis craſſioribus e Malpighio deſcriptis. Fructus. Ejus capitulum Strobiliforme. Apex foliaceus omnes Plantae partes continet, ut et ſurculi laterales. Flores cui Claſſi inſerendi? Florum color, ſtamina, ſtilus. Seminum receptaculum, forma. Circa hanc Heſſi error. Illorum valvulae. Ananaſae in Inſula Bourbonia et Horto Volkameriano ſemine deſtituuntur. Fructuum Caro, corculum. Fructus transverſim diſſectus detegit plexus reticulares, tracheas, globulos, utriculos.

PLantam ipſam, quoad omnes rimari partes, acutiusque inſpicere, animus eſt. Firmatur igitur *radice* carnoſiori craſſiuſcula, quae non quidem leviter in ſummo terrae haeret, et ſuper illam fibras nudat, ſed deorſum deſcendit, multisque apricatur fibramentis; ceu ex icone apud Nard. Ant. Recch. Hiſtor. nov. Hiſp. Libr. VIII. c. 78. patet. Non nimis quidem longa eſt, coloris, ſecundum Exc. Muntingium, bruni pallidioris, (*bleekbruyn verbig*) undiquaque tamen longas, capillatas nonnihil nodulatas ſpargit fibrillas, ut Illuſtr. Horti Malabar. Auctori placuit Tom. XI. Cardui edulis radici per quam ſimilem pronuntiat Acoſt. Arom. Libr. c. 44.

Ad internam ſtructuram quod attinet, partibus continentibus, quae vaſa ſunt, et contentis ſive ſuccis, eas non deſti-

deſtitui, nullus dubitabit, cui Malpighiana et Grevviana in eruenda Plantarum Anatome, ſtupenda diligentia, improbusque labor notus. Quamvis, ut verum fateamur, neque in Patriam noſtram nosmet ipſi ſimus injurii, inventionis gloria, non Anglis ſolum, non Italis, ſed Germanis noſtris, et quidem maximo *MAIORI*, Kilionenſium quondam Podalirio, ſit tribuenda, ceu ex ejus Planta monſtroſa Gottorpienſi omnibus clarum.

Gaudet itaque Ananaſae radix, veſiculis utriculisque, ceu parenchymate, plerumque ſphaericis, oblongioribus interdum, in ſe mutuo hiantibus, magnitudine tamen differentibus, liquore limpido, nonnunquam vapore roreque turgidis, qui per membranarum, ex quibus utriculi conſtant, poros ſe inſinuant, cum patentior janua, qua intrent, non detur; licet Excell. Malpighius, utriculos in ſe mutuo hiantes et pervios faciat. Praeter utriculos fibrae, ſive vaſa ſuccifera, radicis ingrediuntur compoſitionem, lympham ſeu ſuccum ſpecificum Plantae deferentia, cui fiſtulae aëri excipiendo et derivando deſtinatae, tracheae nempe Malpighianae, accedunt, quae omnia cum adeo parva ſint, ut ſine microſcopio aegre conſpiciantur, oculosque nudos, non tamen acumen mentis ingeniique fugiant, ab ulteriori examine deſiſto, quae in ſenſum incurrunt, in Horti Malabarici ſtupendo opere reperiunda, annectens. Media nempe pars obtortae radicis formam obtinet, primae radiciformes ſcaturigines externe trunci lamellae inſeruntur, foliaque inferiora perforant, et quidem illic loci, ubi folia decidua aliquantulum putrefacta maxi-

 me

me conſpicua, foliis vero vegeto virore expanſis, evaneſcunt; laterales radiculae triplicem nobis oſtendunt phaſin; prima ſubfuſca eſt et filamentoſa, altera lignea albicans muſcoſa, tertia ſive medullaris nervea, praedura et admodum firma.

Succedit radici pars proxima *caulis*, inter folia e radice exſurgens; nec enim quoad mediam partem ſub terra vegetat, quod nonnullis viſum, teſte et refutante hoc Bosmann. Voyage de Guinee Lettr. 16. p. 316. Numero is eſt unicus, rotundus, rectus, ſine ſtolonibus, duobus tribusve tamen foliolis ſecundum Excell. Comelinum in Hort. Amſterod. obſitus. Ipſe caudex eſt tripedalis, ſi fructum annumeres, pro climatis tamen ratione varians, craſſiolus pollicis ferme latitudinis, viridi nitente glabro cortice obductus, qui ſemiannulatis geniculis interdiſtinguitur. Quoad interiora, nec utriculis, vaſisque lymphaticis, nec tracheis, aeque ac radix, deſtituitur, humorque in vaſis contentus ſubdulceſcens pronuntiatur Ill. Hort. Malab. Collectori. Cumque ad Cinaram nonnullis accedere videatur haec planta, imprimis quoad internam lignoſam ſubſtantiam, teſte Dn. de Loubere dans le Voyag. de Siam, nil impedit, quin credam, caulem quoque, quoad ſtructuram internam cinarae congruere, quam indefeſſa Malpighii cura ſequentibus delineavit: Varii, inquit, fibrarum faſciculi in cinarae caule compaginantur. Interdum triplex fiſtularum lignearum collectio A geminos trachearum ordines B. intercipit et ambit, quandoque gemini trachearum faſciculi A. unicum fibrarum acervum B. amplexantur et urgent.

Circa

Circa *Folia* diſcrepant Auctores, cum et Ananaſae ſpecies varient, quod pluribus a nobis jam demonſtratum. Sic Thevetus junci foliis latis, Cluſius Aizoi aquatilis foliis, Oviedus cardui generi aſpero et ſpinoſo, Neuhofius vel ſempervivi vel Aloës foliis eadem ſimilia pronuntiant, conſentientibus duumviris Hiſtoriae Braſilienſis ſolertiſſimis, Marggravio Hiſtor. Plantar. Libr. I. cap. 16. p. 33. et Piſone Hiſt. natur. et Medic. Braſil. Libr. 4. p. 195. Edit. ſecund. A. 1658. In prima enim Anno 1648. omiſſa ſunt.

Secundum delineationem in Horto Malabarico conſpiciendam, qua nemo alius meliorem dabit, folia ex ſemiannulatis erumpunt geniculis alterno ordine, illorum bina totam trunci peripheriam arctiſſimis amplectuntur vinculis, inferiori parti confertim, ſuperiori laxius trunco adnectuntur; oblonga ſunt, ſupra fructus in faſtigium excreſcentia, ſinuoſa, ſenſim in cuſpidem aculeatum ſtricta; vel, ut Piſo loquitur, in gladii ſpeciem mucronata, interiori parte concava, fibris in utraque ſuperficie laxioribus et fungoſis pertexta, regularique nexu procedentibus, quarum interiores caeteris majores, craſſiores ac valde durae; ubi radiculas ejaculantur obliquo, ſecus recto ductu procedentes, candicantes: Interior ſinus ſubvirideſcit, illius latera ad unius circiter digiti craſſitiem fuſco virore nitent.

In laciniis *aculei*, congruo et quaſi artefacto ordine infiguntur, inſtar dentium lucii piſcis, ut Marggravius l. c. loqui amat. Vnumquodque folium in duas diſpeſcitur laminas, cujus convexa pars rarioris, concava autem denſioris ſtructurae eſt; folium ordine ſextum, per univerſum

 hunc

hunc truncum, aliud recta e diametro oppoſitum habet, adeo ut totus truncus Hexagonus, ob circularem et cochleatam foliorum compaginem, dici queat; ſemilunares foliorum ungues concinna inſertione trunco firmiter adhaereſcunt, ſuperiori vero membranula, reliquae foliorum ſubſtantiae, virideſcentibus fibrillis agglutinantur.

In oris folia haec muniuntur ſpiculis, ceu aculeis denſis, rigidis, acutis ac incidentibus, verſus cuſpidem parumper incurvis, non tamen aduncis; inferior pars circa caulem ad duos tresve pollices ſine aculeis eſt; textura illorum rigida, craſſa, denſa, ſpiſſa, venulis parallelis, ex unguiculis ad cuſpidem, quae durior paulo et rigidior ſtriata; quae ad inferiorem caulis partem prodeunt, oblongiora ſunt; in vetuſtiori planta ex viridi ſubflaveſcunt, ad oras ex flavo rufeſcunt, ut et in ſpiculis aculeatis, in parte ſuperiore, extra oras rubeſcunt, colore ſaturo roſaceo, in parte nempe ima ac interiori; in exteriori incarnate rubeſcunt, in ſuperiori flaveſcunt, vel, ſecundum Neuhofium, aurantii ſunt coloris; circa latera ſubincana pubeſcunt lanugine, farinaceo ac albicante rore conſperſa.

Superiora una cum inferioribus ejusdem ſunt figurae, circa caulis cacumen interius in una parte ſanguineo-ſaturo ac vivido nitente rubore ſuffuſa, albicantibus punctis interſperſa, roſam tulipamve marmoream diceres, verſus cuſpidem fuſco et nitente virore, vel etiam ſanguineo, ſi teneriora ſunt, in exteriori latere colore vivido incarnato, ſuperne virideſcentia, vel ejusdem incarnati coloris, farinacea quoque nive, qua color ille incarnatus, ceu viror in foliis

liis obfuſcatur, conſperſa; nive hac remota, ipſe foliorum color plenius ſeſe conſpectui offert. Singulorum foliorum apices praeduris aculeis mucronantur: unumquodque folium gemmam continet, quae licet perexigua, integram tamen plantam perfectiſſime in ſe comprehendit, pedunculo trunci circuitui, exteriori nempe ejus lamellae, inſertam. Hoc tamen notandum, folia pro varietate ſpecierum Ananaſae, coloribus, aculeis, ſpinarumque ſitu differre.

Si interior ſtructura ad microſcopii normam exigitur, crederem, eam non aliter ſe habere in Ananaſae foliis, ac in aliis craſſioribus, utriculorum maxima copia feracibus, de quibus ſequentia ad majorem illuſtrationem immortalis gloriae Malpighius promit: Lacerata cuticula, dum ſenſim coſtulae evelluntur, appenſae utriculorum ſeries reticulariter implicitae reperiuntur, quibus tota folii latitudo et craſſities excitatur. Sunt autem utriculi ovalis figurae, et inaequalis etiam, invicem contigui, tunicaque in modum veſicae laxata componuntur, quae ligneam fibram et tracheam ſecundum longitudinem ad centrum excurrentem, amplexatur ipſique haeret; unde laceratione utriculi frequenter manifeſtantur.

Sequitur nunc *fructus*, in quo *flores* quoque proveniunt. Excreſcit in caule unicus, cacumini ejus inſidens, veluti nodus, ſuperioribus foliis inferne ſuccinctus, Strobiliformis Pini Italici fructum referens, cinarae inſtar, foliis futurorum florum operculis eleganti ſpecie conſtructis, atque in modum cochleae (ſi nempe a laeva verſus dextram foliorum ordines inſequaris, alias rectius inſurgunt,)

 ipſum

ipſum fructum obſequentibus, ita ut ſextum in ordine, ſemper e diametro aliud oppoſitum habeat, ubi bina ad latera paria circumſtant. Foliis hiſce rhomboidaeis, cuſpidatis, ſurrectis, rigidis, ad verticem ſenſim minoribus, etiam in oris, cuſpidibus ſeu aculeis parvis ac rigidis munitis, venis in longum, verſus cuſpidem ſtriatis, anterius ſanguinei ac nitentis coloris, ut et exterius, ubi albicante farina obfuſcatur, in unguiculis videſcentibus.

E vertice Strobiliforme oblongum capitulum, vel pulchram potius roſam foliaceam emittit; in germinationis exordio, perinde ut caetera fructus folia, rubram, atque in accretione virideſcentem, ſed ubi lanuginoſa tunica obvelatur, purpuream; in ſui principio arcte, congruo tamen ordine compactam, ſenſimque magis expanſam, in apice ſplendide virentem. Integer fructus pyramidalibus conflatur capſulis, ab interiore caule ad extimum corticem decurrentibus.

Foliaceus apex, qui fructui inſidet, nonnunquam ſimplex, alias multifidus, radicum, facile hic ſeparabilium, ac lateralium ſurculorum primordia in ſe continet, quae radix non minus ac ſtylus, fructus medietatem permeans, partibus continentibus, vaſculis puta ſucciferis, et tracheis ſive aëriferis, idemque et contentis ſive ſuccis ſpecificis, gaudet, ut non mirum, ipſum verticem easdem, quae in tota planta ſunt, partes includere; idem etiam, ſi obtutum acuas, in lateralibus plantae ſurculis, propagationi ſicuti foliaceus apex deſtinatis, videre eſt.

Ad *Flores* tandem devolvimur, qui in fructus vertice e fo-

e foliaceis tuberculis in Europa noſtra, Commelino teſte, Menſe Majo vel ineunte Junio prodeunt, e vertice oculorum ceu gemmularum exſilientes, quae per totum, cortice excepto, ad verticem fructus, ubi foliis denſioribus veſtitur, ad ipſorum foliorum unguiculos extuberant; ſuntque florum conceptacula, quarum pedunculi florum calices, in fundo rotundi primitus clauſi, poſtea transgreſſum floribus concedentes, deciduisque floribus ſemet conſtringentes concreſcentesque evadunt. Gemmulae de caetero follicoſae ſunt, et nonnihil ad latera compreſſae, conformatae ex tribus rotundiolis, craſſis, rigidiuſculis arcteque convolutis foliolis, quae ad ſe invicem ſunt conſtricta, coloris exterius ſanguinei et nitentis, albicante farina, quae ruborem obfuſcat, conſperſae, intus virides et aqueae. Flores ex hiſce gemmulis follicoſis exilientes tripetali ſunt, oblongi, ad verticem rotunde cuſpidati, ſuperiori parte ſtricti, inferiori convoluti, ubi arcto orificio, a gemma follicoſa, cujus fundo ſunt inſerti, tanquam a ſuo calice arripiuntur. Hinc factum reor, ut ab incomparabili Chriſtianiſſimi Monarchae quondam ArchiBotanico Tournefortio, e mente quidem Rev. P. Plumerii floribus monopetalis, veluti infundibiliformibus tripartitis fuerit annumeratus, reclamantibus licet Illuſtr. Sloane in Catal. Plant. Inſul. Jamaic. et Comelino in Hort. Amſterod. qui tripetalorum Claſſi aſſeruere.

Colorem florum quod concernit, ad verticem ſunt caeruleo ſaturi, inferne albicantis, petalis marceſcentibus e rubro fuſceſcunt. Acu certe nil fingi, nil pingi poteſt peni-

penicillo nobilius admirabili floſculorum horum concinnitate, caeleſtem Thavmantiam ſeu Iridis arcum, ſi radii ſolares rore adhuc madentes colluſtrent, oculis exhibente, teſte autopta Rochefortio:

Sicut enim varios adverſo ſole colores
hic trahit, et viſu pulcherrimus aëra ſulcat:
ſic quoque veſtitur variorum flore colorum
Ananas, ac gremio late explicat alma virenti
purpureo, macula radiantem verſicolore.

Stamina floſculis inſunt ſex, flavis, ſurrectis et oblongis dotata apicibus, quorum tria foliorum interſtitiis, reliqua ſupra inciſis e lateribus infiguntur foliis, ac fundo gemmae follicatae ſe inſerunt. *Stylus* in illis eminet unicus, candidus, ſuperne bifidus, trifido apiculo, cujus quodlibet interſtitium biſecatur, et criſpatur inſtar lilii. Flores e gemmis cuſpide acuta purpurea prominent, quorum qui in inferioribus gemmulis ſunt concepti, citiores exiliunt, qui in ſuperioribus tardiores, etiam in ipſo vigore anguſtis oſculis hiantes.

E regione ſtaminum, quae non ipſis floribus, ſed florum interſtitiis inſeruntur, ſepulta jacent *ſemina*, in quovis nodulato tuberculo, floris retinaculo, terna ſingularibus cancellis, triangulari forma, qui trigona quoque infarcitur ac diſtinguitur membranula, ſecluſa, ubi affabre factis, nerveisque catenulis rotundiuſculis colligantur corollis, quarum fimbriae eleganti rotundarum gemmularum cingulo obveſtiuntur, binos inter colliculos, ſicuti pinealis glandula inter cerebri nates, recumbentibus. Quoad ſemina

ipſa,

ipſa, parva ſunt, plana, pyriformia. Cl. Tournefortius e Plumerii mente reniformia pronuntiat, calyptra ſive involucro tenui, Gallice *Coiffe* dicto, obvoluta. Liquet hinc, quomodo Heſſus in Horticultura ſua, uti in plurimis, ſic quoque circa Ananaſae ſemina ineptiat, cum citri ſeminibus ſive granis aſſimilet. Vbi praecocia, albicant, matureſcentia apicibus fuſcis dotantur, plusquam matura, caſtaneas fuſcedine aemulantur, atque in valvulis ſeu cavernulis, quae intra carnem, proxime ad corticem, vel gemmulas floriferas conſitae ſunt, reperiuntur, rarius in una capſula bina. Ipſae *valvulae* oblongae ſunt, in longitudine verſus medium ſtylum fructus, utpote corculum, directae, atque in illa parte, quae magis ad ſtylum accedit, ſtrictiores ac veluti membrana nitente candida obductae, et plures ad ſingulas gemmas follicatas, exſtantes. Semina haec ſive Granula Ananaſis in Inſula Bourbonia ſive Maſcareigne abjudicat Dellon dans la Relat. des Ind. oriental. c. 3. Et certe in illis, quae amiciſſimi Volkameri noſtri Hortus producit, uti ſaepius mihi retulit, defuere, id quod in malis quoque aurantiis citriisque in climate noſtro prognatis, ſaepius fieri aſſolet.

Putamine hactenus fracto, nucleum pulpamque fructus maturi tandem inſpiciamus. Caro ex albicante (pro varietate tamen fructus,) flaveſcit, ſucculenta, ſaporis prae caeteris fructibus gratiſſimi, acido dulcis et vinoſi. In Fructus meditullio ſtylus ſeu corculum eſt oblongum, rotundum, duriuſculum, ex albo flaveſcens, carne ſubdura, quae lignoſis intus eſt pertexta fibris, teſte Flora Malabarica.

Crederem, ſtylum hunc per fructus longitudinem ad coronam foliaceam usque pertingentem, nil aliud quam caudicis caulisque prolongationem e variis fibrarum faſciculis compaginatam, ubi mox triplex fiſtularum lignearum collectio, geminos trachearum ordines intercipit et ambit, mox gemini trachearum faſciculi unicum fibrarum acervum amplexantur et urgent, ceu ſuperius innuimus. Qua autem ratione ſtylus hic ſive corculum ad pinnam ſive faſtigium foliaceum fructus pertingat, e figura Turnefortiana, ubi fructus per longitudinem diſſectus exhibetur, pateſcit.

In fructu transverſim inciſo Lectorisque oculis exhibito, oblongae et radioſae ſtriae apparent, e corculo ſive ſtylo medio ſeu meditullio fructus egredientes, et ad corticem excurrentes, quarum caro magis ſucculenta et flaveſcens; continet enim pulpa Ananaſae fibrarum reticulares plexus, una cum contentis tracheis; et globulis ſive nodis, acido dulcem ſive vinoſum ſuccum continentibus, firmatur; areae vero utriculis lympham aſſervantibus perbelle replentur, atque hi in meditullium hiant, veluti in corde accidit, carneis lacertis et fibris valvulas inibi firmantibus.

CAPUT IV.

Plures de Plantarum Charactere ſolliciti. Difficultas ab Anomalis. Plumier illam temperare inſtituit. De Ananaſa nihil determinat. Quidam ad Cinaras referunt. Harum Character e Columella et Hermanno. Alii ad Carduos. Kircherus notatus. Alii ad Aizoa, ad Melones, Braſſicam. Nonnulli Nuci Pineae ſimilem volunt. Nonnemo Palmae ſpeciem facit, male. Strobilus Indicus. Cur ab Hiſpanis *Pinas* vocetur? Rajus anomalis vel pomiferis infert.

infert. Pinea nux inter Poma. Poma Fructus omnes δενδρῖτες. Male a Paulo ICto excluduntur. Nux eſt Molluſca. Sloane herbis flore tripetalo, Turnefortius flore monepetalo annumerant. Volkamerus inter baccifera. Ejus methodus Plantarum.

INter feliciſſima ſeculi noſtri Inventa hoc quoque arti noſtrae acceſſit, ut poſt primos et imbecilles adhuc conatus Caeſalpini, Columnae, Gesneri, Zaluzanii a Zaluzaniis, Bauhinorum aliorumque, de vera Plantarum methodo, principes Botanici ſtudii viri, Jungius, Moriſonius, Rajus, Hermannus, Rivinus, Tournefortius, de plantarum certo characteriſmo, cogitare ſerius coeperint. Hoc a floribus et ſeminibus, cum perianthiis et capſulis, vel ſolis, vel junctis deſumpto, innumerum tandem plantarum numerum certis claſſibus, ordine et ex artis lege digeſtis, inſerere, et quas exterae regiones primum viſui noſtro offerunt, diſcernere ſtatim certoque quaſi Lari aſſignare docuerunt; ut hoc ipſo carnificina illa memoriae, qua nuda olim plantis impoſita nomina in futuram oblivionem mandanda fuere, liberati ſimus. Licet vero tanta ipſis debeamus; harum tamen methodorum nulla tam infallibilis, tam congrua adhuc exſtitit, ad quam, ad regulam quaſi Lesbiam, cunctae cognitae regulareſque plantae examinari, nedum irregulares illae, ſingulares et anomalae cogi poſſent, tanquam exceptiones a regulis generalibus, ad libertatis ſcilicet naturae, nullis legibus obnoxiae, oſtentationem, ut Excell. Raji verba mutuemur. Addit vir immortalis gloriae, Hiſt. Plant. T. I. *Si natura rei id pateretur, humanam tamen hoc non admittere condi-*

conditionem. Cum enim Plantarum numerus ingens exiſtat, in his aetatis anguſtiis, memoriae imbecillitate, intellectus inadvertentia et caligine; quis adeo univerſalem ſpecierum omnium notitiam, adeoque claram et diſtinctam ſingularum, ſe unquam aſſequi poſſe ſperet, ut tali operi ſufficeret. Quis adeo circumſpectus eſſe poteſt, ut ad omnes omnium convenientias et differentias attendat, easque ſub uno quaſi intuitu comprehendat; quod tamen ad eas inter ſe conferendas neceſſarium eſt.

His defectibus ſupplendis, cum praecipue tot incomperta adhuc nobis Europaeis plantarum Americanarum genera cerneret Rev. P. Carolus Plumier, (quem jam alibi laudavimus,) ordinis Minimorum in Provincia Franciae, et apud Inſulas Americanas Regius Botanicus, tribus peregrinationibus ab Anno 1689. ad Annum 1697. Americanas regiones perluſtrans, cunctarum Plantarum, cunctorumque Animantium Catalogum deſcripſit, delineavitque. Haec dum agit, nova ſimul Plantarum Americanarum genera cum orbe communicat erudito, plantasque incertas certis generibus inſignit, quando characterem generis e florum et fructuum conſtitutione, ac nomenclatura, partim ex Indicorum Botanicorum libris, partim e celebriorum Botanicorum aut Botanophilorum nominibus deſumit.

Non equidem comparet Ananaſa noſtra inter nova Plantarum Americanarum genera Pariſ. 1703. in 4to edita; in Catalogo tamen Plantarum Americanarum, huic opuſculo annexo, Ananaſae ſpecies recenſentur, cum Excellentiſſ. Tournefortius in Inſtit. Botanic. jam plantas nonnullas, a Plumerio ſecum communicatas et depictas, quas inter

Ana-

Ananas, in Appendice ad novum Plantae genus revocaverit quidem, nil certi tamen determinaverit.

Quod ſi viri ad ſtudium hoc perficiendum penitus nati hic caecutiant, quid mirum, ad diverſa Plantarum genera a diverſis priorum temporum Botanicis Ananaſas fuiſſe relatas?

Et illi quidem, qui ex Hiſtoriae naturalis ſcriptoribus primitus Ananaſae fructum inſpexerunt,

atque caput cinarae compar, ſed acutius atque pulchrius;

Cinaram Indicam pronuntiarunt, ſed pungentibus deſtitutam aculeis, quod inter plures alios Oviedo, Acoſtae et tandem Bontio aliisque placuit; Columellam, qui graphice Cinaram deſcripſit, in hypotheſeos patrocinium allegant, Libr. X. canentem:

Hiſpida ponatur Cinara, quae dulcis Jaccho
Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti.
Haec modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrteolo modo crine viret, deflexaque collo;
Nunc adaperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc ſimilis calatho, ſpinisque minantibus horret;
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Apte haec omnia in Cinaras, hodie *Artichaut*, dictas, quadrant; in Ananaſas minime: nam licet Cinarae caput conum pineum aemuletur, in reliquis tamen tantum diſtant, quantum aera lupinis, cum inter plantas angioſpermas capitatas, pappeſcentes floribus fiſtuloſis referantur a

Celeb. Leidenſium quondam Botanico Hermanno Cinarae, quae notae ad Ananaſas minime trahendae.

Oviedus et poſt illum Caſp. Bauhinus in Pinace, aliique Carduum Americanum foliis Aloës vocarunt. Hinc et Ambroſinus Phytograph. P. I. T. I. p. 2. *Aberam*, fructum exoticum Braſilienſem, (quo Ananaſam nomine intelligit,) cardui ſpeciem pronuntiat; quod a Joh. Bauhino in opere Botanico, ejusque Epitomatore Chabraeo factum, qui ad capitatas ſpinoſas ſive carduos referunt. Etiam Rev. P. Kircherus Chin. illuſtr. p. 189. huic Carduorum claſſi inſerendam putat Ananaſam; annexa tamen hac ridicula epicriſi, cui nemo unquam applaudet, experientiae quippe e directo contraria; hanc nempe cardui inſtar, quam cartejofoli vocant, pullulaſcentem Plantam, in Europaeo climate tandem conſitam, in carduum domeſticum degeneraturam.

Lobelius Aizoi majoris ortu perſimilem, Acoſtae autem doctiſſimus interpres in Notis, Aizoi aquatici facie exoticam plantam, eſſe aſſerunt. Hinc Bosmannus in Guineae deſcript. Gallicae Plantae *Joubarbe* dictae, (quo nomine et Sedum et Telephium intelligunt) aſſimilat. Neuhofius Meloni quoad fructum, alius Braſſicae Cypriae, ſimilem faciunt, quippe quae foliorum loco in caput conglomeratorum caulem in medio habet craſſum, albidum, mollem, palato gratiſſimum et florem referentem, unde Cauliflorae nomen.

Plurimi tamen, penes quos et regionis et fructuum prima inventionis laus, Nucis Pineae in Ananaſa ſimilitudinem ſe repe-

reperiſſe crediderunt. Audiamus Petrum Colonum, a quo vocatur: *certa frutta que parean pigne verdi come le noſtre, benche aſſai maggiori et dentro piene di maſſicia polpa, come il melone et di molte piu ſoave odore et ſapore.* A Ximene vocatur *Pina de las Yndias, que los Yndias ilaman Mazatli.* Petrus Martyr ſcribit: eſſe fructum ſquamoſum, Pinus nucamentum, aſpectu, colore, forma aemulantem: cui pollicem premit Maffejus Hiſtor. Indic. Libr. II. p. 31. qui, cum cunctos Indiae fructus recenſuiſſet, tandem in haec erupit verba: *Verum ex omni genere palma tribuitur* (qui Indicem Maffejano operi adjunxit, e male conceptis et intellectis his verbis, Ananazam palmae ſpeciem in Braſilia finxit) *iis, quos vulgo Ananazes appellant. Planta eſt humilis, cujus e ramis veluti pinea nucamenta dependent praemollia, haec ſuo tempore in fruſta diſſecta gratiſſimo ſapore ſimul et odore, non recenti tantum edulio ſunt, verum etiam in longum tempus adſervantur e Saccharo.* Quae ipſiſſima Maffeji verba Caſp. Barlaeus Hiſtoriae rerum per octennium in Braſilia et alibi ſub praefectura Comitis Mauritii Naſſovii geſtarum, inſeruit. Quos hactenus citatos Auctores potiores veteres recentioresque Hodoeporicorum et naturalis Hiſtoriae ſcriptores ſequi deberent, quorum Catalogum poſt Illuſtr. Sloane Catal. Plantar. Inſul. Jamaic. congerere nolumus, quis enim poſt Homerum Iliada?

Hinc Monardi et J. Bauhino T. III. Libr. 25. p. 94. vocatur Strobilus Indicus ſive Nux Pinea Indica. Addidit tamen probe Oviedus, citante Dalechampio in Hiſtor. Plantar. Lugdunenſ. fructum, quem Hiſpani a Pineae nucis

ſimi-

ſimilitudine *Pinas* appellant, non ideo nominari, quod ejusmodi ſquamas lignoſas habeat; ſed quod ejus cortex ſimili modo diſtinctus videatur, tametſi non ſquamatim, ſed Peponis modo cultello integer auferatur.

Recentiores Botanici, qui in Plantarum intimiori et accuratiori ſcrutinio omnem poſuerunt operam, cui generi apte accenſenda Nana, dicere muſſant. Excell. Rajus, Botanices totius fidiſſima Pharus, ad Anomalas Plantas refert, tandem ob convenientiam aliquam, Pomiferarum claſſi ingerit Libr. XXIII. ſect. 3. cap. 6. p. 1332.

Scilicet et Pinea nux ad pomifera olim referebatur, quam diſertim Pomum vocat Ἐπιγραμματοποιὸς Bilbilitanus:

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede, Viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Id quod e Caſcellii Jurisconſulti joco forte Poëtam hauſiſſe credit Cl. Nonnus de re cib. Lib. I. c. 43. p. 140. de quo Macrobius Libr. II. Saturn. c. 6. *Caſcellius ICtus urbanitatis mirae libertatisque habebatur. Praecipue tamen is jocus ejus innotuit. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam, niſi pomum miſiſſe vellet. Forte iis diebus, Caſcellius conſultus a quodam, an Nux pinea pomum eſſet? reſpondit: ſi in Vatinium miſſurus es, Pomum eſt. Tanto enim odio Vatinium habuit populus Romanus, ut Vatinianum odium pro magno Catullus uſurparit.*

Sed et extra hunc Caſcellii jocum, inter Poma nux pinea relata. Sic enim Plinius, annotante maximo Salmaſio,

maſio, cum titulum cap. 9. Libr. XV. dediſſet: *omnium pomorum genera et natura:* a nucibus pineis incipit, et ejusdem Libr. c. 22. ubi de nucibus, *ſolum hoc pomum natura compactili operimento clauſit.* Imo, quod hic ὡς ἐν παρόδῳ notandum, Pomi appellatione omnes arborum fructus δενδρίτας contineri, quorundam fuit opinio. Sic Heſychius: Μῆλον καρπὸς παντὸς δένδρου. Idem: Μῆλον πᾶς καρπός. At vero Pomi appellatione Nuces non contineri putabat Paulus L. 205. de Verb. ſignif. *Qui fundum vendidit, Pomum recepit. Nuces et ficos et uvas duntaxat Duracinas et purpureas, et quae ejus generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus, quas Graeci* τρωξίμους *appellarent, recepta videri.* Qua de re fuſius Gallorum πολυμαθέστατος Menagius in Jur. Civil. Amoenit. cap. VIII. Quodſi inter Nuces referenda Ananaſa, Molluſca nux erit, de qua Suevius in edulio, quod inſcribitur Moretum:

Molluſca haec nux eſt, ne quis forte inſcius erret.

Haec occaſione pomiferarum, quarum claſſi ab Exc. Rajo inſerta Ananaſa. Celeb. Hans Sloane Prodr. Hiſtor. natur. Jamaic. Part. I. herbis flore tripetalo annumerat; diligentiſſimus Tournefortius tamen e Plumerii mente diſſentit, florem monopetalon veluti infundibiliformem tripartitum tuberculis embryonis innaſcentem Ananaſae tribuit.

Haec cum ita ſint, et Artis noſtrae Dictatores inque Botanico Studio Archidaduchi, quibus

haud ſimiles ſecla tulere viros,

diſſideant, nullius certe ſenſum, cui proprie Ananaſa claſſi

accenſenda, adſtringere volumus, ſed liberum in eo cujusque judicium relinquimus.

In hac ſententiarum diſſidentia et divortio, cum Amiciſſimo Volkamero ſermones miſcens, ejusque in re tam ambigua, tam abſtruſa, mentem explorans, hoc tandem reſponſi tuli: cum nova foret Planta, cognitis hactenus Plantarum ordinibus eam inſeri commode non poſſe. Si quis tamen urgeat, *inter baccifera fructu compoſito referendam eſſe.*

Haec Vir βοτανοφίλτατος, de cujus laudibus nihil dicam, ne homini Amicoque conjunctiſſimo publice blandiri videar. Judicium hac in re provoco cujusque in hoc ſtudio docti, qui operis ſub Tit. Florae Norimbergenſis editi proſcenia legit: annon illa intimae in hoc ſtudiorum genere eruditionis gratiam ſpirent. Optant vero doctiores, ut porro Methodum Plantarum, omnium quotquot ſunt certe abſolutiſſimam, quae ultimam mox videbit manum, in plauſum literarium emittere velit, cum immortali nominis fama, et gratiſſimae poſteritatis magna admiratione, quippe

Solo hoc Sole viget Plantarum notio vera.

CAPVT V.

Cauſarum primarum notitia difficilis. Naturalis Ananaſae temperies. Guſtus ſenſum prae reliquis extollunt Caeſalpinus et Schelhammerus. Dulces Ananaſae particulae quales? Salinae quoque commixtae ad acidum accedentes. Elaſticae, ſulphureae. Saporis Ananaſae diverſitas. Aſſimilantur Praecocibus. Saporem et odo-

odorem non ſoli confundunt Noribergenſes, ſed et alii Germani, Galli, Latini. Ananaſae ſaporem ſimilem pronuntiant, fragis, pyris Bergomatiis, malis Perſicis, Armeniacis *Renette*, cydoniis, ceraſis, Vino Rhenano, Sacchare, Melli. Peculiaris ineſt ſapor odorque vix exprimendus.

CVm nimium anguſtis mens noſtra circa prima rerum conſtitutiva principia coërceatur terminis, ita ut a cognitione primarum cauſarum ferme excludatur, et eo res tantum redeat, ut quos unum in alterum corpus inferat effectus, (actiones et reactiones corporum in ſcholis philoſophorum audiunt) ſolum explorare queamus, hosque non ex primis, utpote remotis, ſed ex propinquioribus et ſenſui obviis principiis; huic quoque viae tritae nobis inſiſtendum erit et demonſtrandum, quid de Ananaſae naturali temperie guſtus nobis promat.

Huic enim ſenſui prae ceteris palmam defert Vir ſui ſeculi ſummus, Andr. Caeſalpinus de Facult. Medicam. Libr. I. c. 1. *Soli ſapores*, inquit, *certius et propinquius non ſolum temperamentum oſtendunt, ſed et reliquas facultates longe efficaciores, tum ad morbos gignendos, tum ad ſanandos*, et c. loc. c. 4. *A Saporibus certiſſima habentur facultatum indicia, non ſolum primarum, ſed et reliquarum omnium.*

Huic ſententiae applaudit, eamque illuſtrat ingenioſiſſimus Schelhammerus. *Quicquid concinna colorum varietas et ineffabilis ex eorum miſcela exſurgens pulchritudo oculis offert, vanum eſſe et merum prope ex rerum ſuperficie remeantis luminis ludibrium, Mathematici demonſtrant: Qui auditum demulcet, auresque titillat, ſuaviſſimus et caeleſtium*

 choro

choro aemulus putatus concentus, tremulae motus aurae eſt, et paulo plus quam nihil, in quod promte hinc etiam evaneſcit. At ſapores (quod cum odoribus habent commune) proximo corporum contactu ipſas, ex quibus conſtant, particulas offerunt: et cum tactus externa tantum ſentiat, intima et recondita naturae guſtus percipit et contemplatur. Quae cum ita ſint, quid delitioſiſſimi fructus illecebrae guſtui communicent, inſpiciamus. Abblandiuntur linguae quam maxime, quatenus poros atque tubulos, papilasque nerveas, grata dulcedine laxant ac demulcent, et, ſicuti Lucretius l. 2. de rerum natur. v. 399. exprimit:

> *Jucundo ſenſu Linguae tractantur in ore,*
> *ut facile agnoſcas, e laevibus atque rotundis*
> *Eſſe ea, quae ſenſus jucunde tangere poſſunt.*

Quae Poëtarum Philoſophus e Democriti Praeceptoris principiis hauſit, qui χυμὸν γλυκὸν τὸν στρογγύλον καὶ εὐμεγέθη, *ſaporem dulcem, rotundum amplumque*, pronuntiavit. Gaudent enim hae Nanam ſive Ananaſam conſtituentes particulae flexibilitate, mobilique mollitie, omnique pertinaci irregularitate ac figurarum aſperitate maturi fructus deſtituuntur. Involutae tamen ſunt his dulcibus roſcidisque et linguae et gulae blandimentis ſalinae particulae, πρώτως et primario nerveas papilas linguae molliuſcule lancinantes, quas ſi quis molles aculeos cum Williſio de Anim. Brut. c. 12. de guſtu, pronuntiari velit, licitum erit. Hae ſalinae particulae a roſcidis oleoſisque ac ſeroſis ſolvuntur et obtunduntur, ac quaſi involvuntur, ut linguam ne feriant, ſed titil-

titillent: aqueis enim ſeroſisque particulis abundat hic fructus, ut vere in illum Hippocratis iſtud quadret: γλυκὺ ἐς δύναμιν, οἷον ὕδωρ, γλυκὺ ἐς γεῦσιν οἷον μέλι, *dulce ad potentiam velut Aqua, dulce ad guſtum velut Mel.* Libr. 2. de Alim. c. 5. t. 13. Ad naturam vero acidorum has ſalinas fructus noſtri moleculas accedere, guſtus ſaepe dulcacidiuſculus, analyſisque probat chemica, quae efficit, ut omnia dulcia ſpiritum acidum magis ac minus corroſivum fundant.

Elaſticas, ſpirituoſas, ſulphureas particulas in gremio Ananaſae latere, et per internam fermentationem caloris ope evolvi, odor fragrantiſſimus innuit. Nec enim Theophraſto Plinioque fides habenda, qui dulcia raro odorata eſſe perhibent; quam opinionem alibi deſtruximus: tanta enim fructus hujus dulcedini conjuncta et commixta eſt fragrantia, ut ſecundum Acoſtam, odore dignoſci queant aedes, in quibus aſſerventur.

Ex hac particularum hactenus recenſitarum modificatione, i. e. figura, textura, partium fluidarum motu et combinatione, fluit fructus hujus efficacia virtusque, quae ex Idioſyncraſia ſubjectorum fructus comedentium variat; ut nihil adeo certi quoad vires et effectus decernere et definire quis queat, niſi ſemper facta relatione ad individuum. Quod cum varium ſit, varia pariter hujus fructus viſitur efficacia, operatio et ſaporis ſpecies. Licet enim negari haud queat, diverſas illius recenſitas ſpecies, ſaporis quoque atque odoris parere differentias, hoc tamen diffitendum non eſt, unum eundemque fructum, a diverſis comeſtum, diverſas impreſſiſſe papillis nerveis, ceu guſtus organo,

 gano,

gano, ſaporis ideas. Hinc Auctorum in exprimendo vero et adaequato Ananaſae ſapore diſſidium.

Praecocibus, quae malorum Armeniacorum ſpecies, (unde Gallorum *Abricot* detortum,) ſapore aſſimilat cum plurimis aliis illuſtris Thevenotius, dum ſcribit, *il laiſſe a la bouche un odeur d'Abricot. Palato mali praecocis odorem relinquit.* Saporem hic cum odore confundit vir clariſſimus, aeque ac a Germanis noſtris interdum fieri aſſolet; nec enim quis ſolos Norimbergenſes noſtros ideo ſalſe ſugillet, quod in Lexico Germanico Serotini factum, tanquam non niſi quatuor ſenſibus ideo ſint praediti, cum non apud nos nata, aut unice recepta ſit iſta ſermonis ratio, qua uno eodemque vocabulo res, ad guſtus et odoratus ſenſum pertinentes, pronuntiantur et efferuntur, ſed et ab aliis id quoque fiat. De Dialecto Germanorum Auſtralium Helvetiorumque, ex Hiſtoria Concilii Conſtantienſis Vlrici de Reichenau, itemque germanae fidicinis lyrae, acutiſſimi Opitii, paraphraſi poetica Cantic. Canticorum hoc fuſe probavit πολυμαθέστατος Wagenſeilius de Noriberg. Reb. notab. cap. 16. p. 110. Penes Gallos quoque hanc vim normamque loquendi eſſe, ea, quae e Thevenetio modo adduximus, probant; et apud Latine ſcribentes frequentiſſime legimus, aliquid Hyblam Atticosque flores ſapere, pro bene olere, et vice verſa. Sed ad ſaporis Ananaſae varietates redeundum nobis.

Fragis ſimilem pronuntiarunt plurimi, quos inter Neuhofius in Braſil. deſcript. p. 240. et in Itiner. Sinic. p. 346. Bontius Hiſt. Natur. et Med. L. 6. c. 50.

Qui

Qui legitis Cinaras atque Indica dulcia fraga.
Marggrav. Hiſt. Plantar. Braſil. Libr. I. cap. XVI. p. 33. aliique.

Pyris, a Bergamo Italiae urbe dictis Bergamatiis, ſucco ſaporeque egregiis, comparat Ananaſae ſaporem Cl. Muntingius, qui mox malis Perſicis, quod ad guſtum, aequiparat. Dn. de Loubere vero delicatiori malorum Armeniacorum ſpeciei, Gallis *Pavie* dictae: Malis, quae Gallis *Renette*, ſive renata, Anglis *Pippin* dicuntur, aſſimilant Rochefortius et Pometus, vel, ut Martialis verſu exprimam,

dulcibus aut certent quae Melimela favis.

Cydoniorum et Nucis moſchatae mixturam Ananaſam exprimere credit Hiſtoriae Mexicanae Auctor. Ceraſorum ſuavitates in fructu hoc ſe guſtaſſe Langhanſius; vini Rhenani vero delitias in Jajagna, Ananaſae ſpecie, Meiſterus exiſtimant.

Μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι, ſive Mel arundineum, quod Saccharum dicitur Arriano in Peripl. Mar. Erythr. in fructu hoc ob dulcedinem, ſe reperiſſe teſtatur, Hyblaeum ſuperans Nectar Cl. Muntingius. Sed ut brevibus me expediam, illi denique, quibus intimius Indias perluſtrare, resque naturales accuratius noſſe datum, fateri coguntur, ineſſe fructui huic peculiarem plane ſaporem, qui ex innumeris ſuavitatum plurimarum conjunctionibus miſtus omnes, quas hactenus recenſuimus, delicias exhibeat, adeoque verbis vix exprimi queat. Vt major his, quae ſcribimus, habeatur fides, teſtes advoco autoptas, Rochefortium et Pometum, quorum ille in Hiſtoria naturali et morali Antillarum Inſularum

larum

larum Livr. I. chap. X. Artic. VI. p. 120. Edit. ult. in IVto. *Elle a un goût ſi releve, et qui lui eſt ſi particulier, que ceux qui l'ont voulu parfaitement décrire, ne pouvant le faire ſous une ſeule comparaiſon, ont emprunté tout ce qui ſe trouve de plus delicat, en l'auberge, en la fraiſe, au Muſcat, en la Rénette, et apres avoir dit tout cela, ils ont eſté contrains de confeſſer, qu'elle a encore un certain goût particulier, qui ne ſe peut pas aiſement exprimer.* i. e. Tam ſublimi, peculiari plane ac ſingulari ſapore gaudet, ut accuratius illum deſcripturis, cum ſub una comparatione id fieri nequeat, opus fuerit, omne illud trahere in ſubſidium, quicquid in malis Perſicis, fragis, uvis Apianis, malis renatis et melimelis ſuavitatum et deliciarum eſt. At poſtquam haec omnia dixerunt, fateri tandem coguntur, ineſſe huic fructui proprium et verbis vix exprimendum ſaporem. Pometus vero l'Hiſtoir. general. de Drogues, haec de ſapore Ananaſarum habet : *Elle eſt ſi ſavoureuſe, que je ne la ſçauroit mieux exprimer, ſi non en diſant, qu'elle a le goût de la Pêche, de la Pomme, du Coing, et du Muſcat tout enſemble.* i. e. Tanta ſaporis excellentia, ut melius vix me expedire queam, quam dicendo quicquid delitiarum in Malis Perſicis, Appianis, Cydoniis, uvis Moſcatulis, in Ananaſae fructu ſimul commixtum eſſe.

Nec minor diverſitas odoris eſt, quam erat ſaporis. Alii Roſarum fragrantiae, alii vinoſae ſuaveolentiae, alii pomorum, ſolis calore ad maturitatem tendentium, halitui, alii illi Perſicorum generi, quod a malis et cotoneis nomen apud Italos et Hiſpanos invenit; iterum alii iſti, quem ipſa Cydonia fundunt, haud diſſimilem pronuntiant, ſando

haud

haud accurate exprimendum, nec calamo circumſcribendum. Propius accedes, ſi vinoſum pronuntiaveris.

CAPVT VI.

Omnis Terra Ananaſae colendae apta. Montoſa, umbroſa, arenoſa et aquoſa loca. In Septentrione terra calidior fimo equino infecta eligitur. Irrigatio. Aër liberior. Boreas inimicus. Aedes feneſtris obductae. Rudbekii fornaces ſubterraneae. Primo vere Aëri non eſt exponenda. Propagatio ex apice ſive Corona, quae humidiſſima: ex germinibus caulis: ex ſemine dubia eſt: ex foliis. Per folia propagantur Opuntia, Ficoides, Citrus.

CVm Ananaſa non ſit ex illorum fructuum genere, quos originis ſuae genialis amor adeo delinivit, ut nullo labore, nulla induſtria, ingeniove et arte alibi, quam ubi primum nati, ad culturam diſponi poſſint; nullam enim terram, culturae officiis ſtudioque debito praeparatam, dedignatur: nunc, quale ſolum diligat fructus noſter,

Nec vero Terrae ferre omnes omnia poſſunt,

diſpiciendum. Variant exoticorum Auctores in ſolo huic plantae aſſignando. Nard. Anton. Recchus Mexicanas Ananaſas montoſis locis, Neuhofius in India orientali, in umbra, ſubeunte tamen humoris ſalubritate, felicius germinare aſſerit, additque, Terram ſeligendam, vulgo *ſoete en gulle*, dulcem et mollem dictam. Secundum Floram Malabaricam arenoſa et aquoſa loca amat, et

pullulat in campis ſiccis atque aequora juxta.

In regionibus noſtris Septentrioni proximioribus, ubi major adhuc in cultum plantarum exoticarum

labor eſt impendendus, et omnes

cogendae ad fructum, et multa mercede domandae,

eligitur terra mollis, pinguior, calidiorque, cujus nativa macies deciduis arborum foliis, vel ligni ſcobe, in putredinem reſolutis, fimoque equino recenti corrigatur et acuatur; et quoniam iteratis calefieri vicibus amat, aliquoties fimo recreetur equino, feneſtrisque ab omni inclementiori aëre deſuper muniatur, ne velut foetus in ipſo utero ante partum tabeſcat.

Cave, ne ſiccius tractentur Ananaſae: irrigandae ergo per foſſam, ne caulem attingat pluvialis humor. Hoc ut impediat ſedulus hortorum cultor, caulem arboreo cingat muſco, humiditatem longiuſcule conſervante vel arcente. Opera quoque danda, ne crebrioribus imbuantur imbribus, ac pluviales foliorum interſtitiis inhaerentes guttae, cauli damnum inferant in putredinem vergenti.

Aër eligatur aliquanto liberior, quippe cujus beneficio ſurſum eriguntur in germinatione, conſervantur in augmento et vitae proceſſu, ſuccorumque pariter circulus et fermentatio facilitatur. Ab omni Borea immunes ſint,

cum Boreas ſemper Nanae ſaevissimus hoſtis.

Hinc cum e calidiori climate in noſtrum transvecta planta, (quae nullum fere nunc caelum aut ſolum fugit,) in areolis fimo repletis et deſuper feneſtratis aedibus, quibus calor intendi, ſicque ad debitam maturitatem cogi, et a frigoris

goris injuria defendi poſſunt, conſervandae, aediculae vero illae ingruente inclementiori ſtatim autumno claudendae.

Vel ſi aedes e vitris confectae aliaque commodiora deſint hibernacula, ad ductum Cl. Rudbekii, ſubterraneae fornaces in uſum trahantur, quarum beneficio vegetantes orientis calores aemulatione quadam, ad nivoſos borealis climatis horrores retrahere liceat, et germinationem exoticarum ſtirpium, (etiam ex ipſis ſeminibus) deſperatam huc usque promovere; de quibus maximus naturae myſtes, Major, in Gen. errant. cap. 11. Plura itidem de fornacibus his ſubterraneis Heſſus.

Mollem igitur ne laedant frigora Plantam,
haec contra duros hiemis ſervanda rigores,
donec agat zephyros annus ſolemque reducat.

Cave tamen, ne vere ineunte ſtatim aëri exponatur, priusquam aeſtas appropinquaverit, et plurimum jam deflagraverit; amat quippe aeſtum, in fervida producta regione, qua calor maxime viget,

quaque dies medius flagrantibus aeſtuat horis.

Ad Propagationem plantae quod attinet, diverſo fieri amat modo. Commodiſſimus eſt per plantulam novam e fructus cacumine reſurgentem, foliaceum apicem ſive coronam vulgo nominatam; quippe quae decerpta, ſoloque convenienti impacta, facile propagari poteſt. Tanta foliaceam hanc coronam humiditate ſcatere aſſerit *Fr. Pyrard diſcours du Voyage des François aux Indes orientales, et Traité des Animaux et fruits des Indes obſervées par Autheur* chap. 9. p. 332. ut quindecim pene dies extra terram relicta non cor-

rumpatur, ſed ad Ananaſae propagationem apta remaneat; quod propria experientia confirmavit toties nobis laudatus Volkamerus. Ex Illuſtr. Commelini mente, fructu abſciſſo planta relinquitur, donec nova germina producat, quae anno inſequente divulſa, et ſolo eidem, modo praedicto impacta, ſecundo poſthac anno ad frugem rurſus perducantur.

De Ananaſae per ſemen productione altum apud plures exoticorum ſcriptores ſilentium. Si fides habenda foret Henrico Heſſo in Hortulan. German. vernacula lingua conſcripto et edito, res eſſet facillima. Sic enim ille: E ſeminibus, qualia non quidem in fructibus apud nos coacte matureſcentibus, ſed ex India allatis, reperiuntur, propaganda Ananaſa, id quod ſequenti contingit modo: Semen, citri ſemini ſimile, coloris tamen magis bruni, vere ingruente per diei unius ſpatium aquae committitur, exemtumque iterum ſiccatur, et ſatis profunde in ſolum pingue optimo fimo equino praeparatum, atque in vaſe vel ciſta enutritioni plantarum deſtinata, aſſervatum deponitur; probe irrigatur, et ab omni frigoris pruinaeque arcetur acceſſu. Vas, cui committitur, ſit ſatis amplum, ut diutius in illo conſervari poſſit, cum non ſine evidenti periculo transferatur. Interdiu quoque ſemper obtegenda planta, ad concentrandos ſolis calores. Menſe ſecundo plantulam videbis ſeminalem, cinarae inſtar prodeuntem, foliolis anguſtioribus, indies tamen in majorem molem tendentibus, usque dum ad debitam magnitudinem pervenerint. Haec Heſſus, penes quem ſit fides, quae pluribus vacillare creditur.

Omnem

Omnem fidem et experientiam primo intuitu ſuperare videtur, quae ἀθανάσιος alias Kircherus de hac Ananaſae propagatione per folia tradit. Refero ejus ipſiſſima verba Chin. illuſtrat. p. 189. *In Ananaſa,* inquit, *admiratione dignum occurrit, quod non ſemina ſolum in terram projecta, ſed et ſurculi, quin et folia ipſa terrae implantata, novas ſimilesque plantas fructusque producant, quod et multis aliis plantis contigit.*

Mira haec per folia propago, non tamen impoſſibilis, modo curioſitatis amans φρεσὶ πευκαλίμῃσι νοήσει. Sed ſi per analogiſmum Opuntiae quis propagem per folium perpendat, Kirchero omnem non abjudicabit fidem. Sic φίλτατον κάρα, Cl. Volkamerus retulit, in ſuo horto foliola Ficoidum nonnullarum in terram decidua, laete vegetaſſe, ficoidemque produxiſſe; id quod de Aloë Africana breviſſimo craſſiſſimoque folio, flore ſubviridi, quoque annotavit Exc. Commelinus Hort. Amſterod. P. II. p. 11. Citri nova per folia productio certe habet, quod in admirationem rapiat curioſos. Quis unquam credidiſſet fieri poſſe, ut exſucca pene folia terrae mandata, radices agant, e fibrillis protrudant folia in ramuſculos ſe expandentia, dorſalisque folii nervus caulis truncique tandem vicem ſuppleat. Conjunctiſſimi Fratris, Paſtoris Furthenſium vigilantiſſimi, citretum centenis experimentis hoc artificium commonſtravit, indeque Summorum Imperii Procerum promeruit gratiam, qui rem mirandam clementiſſimo dignati ſunt aſpectu. Hancque novam, a Mirandola olim jam indigitatam, foliaceam citri productionem, Heſperidum Noribergenſium Tomo

ſecundo ſolertiſſimus operis hujus laudatiſſimi Auctor, Vir nobiliſſimus et integerrimus J. C. Volkamerus uberius declaravit.

Capvt VII.

Vſus Medicus. Succus roborans eſt: in malo *Esſalvados* dicto. Vis cordialis in Electuariis analepticis. Siti medetur. Sanctorii Inſtrumentum. Melones Aquaticae praeſtant in ſiti reſtinguenda Ananaſae. Num in Febribus exhibenda? Petroſelinum, Noribergenſium deliciae, ulceroſis fere letale. Ananaſae vis diuretica unde? quomodo temperanda. Folia diuretica in hydrope. Ab Ananaſa ὀργασμὸς. Vſus in Gonorrhoea. Vis alexiteria. Aqua Ananaſae ſpirituoſa.

LIcet apud nos, ob fructus adhuc raritatem, indeque fluentem caritatem, in officinas Pharmaceuticas uſumque medicum nondum fuerit introducta Ananaſa recens; utraque tamen

India ſurgentem ad ſolem, vergensve cadentem

virium Medicarum notitiam habet. Jam enim illis in oris, hujus remedio atque uſu

foeda malorum
Peſtiferum dat terga cohors, praenuntia leti
Victa jacet legio, debellatique dolores.

Succus Ananaſae in optimorum roborantium numero eſt, quatenus portionibus aethereis, elaſticis, ſulphureis, motus ſanguinis turbatos impeditosque, ad circulum rite peragendum revocat et invitat, ſive, ut nonnullis placet, ſpirituum e ſanguine ortum atque vigorem, promovet, inſtar Vini gene-

generoſi. Hinc in malo, *Esfal-vados* dicto, quod eſt debilitas e nimio Veneris oeſtro proveniens, (de quo Dellon *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 8.) mira praeſtat, ideoque laudibus extollitur a Rochefortio, Piſone, Marggravio aliisque.

Eodem modo magnifice animum languidum recreare, ſpiritus ſopitos excitare, amaraque curarum (ut Vini laudes a Lyrico mutuemur) efficaciter eluere, Muntingius teſtatur. Vim ejus cordialem celebrat Rochefortius, hocque titulo in Electuariis analepticis Ananaſa in Indiis condita locum invenit; quippe ſanguinem nimia ebullitione attenuatum, adeoque in cordis thalamos majori, quam par erat, impetu irruentem, particulis dulc-acidiuſculis placat et compeſcit.

Siti intenſiſſima ardentibus propinandam Nanam ſuadet Hiſtoria Mexicana: roſcida nempe humiditate, qua glaciei inſtar in ore ſe reſolvit, linguam ſiccam et exſuccam uberrime irrigat. Carere igitur poſſunt Indi elegantiſſimo Inſtrumento, quod pro ſiti ſedanda a Statices illo ingenioſiſſimo Statore, Sanctorio, Comment. in I. Fen. Avic. quaeſt. 87. excogitatum eſt ac deſcriptum. Quod ſi tamen et hoc inſuper expeteretur, Ananaſae impleri ſucco ſuaderem, quo per foraminula ſenſim exſtillante, omnis ſcabrities linguae ariditasque, quae aeſtus febriles comitari ſolet, fugatur. Quamvis ad extinguendam febrilem ſitim, tanquam meliores et ſecuriores Nanis, citrullo affines Melones aquaticas Braſilienſes, vulgo *Melons d'eau*, Germ. Waſſer-Melonen dictas, ſubſtituat Bosmann, *dans*

la

la deſcript. de Guinee : quem fructum poſt Marggravium et Piſonem, vivis quaſi coloribus exhibuerunt, Rochefort, du Tertre, Purchas aliique Hiſtoriae Indicae ſcriptores, quos pagina non capit; omnium tamen optime nuperrimus Virginiae Encomiaſtes *dans la deſcription de la Virginie.*

At circa uſum Ananaſae in febribus in diverſum tendunt Auctorum ſententiae. Hiſtoria Mexicana tanquam febrium refrigerium commendat; Piſo autem febricitantibus, vulneribus et ulceribus infeſtatis, (febres forte innuit ſymptomaticas, iſtis plerumque connexas) abſtinendum ab hoc fructu monet. Adeo enim humores accendere ait, (forte illo Hippocratico Libr. 2. de diaet. c. 33. motus, τὰ γλυκέα θερμαίνειν πέφυκε, *dulcia calefacere ſolent*,) ut non ſolum aegrorum impediat reſtitutionem, ſed et in pejus eos diſponat: quem infelicem ſucceſſum cum Celeb. Wormio, a fructibus crudis, et ad maturitatem debitam nondum evectis, acidoque adhuc corroſivo ſcatentibus, provenire reor.

Negandum certe non eſt, diuretica, (quorum claſſi hunc fructum inſerendum eſſe, latius mox probabimus,) effectum hunc, Ananaſae a Piſone adſcriptum, ſaepius in caſibus ſimilibus prodidiſſe. Sic Petroſelinum, ſive Apium hortenſe, quotidianum civium noſtrorum alimentum, quod non, ut alibi fieri conſuevit, carnibus pro grato ſapore conciliando incoquunt, ſive, ut Plinianis me expediam, *inter oblectamenta magis, quam cibum recipiunt;* ſed plenis buccis ingerunt, ut reliquae culinares herbae hujus reſpectu ipſis pro nautea, nullum quidem bene valentibus incommodum

modum parit: at vulneribus et ulceribus afflictos inflammationes ex σελινοκρεοφαγία ſenſiſſe non leves, ſed eryſipelaceas, aeſtu ſubſequente febrili incredibili, recordor. Idque malum toties recruduit, quoties herbam hanc comedere repeterent, ut et ipſis ferme letalis fuerit planta, apud Romanos epulis dicata feralibus. Cauſa quaerenda eſt in particulis acribus, plantae huic inhaerentibus: unde vis diuretica πρώτως dependet, quibus ſeroſae ſunt immixtae, ut guſtu ſtatim diſcerni nequeant. Quis hic non cum philoſopho Poëta exclamat:

Nec ratio remedi communis certa dabatur:
Nam quod alîs dederat vitaleis aëris auras,
Volvere in ore licere, et caeli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.

Eodem ſe modo res cum Ananaſa habet, cujus vis diuretica reliquis omnibus praepollet, Neuhofio, Piſone, Rochefortio teſtibus, qui in urinae ſuppreſſionibus pellendoque calculo Nanam, incantamenti inſtar, ſolatium afferre contendunt: quali ratione autem vim diureticam exſerat, facile colliget, ὅςις κατὰ θυμὸν ἐπιφράσσαντο νοῆσαι, ut Homeri verbis in Hymn. Apoll. utar. Cum enim fructus hi comeſti copioſam materiem aqueam, glaciei inſtar in ore diffluentem, ſuppeditent, quae ad renes poſtea propulſa, et in ureteres per caruncul as papillares anguſtiſſime perforatas transcolata, in veſicam denique, veluti corporis matulam, derivatur; nemo non videt fructum hunc merito inter diuretica reputari. Etenim ſub tenaculis ſuis mollibus, dulcibus, viſcidis, junctum habet characterem ſalinum, qui

viſcidum tenaxque coagulum in renibus attenuat, liquat, abſtergit, fundit, ſerumque a ſanguine ſecernit. Sunt hae particulae ſalinae in Nanis immaturis adeo conſpicuae et acres, et calculum tanta vi protrudunt in urethram, ut, exitu ipſi denegato, vitae diſcrimen nonnullis attulerint, referente hoc Ampliſſ. Cleyero, Protomedico et Conſiliario ſupremo Judicii in Batavia Inſulae Javae majoris ſplendidiſſimo, Dec. II. Ann. IV. Obſ. V. Ephem. N. C. qui proin modum, quo tutius exhiberi queat, praeſcribit ſequentem: Sumitur integer ad maturitatem redactus fructus, inque taleolas ſectus Mariae balneo immittitur, ut ſuccus exſudet, et accedente calore, vis aliqualis cauſtica fructus in maturam dulcedinem convertatur; qui poſtea ſuccus blandiſſimo balnei calore correctus, jucundius tutiusque remedium exiſtit.

Folia quoque diuretica non deſtituuntur facultate: haec enim in Aqua Oryzae (quae teſte Dellon *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 5. p. 24. Ptiſanae noſtrae vices ſupplet,) cocta et pulvere Baliari mixta, in potu aſſumta, hydropicorum ventres purgant, teſte Hort. Malab. loc. cit.

Eſt et Ananaſa remedium,

Venerem quod roborat aegram,

dum ſanguinis motum auctiorem reddit, cum dulcia plurimum οὐσιοποιοῦ γλισχροῦ corpori foenerent, ſeroque ὀργασμὸν, partim et vis illa diuretica, genitalia majori cum impetu extendit, vaſaque ſpermatica turgidiora efficit. Sed plane diverſas hunc fructum in gonorrhoea vires promere, Muntingius aſſerit; niſi gonorrhoeam benigniorem, a ſuperflua

ſemi-

ſeminis generatione ejusque turgeſcentia ſubortam, intelligat.

Abdominis ex flatibus intumeſcentiae immaturos fructus mederi, Hortus Malabaricus loc. cit. annotavit.

Alexiteriam huic ineſſe vim, Cl. Piſo Hiſt. Nat. et Med. Libr. IV. Edit. ſec. probat, dum Ananaſae ſuccum venenis, imprimis ſucco Mandihocae, *Manipura* dicto, largius et crebrius hauſto, adverſari refert; qui, Rochefortio ſubſcribente, porro memorat, Ananaſae radicem idem praeſtare.

Ex eodem fructu fermentationis via, ut Chymicis loqui fas eſt, humida tractato, aequaliter ſic attenuatis per motum inteſtinum particulis ſulphureis aethereisque ac ſubtiliſatis, et excuſſis viſciditatis vinculis, ſpirituoſa ardensque obtinetur aqua, in qua concentratum, quod in fructu maxime activum; adeoque parva doſis majorem fructu effectum praebet; ſi tamen largius ſumatur, Piſone et Rochefortio hanc cautelam ſuggerentibus, vias urinarias corrodit. Hinc Auctores ſuaſoresque ſunt omnibus, ne illam, niſi a prudente medico, qui acrimoniam corrigere novit, exhibitam, quis aſſumat.

CAPVT VIII.

Poma mitia. Ananaſa in conclavi matureſcit *Nanae cacabae*. Cibi inde parandi ratio. Vino, aquae, muriae immerguntur. Crudae cum aromatibus comeduntur. Fructus horaeus eſt. Mycaleſiae Cereris fructus. Conditae in Europam afferuntur. Succus cum aqua miſtus. Vinum inde paratum. *Nanaja*.

PRaeclaras Ananaſae virtutes, et quot quantaeque in genus humanum, ſingulari DEI optimi beneficio, inde manent utilitates, vidimus. At jucunditate, qua hominis palatum demulcet, non minore pollet, utpote deliciis omnibus longe praeferenda. Expetitur autem Nana adulta maturaque. Maturitatem in pomis Virgilius per vocem *mitia*, interpres autem ejus, Servius Maurus, melius adhuc expreſſit, definiens, mitia poma eſſe, *quae non remordent, cum mordentur*. Hoc pariter in Ananaſa evenit, cujus mitis maturitatis dulcedo, non immaturae immitis cruditas deſideratur.

At vero quae vi ſolis matureſcunt, minoris fiunt apud Indos, ſecundum Piſonem, quam illae, quae in conclavi vel oporotheca aliquandiu ſuſpenſae ſunt, ad imitationem Martialis in ſuſpendendis pyris,

quae lentae pendent religata geniſtae.

Vocantur autem Nanae ad maturitatem eductae, et ſuo tempore adultae, Marggravio teſte, *Nanae cacabae*, quibus tamen, ſi deguſtandae, externa prius cutis auferenda.

Decorticatam Nanam, inque taleolas ſectam, Vino madefacere ſolent lautiores Hiſpanico; ſic enim tolli illius noxam, non fruſtra exiſtimant, modo tantum temporis in vino haereat, usque dum hoc prorſus imbiberit, ſuperetur que eo modo ſucci pravitas. Impraegnatas ſic vino taleolas, cinamomo ſaccharoque inſpergunt Africani litoris auriferi incolae, teſte Bosm. in deſcript. Guineae.

Quibus vinum non ſuppetit, aquae immittunt fructus diſſe-

diſſecti fruſtula,ut acrimonia extrahatur, teſte Neuhofio in Itin. Indiae oriental. p. 209. Muriae quoque immitti, Hiſtoria Mexicana his verbis meminit, p. 311. *Recentia ſecantur in fruſta, ac muria permittuntur immadeſcere, ut pars in bilem apta nata converti exſiccetur, ac veluti evaneſcat.*

Nanas autem plerumque in menſis exponunt ſecundis, quarum oblectamentum et ornamentum ſunt. Crudae comeduntur, nunquam tamen ſine aromatibus nec citra vini irrorationem. Eſtur quoque cruda cum pipere.

Si diutule aſſervetur, putredini, inſtar aliorum horaeorum fructuum, obnoxia: nec enim per annum durat, ſicuti fructus Mycaleſiae Cereris in Boeotia, qui ad ſimulacri pedes expoſiti, integri vegetique per anni fere totum ſpatium perdurabant, ſi Graecorum narrationibus habenda fides. Vt a corruptione igitur conſerventur, Saccharo condiuntur in univerſum annum, quae partim aegris ſitientibus magnifice auxiliantur, partim, ut Plinii verbis rem eloquar, *condiendis cibis miram conciliant ſuavitatem.* Atque hos conditos, omnium ex Indiis allatorum fructuum delicatiſſimos pronuntiant Rochefortius, Acoſta, Neuhofius, Muntingius aliique, eosque Lutetiae Pariſiorum venales ſemper proſtare, Pometus teſtatur.

Fructus per longum diſſectos, via ſicca cum teneris foliolis condiunt, et poſtea ſecundum artem iterum conjungunt, glacieque incruſtant ſaccharina, ut hoc ipſo figura fructus foliorumque integra conſervetur, et Rochefortio ſcribente: *Fait voir en ces heureuſes contrées, non obſtant les chaleurs de la zone torride, une douce image de triſte*

productions de l'hyver. i. e. *In felicibus hiſce regionibus*, (de Antillarum Inſulis loquitur,) *non obſtante zonae torridae aeſtu, dulcis funeſtorum hyemis effectuum imago exhibetur.*

Amplius ſuccus Nanae exprimitur et pluviali fontanaeque aquae, hydromelis inſtar, commiſcetur, teſte Marggravio.

Nanajam, Vinum ex Ananaſis paratum, nominant, eodem Marggravio annotante, quod Malvaſino comparant Rochefortius et Pometus, generoſiusque cunctis aliis Vinis pronuntiant. Nanaja haec tribus ſeptimanis ſepoſita, in fermentationem abit, corruptioni proximam. Quod ſi quis totidem adhuc expectet hebdomadas, in integrum reſtituitur hocce vinum, generoſius longe priori evadit, voluptatumque lenocinium exiſtit, ſi modice quis eo utatur mediceque. Spiritus etenim recreat animales, languenti opitulatur cordi, ſtomachique medetur nauſeae; urinae ſuppreſſiones tollit, omnibus malis averruncandis, quibus et fructus, inſervit, de quibus jam pluribus actum eſt.

CAPVT IX.

Fructus immaturi exitiales; maturus an ferrum arrodat? Foetum abigit. Slyptonge. Bilem auget, ut dulcia omnia. Anginam efficit et inflammationes, haemoptyſin, ventris tormina. Luxuria Indorum immoderata.

CVm *nil proſit, quod non laedere poſſit idem:* Ananaſae quoque, aut intempeſtivus aut intemperatus Vſus plus Aloës quam mellis habet.

Intempeſtive comeduntur immaturae, quas ſumme exitiabiles funeſtasque pronuntiant Indica-

dicarum rerum ſcriptores. Quod ſi, ex Acoſtae et Linſchotani fide, cultellus maturae inſertus Ananaſae, per aliquod temporis ſpatium, quoad partem vulneri inhaerentem fere conſumatur: (hinc Dureto fructus ferrum comedens, *Fruit qui mange le Fer:*) quid de immatura expectandum? et quae turbae ex ejus eſu metuendae? Diſſimulandum vero hic non eſt, cultri Ananaſae infixi eroſionem erroris redargui a Cl. Bosmanno in deſcriptione Guineae Epiſt. 7. p. 316. et Terentio Not. in Hiſt. Mexican. qui hoc merito fabulis accenſeri anilibus, contendunt: cultrum enim, non per horae dimidium, ſed per dimidium anni, huic fructui infixum non corrodi, licet acies ejus obtundatur, quod ab omnibus acidis, malis citriis, aurantiis, limonibus aliisque fieri ſolet.

Intempeſtive etiam hunc fructum praegnantes ſumunt, ob nimiam aquas et calculum pellendi vim: quid mirum igitur, ſi utero gerentibus exhibitae, et ab illis comeſtae, foetus abigant, inſtar fructus *Caraguatae-acangae*, quae non ſecus atque Ananaſae immaturae, acidulo ſapore dentium ſtuporem non tantum inducit, ſed et linguam atque fauces ſauciat, palatumque excoriat, ut non immerito *Slyptonge* a nautica pube nominetur.

Hujus facultatis non ignarae meretrices Indicae, ut viris tuto ſe proſtituant, ſceleratum infanticidium eſu Ananaſae immaturae et Caraguatae exercere memorat Piſo Hiſtor. natur. Braſil. Libr. IV. cap. 82. p. 111.

Bilioſis hunc fructum minime conducere, Hiſtoria Mexicana annotavit, cum balſamicum bilis liquorem nimium quantum adaugeat; quod ab omnibus dulcibus fieri vulgo credi-

creditur. Et ex effato Hippocratico Libr. 3. de Mòrb. c. 29. t. 10. οὐ γὰρ τὰ γλυκέα πᾶσι ξυμφέρει. Venuſinus vates inſuper rationem et cauſas ſuppeditat Lib. 2. Serm. ſat. 2.

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
lenta feret pituita;

quatenus nempe particulis viſcidioribus glutinoſis facile obſtructiones pariunt, bilemque adaugent.

Quos dirae febris aeſtus excruciat, faucesque jam paululum eroſae, illis Nanae

inflammat liquor fervore furenti

gulam, letalesque inducit anginas, Neuhofio teſte. Alias inſuper produci hujus uſu inflammationes, velut Duriones Malacenſes, teſtis eſt Acoſta p. 285. qui de Durionibus plurima habet Hiſtor. Aromat. p. 231.

Pulmones labe jam aliquali infectos, ulterius erodit, atque haemoptyſin efficit, ut queritur Bosm. deſcript. Guin. p. 316.

Qui in ventris tormina proni, Ananaſis abſtineant: haec enim excitant,

ventrisque fluore fatigant.

Hinc Cl. Bontius Hiſtor. natural. et Med. Ind. orient. Libr. VI. cap. 50. p. 145. de Ananaſa canit:

Qui legitis cinaras, atque Indica dulcia fraga,
Ne nimis haec comedas, fugite hinc, latet anguis in herba.
Ne tibi letifero ſaper impleat ilia ſucco.

Quod ſi nonnulli luxuria immoderatiſſima allecti, fructui huic inhient, plures quippe in India

vix

vix vivere poſſunt

His ſine, tanta illis eſt gratia, tanta voluptas:

illas quoque luent poenas, quas

tot pabula luxus

et recte gladio plures occidere dictae

ſcitamenta gulae

corpori humano intemperato uſu accerſere ſolent.

Sic Ananaſae optimae, intempeſtive et intemperate ſumptae nocent, ut cum Plinio tardum dictu, pluribus proſint, an noceant; neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius.

CAPUT X.

Ananaſa animalibus, volucribus, inſectis, grata. *Guinambi* Avicula minima cur *Tomineo* dicta. Ejus roſtellum. Lingua. *Colybri* illius ſpecies. Caput, pedes, alae, volatus velociſſimus. Anglis *Hummingbird*, Germanis Blumen-Specht/ Sinenſibus *Tunchonſung* unde dicantur? Plumarum venuſtas, unde varia nomina. Ex his Icones pingunt, inaures faciunt. Bene olent. Paſſer moſchitus. Niduli, ova: utraque in Muſeis viſuntur. Num ex Erucis generentur? an hyeme moriantur? Renatae. Captae vix per diem vivunt. Cantus ut paſſerum, non luſciniae. *Hoitzitzlin.* Vſus Medicus. Hoſtis *Nhamdu Guacu*, a quo dentiſcalpia, deſcribitur. Hoſtis Ananaſae, Inſectum *Kakkerlakke*, quale; a Meriana depictum. Neuhofii circa hoc Inſectum obſervatio.

ANtequam coronidem huic opuſculo imponamus, paucis juvat annectere, non homines tantum allici delitioſiſſimarum Plantarum praecipua hac Ananaſa; ſed et animalia, v. g. ſimias, Kirchero in Chin. illuſtrata teſte, volucres et inſecta, quorum catalogum recenſere longum nimis foret.

Seligimus ante omnia verum naturae miraculum, eo quod prae caeteris fructus hujus mellea in floribus latitante dulcedine delectetur, ac e Nanae bravae ſive ſylveſtris, Pitá dictae, filamentis exteriora nidi componat.

Avicula eſt e minimis quidem, magnum tamen ſtupendumque DEI, ludere geſtientis in rebus productis, opificium, ut vere dixerit Plinius, naturam nunquam magis, quam in minimis totam eſſe. Pro varietate gentium, ſpecierum, (quippe novem deſcribit Marggravius) et qualitatum, varia quoque ſortitur nomina, e quibus *Guinambi* vel *Guainumbi* generale credit Piſo Hiſtor. Braſil. Lib. V. p. 319. Edit. 1658.

Magnitudo molesque itidem varia ſecundum diverſas ſpecies, cum aliquae cicadae, crabronis vel bombylii, aut muſcae majoris (hinc Illuſtr. Dionyſio in Hiſtor. natural. Americ. Septentr. c. X. p. 152. *mouche* dictae,) vix excedant. Mirum ergo non eſt, ſi tantae levitatis, ut unum duntaxat Tomino Hiſpanicum, ſive XII. grana pendat, unde quoque nomen *Tominejo* fluxit, quo aviculam hanc Joſeph a Coſta Hiſtor. natur. et moral. Ind. occid. L. 4. c. 37. et Nieremberg. Hiſt. Natur. Libr. X. c. 88. p. 239. deſignant. Minima harum ſpecies in Aruba dominii Belgicae Coloniae, in Curaçao Inſula commorantis, repertu dari, Rochefortius teſtis eſt. Neque minor in capite pro ſpecierum diverſitate varietas, utplurimum cum pennis ceraſi dulcis mediocris magnitudinem vix aequat. Roſtellum ſubrotundum, aequale, tenue, et valde acuminatum, rectum, paululum tamen verſus extremitatem deorſum vergens. Color hujus niger, excepta inferiore parte prope exortum, ubi rufeſcit.

Lin-

Linguam habet duplicatam ſive biſectam tenuiſſimam, in nonnullis inſtar acus,qua veſtes ſarciuntur,ſecundum Oviedum; in aliis inſtar ſutorii fili cerei,(*as a Schoomakers vvaxed Thread*) ſecundum Nehem. Grevv in Muſ. Reg. p. 61. in aliis denique inſtar ſerici fili tenuiſſimi, ſecundum Piſonem et Marggravium. Hanc extra roſtellum longe exſerunt, ut florum melleum rorem extrahant et lambant.

Ex avicularum harum numero quandam *Colybri* dictam, Rochefortius in Antill. Hiſtor. natural. et moral. cap. XV. Art. XVII. p. m. 176. et poſt illum Richard Blome dans l'Amerique Angloiſe dans la deſcription de l'Isle de St. Chriſtofle, deſcribunt, quod plumeam in ſummitate capitis coronam gerat, quam in criſtam pro lubitu erigere valet, eamque ſolis illuſtratam radiis, pretioſiſſimis lapidibus diſtinctam et coruſcantem e Rochefortii mente quis judicet; qui inſuper oculos parvulos, par Adamantum chalybi politiſſimo caeruleſcenti infixum, adaequare credit.

Crura et pedes aviculae huic minimi brevesque, cum Ebeni ligni nigredine certantes; in pedibus quatuor digiti, tres anterius, unum poſterius verſus longis ſemilunaribus, acutiſſimisque unguiculis praediti. Alarum remigium optime a Marggravio ſequentibus deſcriptum: Alarum " pennae ſingulari arte a natura ſunt compoſitae. Ab ex- " ortu enim alarum ad tres quartas partes digiti circiter " duplex ordo pennarum eſt, unus longior altero, et ſuper- " poſitae ſunt ibi invicem pennae, quaſi alae breves ſuper " longas; hinc poſt has pennas alae pennae (quarum cir- " citer decem ſunt) ſequens interior ſemper longior fit an- "

 tece-

„ tecedente exteriore, ita ut intima ſit omnium longiſſima „ finem alae definiens.

Ex hac alarum ſtructura volantes velociter alas movent,et tanta quidem pernicitate, ut, ſecundum Illuſtr. Rajum in Willugbejano de Avibus opere, viſu percipi motus minime poſſit, avicula vero alis potius carere videatur. Inter volandum ſtrepitum quendam edunt, ſic ſentiente Marggravio inſtar Bruchi, ſeu rectius *Hur, hur, hur*, inſtar rotae lintcariorum, quae circumvolvitur, vel ſecundum Excell. Rajum inſtar apiculae; ut qui praetervolantes viderit, apiculas, vel crabrones potius, quam aves eſſe exiſtimet. Inde Anglis *Hummingbird* dicitur, quippe *the Humming of bees*, bombiſationem, ſive bombum et ſonitum apicularum denotat.

Librant ſe quoque alarum ope per ſat longum temporis ſpatium in aëre velut quietae, transparentibus pennis alarum expanſarum, adeoque flores, quorum ſucco, rore et melle victitant, roſis tantummodo exceptis, roſtellis ſuis inter volandum carpunt, floribus minime inſidentes. A victu hoc, e florum rore parato, Belgis Germanisque Blumen-Specht audiunt. Hinc fabula quoque fluxit, apud Sinenſes in Provincia Suchven hoc elegantiſſimorum volucrum genus e flore *Tunchon* naſci, quae proinde *Tunchonſung* Sinice appelletur, tanta velocitate a natura dotata, ut alarum remigio aërem tranans, florem expanſis foliis pulchre exprimat. Vid. Kircher. Chin. illuſtrat. P. IV. c. VIII. p. 192. ſqq.

Plumarum, caput, collum ſuperius et ad latera, dorſum totum, et alarum initium inveſtientium, tanta eſt varietas, tanta venuſtas, tantus ſplendor, ut calamo exprimi

haud

haud queat. Hinc ipſi nomen *Ouriſſiae* ſive radii ſolis, *Guarigcoba*, capillorum ſolis; *Guaracaiba*, radiorum ſolis, apud Americanos fluxit, cum

mille trahant varios adverſo ſole colores.

Expediam me ab abſolutiſſimi, quo gaudet avicula, pennarum ac plumularum veſtitus deſcriptione, verbis diſertiſſimi Patris Joh. Biſſelii e Soc. Jeſ. in Argonautico Americano, ſive Hiſtoria periculorum Petri de Victoria ac ſociorum ejus, Libr. XIV. p. 428. *Pennularum nitor*, ſcribit, *verſicolor lucet, ſic ut ſmaragdinum virorem ſplendor ſapphirinus, purpuram vero luteus auri fulgor provocet. Denique quicquid oculus trahit colorum, id omne ſupra Pavonum et Iridis, Admirationis filiae a veteribus dictae, varietatem, in illo volucris breviario natura miſcet, miſtumque denuo ſecernit, haud ineleganti compoſitae venuſtatis diſcordia. Pictorum tormentum invidiamque dixeris, aut profecto manus Apelleae ſolers compendium.* Graphice certe haec Biſſelius.

Hinc eſt, quod a Phrygionibus, teſte Gomara in Hiſtoria, quam de Mexicanae Vrbis expugnatione ſcripſit, admodum expetantur plumulae hae verſicolores, ut aureis intertexant ſtaminibus. Imo Laëtius Not. in Marggravii Hiſt. Braſil. teſtatur, ſe vidiſſe plures Icones, artificioſiſſime ex hujus aviculae plumis concinnatas, ut colore pictae viderentur: ſi enim ſoli obvertas, mirabiliter ſplendent. Cui aſſentit Illuſtriſſ. Willugby, qui apud harum rerum curioſos plures ſe deprehendiſſe ſcribit.

Rochefortius inſuper annotavit, licet mors aviculae plurimum plumularum venuſtati detrahat; a foeminis ta-

men loco inaurium geſtari eas, cum pretioſiſſimis certantes.

Nec viſus tantum, ſed et odoris illecebras illam provocare, autumat modo laudatus Rochefortius, quippe quae Ambram moſchumque redolere ſoleat, indeque forte ab Oviedo ſummar. c. 48. *Paſſer moſchitus* dicatur.

Nidulum pro corporis exilitate minutum, poſt Piſonem, Dionyſium, et Neuhoſium, nemo eodem Antillarum ſcriptore accuratius prodidit. Goſſypini vel aurantii arboris ramuſculis agglutinatum, tam apte, tam concinne ſub foliis abſcondit, ut ab aëris aliisve injuriis immunis ſit. Architectonices quaſi peritiſſima nunquam Auſtro et Boreae, creberrime in regione illius patria flantibus, exponit. Externa domunculae pars e tenuiſſimis Ananaſae, Pita dictae, fibris filamentisque contexta eſt. Has tam affabre, tam arcte et concinne roſtello nectere, ramoque curvo pro ſexus propagatione implicare novit, ut intuentes laborem ſtupeant ac admirentur; et Dn. Edoard Graeves *dans la Relation de tous l'Etats et Pays des Apalachites*, in haec erumpat verba: *le Colybri fait un nid, d'un ſi merveilleus artifice, qu'il eſt a craindre, que l'Arabie heureuſe n' oublie deſormais celuy de ſon Phoenix, pour celebrer celuy la.* i. e. *Tam mirandi artificii nidum componit, ut metuendum, Arabiam felicem impoſterum nidi phoenicis oblivisci, quo hunc celebrare queat.* Contextam ſic externe, et corticellis tenuiſſimis, herbulisque firmatam, aediculam xyli floccis plumulisque, ſericum ipſum ſuperantibus, implet. Nidulis ita paratis foemellae ovula albiſſima, utplurimum duo, ſecundum Piſonem piſa minora, ſecundum Rochefortium vero majores margaritas aequan-

aequantia, imponunt. Niduli hi artificioſiſſime fabricati, pro Muſeis cum arefactis aviculis ovulisque expetuntur, quorum plurima Dn. de Montel ex Indiis Europae intuliſſe, Rochefortius teſtatur. Sic Hiſtoriae naturalis exoticorumque rariſſimorum interpres ſolertiſſimus, Excell. Ruyſchius in Theſaur. Animal. Tom. I. p. 6. nidulum Americanae Ouriſſiae cum ovulis et avicula etiam exhibet. Miror, virum in Hiſtoria naturali perſpicaciſſimum, Piſonem, errore haud condonando ſecundam Hiſtoriae Braſilienſis Editionem, circa hanc avicularum geneſin inquinaſſe. Poſtquam enim de nido ovisque a foemella illic pro pullorum excluſione verba fecit, ad generationem, aequivocam in ſcholis olim dictam, dilabitur, et aviculas has ex Erucis Braſilienſibus (*Lagartas dos Vergas* Luſitanis dictis) transmutari credit. Adſcribam ipſiſſima Piſonis Hiſtor. natural. et Medic. L. V. cap. XXI. p. 319. verba, fictam hanc avicularum metamorphoſin exprimentia, ne quis injuriam me feciſſe viro alias ſolertiſſimo credat. *Cum enarratae Erucae*, ſcribit, *in has aviculas incipiunt transmutari, elegantiſſimae plumae cum alis primo apparent, ita ut tunc manifeſte conſpici detur forma erucae, quoad corporis partem inferiorem jam in aviculam transmutatae. Idem de Papilionibus dictum volo, qui ſubinde in easdem aviculas eodemque convertuntur modo; atque durante illa converſione naſcentis avis et denaſcentis inſecti utriusque medietas eodem tempore liquido apparet.* At mi Piſo: Εὖ δὲ ταῦτ' ἀνεμώλια βάζεις. Producit equidem hujus metamorphoſeos teſtes, Theologum Luſitanum monachosque nonnullos, aequivocae generatio-

nis,

nis, a ſanioribus philoſophis dudum exploſae, forte patronos: cum tamen univocam generationem per ovula jam ipſe deſcripſerit Piſo, cur illorum narrationibus tam temere fidem habuerit, non video.

Ejusdem farinae commentum eſſe videtur, quod hyeme hae aviculae moriantur, ſeu potius obdormiſcant, pedibus nempe e ramo aliquo appenſis aprico loco, ſecundum Fr. Lopez, vel roſtellis pinuum aliarumve arborum truncis affixis ſecundum Hernandez et Nard. Ant. Recchum; vere vero reviviſcant, ſeu expergiſcantur, unde et *Renatae* Antillarum Inſulis vocantur. Tamdiu ſcilicet ſuperſtites eſſe ajunt, quamdiu melligerarum herbarum fructuumque, ut Ananaſae noſtrae, flores, e quibus aluntur, perdurent: quibus decidentibus integro ſemeſtri ſpatio obtorpeſcant, immotaeque maneant, donec flores denuo renaſcantur. *Nec nugae ſunt*, inquit Hernandez, *aut cuiquam debet eſſe dubium: obſervata quippe eſt non ſemel avicula ſtipiti intra cubiculum affixa, et cum ſex menſes exanimis pependiſſet, quo tempore ſibi a natura comparatum eſt, revixit, et demiſſa in vicinos agros avolavit.*

- - - - Αὐτὰρ ὀπίσω
Οὐκ ἀναχωρήσω, μάλ' ἀληθείηφι πεποιθώς.

Credat qui velit, ego non ſum credulus illis; ut cum Excell. Rajo in opere Willugbejano de Avibus loquar et ſentiam: ſcribit enim vir in Hiſtoria naturali accuratiſſimus, τὸ τῆς φύσεως θαῦμα, Marggravius, eas magno numero in ſylvis inveniri per totum annum. Rochefortius quoque, fidus naturae interpres, fabulis accenſendum putat, *mais nous n'avons garde de meler ce conte, a la veritable l'Hiſtoire de*

notre

notre Colybri. Sed abſtinuimus hanc fabuloſam narrationem veræ aviculæ noſtræ, Colybri dictæ, immiſcere hiſtoriæ. Illuſtriſſ. Dionyſius ejus educationi et conſervationi omnem impendit operam, vano tamen conamine, cum aviculae captae vix diem ſupervivant: id quod in Hiſtor. Natur. Americ. ſeptentr. c. X. p. 152. teſtatur.

De cantu earum dubius Rochefortius, cicadarum ſuſurrum aemulari putat, ſibique conſentientes habet Marggravium et Piſonem, qui aviculas has magnum ſtrepitum excitare ſentiunt, non quidem canendo, ut nonnulli prodiderunt, ſed paſſerum more ſibilando *ſcrep, ſcrep, ſcrep*. Quem igitur ſublimem et ſuavem, luſciniae non cedentem, cantum aviculae huic cum Lerio et Theveto affingunt, non Guinambi eſt, ſed Gonambuchae, avicularum harum forte ſpeciei, quae nivei candoris plumis aliſque lucet, nulla colorum caeterorum tinctura. Maizii ſive cujuscunque frumenti, " caulisque paulo celſioris, (uti Ananaſae quoque noſtrae) " cacumina diligit. Eam ſedem et quietem affectat occupat- " que, nec inglorio tamen otio, ſegnive deſidia. Cantillat " enim perpetuo vocis ac ſpiritus fluxu. Quodque praecipue " ſtupeas, cum corpuſculi menſura veſpam tabanumve ſylve- " ſtrem non excedat: carminis tamen volubilem ſubtilitatem " cum ſonitus altitudine, penetranteque claritate, ſic conjun- " git, ut Gonambucham te videre, ſed luſciniam audire putes. " Haec Biſſelius Soc. Jeſ. Pater eloquentiſſimus, loc. ſupr. citat.

Saepius laudatus Nard. Anton. Recchus, qui ſub nomine *Hoitzitzlin* aviculas noſtras deſcripſit, ejus pulverem ſeu potius cinerem epilepſiae mederi tradidit. De Guinambi illud

K porro

porro addo, naturae hoc prodigium in gulae oblectamentum a guloſo appeti Apicio. Sacrificulos enim Surinamenſes his aviculis in cibis delectari, teſtatur civis olim noſtra, celeberrimi Pictoris et Calcographi Graefii marita, nata Meriana, in ſplendido Metamorphoſeos Inſectorum Surinamenſium opere.

Annotavit praeterea haec foeminarum curioſiſſima, aviculas has vernacula lingua *Colybritgens* (quippe diminutivum a colybri) infenſiſſimos experiri hoſtes, in Braſilienſium Aranearum maximo genere, *Nhamdu Guacu* dicto, a Marggravio Hiſt. Braſil. Libr. VII. de Inſect. cap. 3. p. 248. et Richard Blome dans l'Amerique Angloiſe p. 69. 70. deſcripto. Totum Aranei hujus, ſeu potius phalangii maximi, corpus tres et ſemis digitos longum eſt et biſectum. Anterior pars major eſt, et pene duos digitos longa, ſesquidigitum lata, ſubrotunda et compreſſa; poſterior magis orbicularis, nucis moſchatae majoris magnitudine et figura, ſesquidigitum longa. In dorſo medio verſus poſteriora foramen habet umbilicale. Capite caret ſpeciali, ſed ſupra os in anteriori parte corporis ocellos habet minimos, ſplendentes, inſtar punctulorum. Ordinem oculorum aranei hujus exhibet Cl. Blancardus in de Schovvbourg der Rupſen, Wormen, Maden en vliegende Dierkens cap. XXXIII. Ad utrumque oris latus habet prominentiam unguiformem, ſemilunarem, ſemidigitum longam, in extremitate dentatam, dente ſemilunari nigerrimo ſplendente, ſemidigitum longo, quibus pro dentiſcalpiis utuntur auro incluſis: hinc in Muſeo Regio Anglico, ab Excell. Grevv edito, reperitur *the Thooth of the Nhamdu Guacu or Bahama-ſpider*. Crura habet decem, utrinque quinque, et praeter

praeter duplicem articulationem, qua corpori junguntur, quatuor internodia: omnia autem crura in extremitate duo habent exilia cornicula, nigra et biſecta inſtar cancri. Prope anum ſunt bini proceſſus ſemidigitum longi, juxta ſe poſiti, fili craſſioris craſſitie, quibus nere ſolet totus araneus. Veſtitur cute piloſa, brevibus pilis nigris ad viſum tactumque inſtar holoſerici. Sed in hujus deſcriptione, parciori mihi eſſe licet, cum paſſim in Muſeis aranei hi Surinamenſes, inque Volkameriano quoque Gazophylacio conſpiciantur. Illud tamen moneri non ab re erit, innocentiſſimae Colybriculae inſidiari, non tantum dum in nidulo ovis incubat, Nhamdu-Guacu, ſed et illam, ceu figura exhibet, ungulis arreptam jugulare.

Guinambi addimus Ananaſae hoſtem Inſectum Indicum, quod inter Metamorphoſes Inſectorum Surinamenſium Merianae, pictoriae artis peritiſſimae, hincque veterum Ariſtaretes, Timaretes, Glyceras, Helenasque, (ſed quanta haec apud antiquos nomina?) longe ſuperantis, depingitur. Cl. Svvammerdammius in Hiſtor. Inſectorum generali p. 84. Edit. Hennin. hoc Scarabaeis aemulum eſſe vult, et inter Inſecta, quae ad ſecundum Mutationis naturalis ordinem, cui Nymphae-Vermiculo nomen fecit, refert.

Vocatur Belgis *Kakkerlakkie*, detorto, ut Nobiliſſ. Neuhofius opinatur, a Luſitanico *Kakkâlakkas* nomine. Impoſitum ideo huic Inſecto, quod ovula copioſiſſima, et aranearum more excluſa et coacervata, colore Gummi Laccam aemulentur. Ex his ovulis ad maturitatem redactis, animalcula ſibi exitum parant, formicularum magnitudinis hinc inde ſtatim celerrime poſt excluſionem diſcurrentia, et per

intimas rimulas arcarum, ciſtarum, ſcriniorum loculorumque et ſerarum aperturas aditum quaerentia; dumque indies corporis mole augentur, eam tandem aſſequantur molem, quam ſcita Meriana expreſſit. Coloris hoc inſectum eſt bruni, flaveſcentibus lineolis interſectum, caput antennis longioribus inſtructum, cum ad juſtam magnitudinem pervenit, illius dorſum rumpit, avolatque Nympha, relictis integris Inſecti exuviis. Vix nocentius in Indicis plagis animalculum, cum alimentis omnibus, aliisque e linteis, lanis ſericisque confectis rebus, operoſiſſime licet reconditis, exitio ſit, dum illos diſcindit, et arrodit. Neuhofius hoc de illis peculiare annotat, quod in navibus etiam noviter fabricatis naſcantur, et quidem tum maxime, cum ſub linea verſantur, ubi pediculis pereuntibus haec propullulat peſtis. Patriam vero reſalutantibus navibus, et linea praetervecta, pediculi iterum his inſectis ſuccedunt. Dulcibus imprimis inhiant, ideoque infenſiſſimi Ananaſae noſtrae hoſtes, fructus ut tandem finem imponam,

- - - quo vix major in ullo
Nobilitas apparet, odos generoſior exit
Ambroſiusque ſapor, perfundens ora liqueſcit
et rubet aſperſo leniter color aureus oſtro.
- - - - - Caro turgida nectare multo
Eſtur potaturque ſimul. Properate, fugaci
Maturaeque dapi quid parcitis?

AD

VIRVM

ILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM,

DN. CONRADVM BARTOLDVM BEHRENS,

MAGNAE BRITANNIAE REGIS ARCHIATRVM, HILDESIENSIVM MEDICVM AC SENATOREM et pl.

DE NOVIS ET EXOTICIS THEE ET CAFE SVCCEDANEIS,

Botry Mexicana Ambroſioide, Ambroſia Artemiſiae foliis Malab. Capraria Peruviana Agerati foliis, ſive Thee de Lima, Herba de Paraguay, Cafe a la Sultane et Oleo Siree aliisque,

DISSERTATIO EPISTOLICA

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI, Archiatr. Caeſar.

VIR

ILLVSTRIS atque *EXCELLENTISSIME.*

TAnta apud me eſt Nominis *Tui* veneratio, ea officiorum, vel potius beneficiorum *Tuorum* in promovenda *Medicorum ex Statuis et Numis*, quam meditor, *Hiſtoria*, recordatio, ut nihil ardentius quam gratam mentem publice teſtandi occaſionem optaverim. Cum autem maximum, quod nos intercedit, locorum intervallum, illam hactenus inviderct, hoc quod nunc cernis literarium munuſculum Nomini Tuo inſcribendum conſtitui, ne diutius ingrati, vel ſaltem parum grati, animi merito poſtularer, aut neglecti cultus et officii jure arguerer. Nec convenientius ulli mittere poſſem, quam Tibi, *ERVDITISSIME BEHRENS*, eo quod *in Selectis Tuis Diaeteticis*, opere certe aureo, cui in hoc ſcribendi genere vix ullus Medicorum tam laudatas adhibuit curas, ſectionem deſtinaveris peculiarem *aſſumptis voluptuariis inſcriptam*, cui tanquam meſſi largiſſimae pagellarum mearum levidenſes conatus adjici, vel ſi mavis operis *TVI* purpurae, lacinias has adjungi patiaris. Quae vero ſcribendi me impulerit occaſio, paucis accipe.

Miſerat

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700(5)

MIſerat huc e vicinae Bavariae Societatis Jeſu Collegio Botanophilus ad Amicum, quo cum ipſi literarium intercedit commercium, Plantam, quam pro *vero Thee Sinenſi* venditabat; cujus ſeminis ex hoc Regno a Miſſionariis laudatae Societais inibi degentibus ipſi copia facta, quod terrae commiſſum plantam hanc produxiſſet. Cum rerum exoticarum ſtudio me teneri noſſet, qui plantam huc miſſam acceperat, ad aedes meas perlata, quid de incognita hac ſentirem, ſciſcitabatur. Cum que illa plane nihil cum Thee Sinenſi, cujus ſuboles eſſe credebatur, commune haberet, fucum ipſi factum eſſe referebam, quippe Botry ſimilior, cujus ſemen uvae viniferae inſtar racematim caulibus adnatũ.

Ne tamen ſoli mihi ſapere viderer, ad amiciſſimum Volkammerum, qui hiſce in dubiis mihi pro oraculo, mittebam, qui planta viſa ſtatim, riſui vix ſibi temperans, toto coelo aberrant, ajebat, qui Thee Chinenſe te credunt, et ex ejus ſemine productum volunt, quippe quod per aliquot tantum ſeptimanas aptum, ut terrae mandetur, et progerminet, quo dicto plantam laete in horto ejus propullulantem monſtrabat, eamque remittens Ambroſiam pronuntiabat Mexicanam, ſive potius Botryn Mexicanam Ambroſioidem Caſp. Bauh. in Pinace, aut Atriplicem ſuaveolentem Americanam Moriſonii. H. 2. quam foliis aemulatur Atriplex argentea dentata Guraſſavica ſolertiſſimi B. Hermanni Paradiſ. Batav. p. 100. uno verbo Epazotl Hernandez, ſive atriplicem odoratam Mexicanam Nard. Ant. Recchi in Plant. Mexican. Hiſtoria Lib. V. c. 32. quam ſequentibus deſcripſit et delineari fecit: Epazotl ſeu planta odorata herba eſt odora, folia ferens oblonga crenata et rubeſcentia; (Terentius in notis rubra pronuntiat et admodum ſimilia atriplici ſive Botryi) Caules cubitales, ſpicatum ſemen, ac radices ſurculoſe. Naſcitur in calidis temperatisque regionibus, coliturque in hortis nonnullorum commoditatum gratia. Acris eſt, odora, et tertio ordine calefaciens; edulis etiam, cruda coctave; et adjecta condimentis corroborat.

Transmiſſa mihi alia ſub hoc nomine, quam plantam jam flaccidam examini ſubjiciens, et corrugata folia profundius

 laciniata

laciniata explicans, yzecum patli *Hernand. Mexic. Hiſt.* p. 446. foliis Artemiſiae candicantibus, ſive florem Artemiſiae viridem deprehendi, forte Ambroſiam illam elatiorem foliis Artemiſiae atrovirentibus aſperis odoratis non lanuginoſis, quam inter lapides prope fluvium, dey Rivier dictum, creſcere necnon in aliis locis mediterraneis Inſulae Jamaicae obſervavit *Illuſtriſſimus Hans Sloane.*

Revocabant plantae hae hactenus recenſitae, Botrys nempe Ambroſioides et Ambroſia Artemiſiae foliis, illud *Dioſcoridis* in animum: Cappadoces Botryn Ambroſiam, Artemiſiam vocaſſe; *Pliniumque* pariter Ambroſiam cum Artemiſia confudiſſe. Abſit tamen, ut defendam, his Auctoribus aliquid de Plantis Mexicanis ſuboluiſſe.

Americanas et Mexicanas has plantas in orientali quoque India progerminare, teſtis eſt *Illuſtriſſ. Hort. Malab. Auctor* T.X. p. 89, Fig. 4. 5. ſub nomine Katu-tsjetti-pu, quod barbaricum nomen, Ambroſiam Malabaricam Artemiſiae folio odoratiſſimo floribus flavis interpretatur ampliſſimae dignitatis Commelinus. Datur quippe et Ambroſia elatior Artemiſiae foliis inodoris, quam maritimam plantam e ſeminibus a D.D. Ciaſſi Venetiis transmiſſis, in horto Academico Lugduno-Batavo productam, in ejus catalogo deſcripſit et delineari fecit Excell. Hermannus p. 35. Cum autem regium illud Horti Malabarici opus non in omnium manibus exiſtat, et jam aliquoties Thee hujus novi guſtui magis nonnullis abblandientis, Chinenſi ſubſtituti, a variis injecta fuerit mentio, ne quod mihi primo intuitu factum, aliis quoque accidat, plantaeque exſiccatae folia noſci haud queant, non aegre quis feret, ſi ex opere iſto mutuo ſumtam hic inſeram deſcriptionem.

Planta eſt quatuor quinqueve pedum arenoſo gaudens ſolo. Rami virides, lignoſi ſuperiori parte, ubi teneriores viridi ſubcaeruleſcentes, nonnihil piloſi. Folia, quae in ramis ac ſurculis proveniunt, laciniata, craſſiola, in adverſa parte, ubi coſtulae eminent, villoſa, odoris, ut et tota planta, grati, aromatici ſaporis ſubacris. Flores ſunt plano-rotundi ſurculorum ſummitatibus inſidentes,

quarum

quarum petala oblongo-anguſta, in longitudine plicis ſtriata, ac in illarum tractu, ubi diutius ſe aperuerint, ſe findentia, fl va, quae ſingula ſtamine concomitantur flavo viridi, ſuperiori parte furcato, quod ex pede folii theciformis emergit. CAPSULAE SEMINALES plano rotundae ſunt ac virides, tarde ſe aperiunt, adeo ut quatuor quinqueve menſes maneant clauſae.

Hanc igitur *Botryn Mexicanam Ambroſiodem*, et *Ambroſiam Malabaricam Artemiſiae foliis odoris fragrantis*, utriusque enim uſus invaluit, in vicinis noſtro circulis Suevico Bavaricoque, nomine Thee Romani experunt, ejusque infuſo indulgent nimium quantum, quod e Magnifici Dn. Praeſidis noſtri aeternum venerandi, qui et plantam et ſemen *Botryos Ambroſiodis* mihi benivole transmiſit, literis ad me datis didici. Ante multos tamen annos Dantiſci jam in Regio illo Olivae Coenobio, maximo in uſu fuiſſe *Botryn Ambroſiodem*, retulit mihi amiciſſimus *Dietericus*, qui dum ſtudiis ibi pharmacevticis incumberet, incantamenti inſtar plantam hanc Arnicae Cluſii junctam, et in cereviſia generoſa coctam, in caſu ab alto, aliisque affectibus, ubi ruptorum vaſorum ſanguinisque extravaſati metus et ſuſpicio erat, exhibitam, opem tuliſſe ſaepius expertus eſt, ſuccedente utplurimum per alvum, viasque urinarias cruore congrumato. Firmat hanc amici experientiam externus et internus Plantae uſus in India orientali Ambroſiae Malabaricae odorae: ſic enim de illa Hortus Malabaricus l. c. *Oleo Zergelino ſeu Tzit-Elu et ſpiritui vini incocta planta Katu tsjetti-pu, partique affectae applicata, empyemata, et reconditos abſceſſus, antequam maturuerint, ſanat, imprimis ſi ejusdem ſuccus cum melle bibatur; cum vino aduſto et Europaeo ac Malabarico Marrubio in formam Emplaſtri redacta, et dolenti impoſita parti ſpasmo medetur; cum melle jejune deglutita hydropem ſolvit.*

Imprimis, qui Sinenſi hoc Mexicanum Thee ſubſtituunt, vim antiſcorbuticam, ſanguinisque acrimoniam et viſciditatem temperandi incidendique efficaciam praedicant, felicioribus ſucceſſibus adhuc confirmandam, quod ex balſamicis aromaticis, et haud

levem fragrantiam ſpirantibus effluviis plantae haud difficulter hariolari licet. Stupendum, modo verum, quod hac de planta Malabarenſes jactant, nempe aegrotantis pulvinari illa ſubſtrata, vitae mortisque auguria captari; quod ſi enim inde ſomnum non capiat aeger, vitae periculum imminere. Radicis quoque uſus in Orientali India invaluit; ſi enim radix Oleo Sergelino incoquatur, poſtea panno inungatur et ſingulis XII. horis renovetur, purgat exanthemata; cum lacteo Nucis Indicae ſucco decocta radix phagadoenica curat ulcera; idem praeſtat pariter radicis Cortex, affectae parti impoſitus.

Sed plus lucis cum die afferet continuatus Ambroſiodes *Botryos et Ambroſiae Malabarenſis* uſus. Dilabitur calamus in aliam Thee Sinenſi ſuccedaneam plantam, *Thee de Lima* dictam. Primam hujus notitiam mihi dedit Rev. P. Societatis Jeſu urbem noſtram tranſiens, meamque in arthritide anomala poſtulans opem. Cum nil mihi de novo hoc conſtaret exotico, ſiccaque et exſucca folia, cui plantarum claſſi accenſenda foret, prohiberent; animus noſcendi novum exoticum cupidiſſimus undique conquirebat fontes, vacuos tamen nullaque uſpiam novi hujus Thee Peruviani nuper introducti nec vola nec veſtigium. Deſperans de notitia e ſupellectili literaria mea haurienda, incidi in librum noviter Pariſiis mihi allatum, inſcriptum: *Journal des Obſervations Phyſiques, Mathematiques et Botaniques du Pere Louis Feuillee, Religieux Minime, Mathematicien et Botaniſte de S. Majeſt. et Correſpondant de l'Academie Royale de Science etc.* Obtulit ſcriptum hoc optatiſſimum ἕυρηκα, quippe Auctor Hiſtoriae naturalis ſcientiſſimus, ſolide exoticum novum hoc detexit, et ſub nomine *Caprariae Peruvianae Agerati foliis absque pediculis*, expreſſit. Cum nec plantae effigies nec deſcriptio adhuc repertu detur, indictaque ſit planta Botanicorum choro, latiali toga indutam exhibere, mecum, bona uti ſpero cum Lectorum φιλοβοτανῶν venia, conſtitui.

Arbuſcula haec ante Annum 1709. vix in Peruvia nota, aemula Thee Sinenſi quoad vires, impulit poſtquam innotuit, Pe-

ruanos,

ruanos, ut relicta illa Indiae Orientalis planta, hanc penes ſe naſcentem indigenamque expeterent; cumque e regione illa pararem abitum, tanta jam hujus exotici infuſum ingurgitandi invaluerat conſuetudo, ut vix fando quis audierit frequentius, quam de novo hoc Thee ſuccedaneo, Thee de Lima dicto.

Diffunduntur autem fruticis hujus *Radices in fibras cirratas*, quae una cum radice, *cortice* tenuiori coloris gryſei, corpus lignoſum, candicansque involvunt.

Scapus ſive caulis paene ſex pedum altitudinem, dimidii pollicis craſſitiem attingit, in plura brachia ſe expandens, ſubdiviſa in plures ramuſculos, qui alternis foliis ſatis ſibi contiguis inſtructi ſunt. Structuram florum quod concernit, illis ſunt quindecim lineae longitudinis, latitudinis tres, a baſi ad mucronem usque percurrentes, ex uno latere inferne rotundatae, ſuperne planae. Hoc latus undiquaque plures nervulos emittit, in ambitum et circuitum foliorum ſe diffundentes, latereque angulos efficiunt acutos, verſus apicem ſe extendentes.

Unumquodque folium baſi partem ramorum, cui adhaeret, ambit, circumferentia gaudet denticulata, inque acumen terminatur laevigatum, ſupra coloris laete viridantis, infra vero paululum hoc a colore diſcedentis, optime omnia cum figura in Tabula depicta concordant.

E Foliorum alis oriuntur poſtea ab uno ad tres usque pediculi rotundi, pulchre virideſcentes longitudinis linearum trium, craſſitiei dimidiae, quorum quilibet, calice quinquepartito conſtat, e cujus fundo obtuſus oritur tubulus, in quinque lobos circa aperturam diſtinctus, conſtituens florem album, cujus diameter quatuor linearum. Flore pereunte, quilibet lobus floris A inferne recurvatur.

Per floris centrum piſtillus prodit C. figurae inverſi pyri, flore deciduo tamen ſuperſtes; cum maturuit longitudine ad duas lineas cum dimidia accedens; in parte ſuperiori oſtendit ſtylum tubi inſtar cavum, qui ſecundum longitudinem in binas capſulas B. B. dirimitur, mediante materia albicante tanquam

quam ſepto intermedio junctas, quarum quaelibet ordine granulorum circularium in ſuis loculamentis. Grana ſunt perexigua, figura ovali, coloris circa maturitatem Boetici ſive fulvonigreſcentis.

Haec deſcriptio accuratiſſima novi hujus exotici *Thee de Lima*, a Regni Peruani regia dicti, quam ſedulitati viri βοτανικωτάτου Rev. P. Feuillee debemus. Differt tamen ab illo, quod per Regnum hoc, vicinumque Chilenſe conterminasque regiones expetitur, in quo non tantum Hiſpani, ſed et indigenae paene omnes delitias quaerunt, nec ſine illo diem tranſigere cupiunt. Vocatur vulgo *Herba* ſive *Thee de Paragauy*, loco nempe regioneque natali, miſſione Rev. P P. Societatis JEſu, quorum mero imperio terrae hic tractus ſubeſt, celebri. Herbam pariter St. Bartholomaei nominant, quoniam e vulgi traditione St. Apoſtolus hujus nominis Terram hanc adeundo, venenatam ante inſalubremque praeſentia ſua beneficam ſalutaremque reddiderit.

Cum in pulverem redigatur planta, et ſic extra natale ſolum deferatur, cujas ſit, et cui aſſerenda plantarum ordini *Thee de Paraguay*, haud liquet, nec ulli hucusque conſtitit. Rev. P. Sepp Tyrolenſis et Rev. P. Böhm Bavarus, bini Societatis JEſu Sacerdotes, in Relationibus de itinere in hanc regionem ſuſcepto luci publicae lingua vernacula commiſſis, tradunt, folia ſicca arboris cujusdam eſſe, quam tamen dicere muſſant, juramenti adſtricti fide. Sunt pulveri huic, quem ſolertiſſimus Pharmacopoeus *Dn. Dietericus* aliquoties conſpectui obtulit, fibrae foliorum duriores, quae ſatis arguunt, non tenellae plantae exiſtere folia. *Woode Rogers Anglus* in itinere inſcripto: *Reyſe naa de Zuidzee* p. 81. paluſtrium udoſorumque locorum, (*het groyet in moeraſtige gronden*) ſubolem pronuntiat. *Dn. Freſier* Gallus in hodoeporico hoc demum anno edito et inſcripto: *Relation du Voyage de la Mer du Sud.* T. II. p. 442. dum modum, quo Thee hoc de Paraguay hauriunt, exacte deſcribit, ingenue fateri coactus eſt: *comme on ne l'apporte que ſecchee, et presqu'en pouſſiere, je ne puis point en faire la deſcription.* Cum illi ipſi igitur,

tur, qui his in regionibus extitere, nil certi hac de planta ſcribere audeant, quae qualisve illa ſit; quis ἐπέχειν nobis vitio in re incertiſſima vertere velit, non video.

Nec mirum, Societatis prudentiſſimae Patres, uti in omnibus perſpicaciſſimos, circa hanc pariter herbam, quaeſtuoſiſſimam quippe illis mercem, plusquam lynceos eſſe. Si enim fides habenda illi Relationi, Itinerario Dn. Freſier in Belgica Editione annexae et Gallice inſcriptae: *Memoire touchant l'Etabliſſement des Peres Jeſuites dans les Indes d'Eſpagne*; hujus herbae de Paraguay commercium per annuum ſpacium ultra centena Millia illius monetae, quam piaſtres vocant, ſuperat; de quo ſummae dimidium in Miſſionis Paraguayicae Patres, penes quos monopolium, redundat. Fidem paene ſuperat, quae Auctor porro addit, ex aliis mercimoniis, (imprimis auri ramentis poſt eluviones fluminum torrentumque collectis,) quae Miſſionis provincia ſummo Societatis imperio ſubjecta ſuppeditat, quaeſtum tricies mille millium colligere. Hoc equidem ulteriori probatione non indiget, omnem impendere Patres hujus herbae collectioni opem et operam, ut ſubditi Indici fere huic oneri ſuccumbant, modo vera tradit Anglus Woode Rogers loco jam citato. Sic *Dn. Freſier* annotavit, ultra quinquaginta millia *Arovarum* (pondo eſt viginti quinque librarum) e Provincia Paraguay, mediante flumine de la Plata et curribus in Regnum tantummodo devehi Peruanum. Magna praeterea copia in Chilenſem regionem conterminasque defertur, maximo aerarii Regii, cui vectigalia ſolvenda, emolumento.

Recenſentur autem binae herbae hujus ſpecies, una vocatur *Hierba de Palos*, altera melior guſtuique gratior, *Hierba de Camini*, quae ultima ſpecies tantummodo in Miſſionis terris colligitur. Inhiant autem herbae hujus Infuſo uſuique Incolae regionum hactenus memoratarum paene omnes, tam Hiſpani, regionum domini, quam Indi ad ſerviendum nati, et quidem tanta aviditate, ut *P. Seppio* pro manipulo herbae de Paraguay equos bovesque obtulerint vendiderintque, tanta illis in potu

hujus Thee voluptas, ut ſervitii pariter intolerabile jugum mitiget.

Modum ſumendi nemo melius Domino *Freſier* deſcripſit, et quomodo a ſorbitione potus Sinenſis differat, docuit: nec enim illam, quam ex Thee Tincturam extrahit ſeparatam hauriunt, ſed poculo e cucurbita Indica Calebaſſe parato argentoque obducto, (quod poculi genus Mate vocant,) herbam de Paraguay ſaccharo addito immittunt, ſuperimfuſa aqua calida, nec longiori remorae locus, cum diuturnior infuſio nigricans inſtar atramenti evadat, ideo vix affuſa aqua ſtatim ſequenti utuntur modo. Cum in pollinem redacta herba, aquae utplurimum innatet, tubulo utuntur argenteo, in cujus extremitate ampulla parva plurimis pertuſa foraminulis, mediante qua liquor, qui ſugendo attrahitur penitus herbae pulverem a ſe demittit. Bibitur ſic per hunc tubulum in orbem, ac tantum aquae reaffunditur calidae, quantum bibentibus opus. Loco tubuli, lingua vernacula Hiſpanis Indisque *Bombilla* dicti, nonnulli pulverem Thee de Paraguay aquae innatantem, ſeparatorio argenteo plurimis foraminulis pervio removent. Taedium animusque Gallorum averſus in hunc cum unoquoque bibendi modum, in regione, ubi lues illa, cui India contulit nomen, endemia, cauſam dedit et inventionem uſus tubulorum minorum vitreorum, quibus nunc in Peruviae civitate principe, Limae utuntur, alacriusque et absque ullo infectionis metu ſorbent.

Per integrum diem antemeridianis pomeridianisque horis, hoc ſe recreant Peruviae incolae, ad minimum in die ſemel e cubili ſurgentes. Panaceae vices ſupplere creditur blandiſſima emeſi, qua nulla tamen ventriculo vis infertur, ſaburram e ventriculo eliminando, quod jam olim in eruditiſſima ad Academiam noſtram Relatione *de novo Americano antidyſenterico* retulit μέγα θαῦμα βροτῶν *Illuſtriſſ. Leibnizius*, cujus pro dolor! obitum orbi literato univerſo, imprimis Academiae noſtrae funeſtum, TIBI EXCELLENTISSIME BEHRENS luctuoſum, dum haec ſcribo triſtis fama nuntiat. Salvete pii

te pii Manes, et Aeterni viſione beatiſſima aeternum perfruimini.

Hoc porro de Paraguayico annotandum infuſo, tali opus fuiſſe remedio guloſitati Indorum: cum enim e relatione *P. Sepp* carnes vix aſſas crudasque ſanguinemque fundentes devorent, cruditates in ventriculo accumulari haud mirum, quas iterata hujus Thee ingurgitatio per ſalutarem, nec ullo modo moleſtum vomitum eliminare potis eſt; quae ſimul (quod aliis emeticis inſolitum) teſte Anglo *Woode Rogerſio* l. c. evacuandi virtus, appetitum deſtructum excitandi vim junctam habet. Abuſus tamen hujus potus illa quoque parturit mala, quae immoderatus Vini uſus comitari ſolet: *Het onmaatig gebruyk daarvan veroorſaakt deſelfde Siektens, als het overtollig Drinken van Wyn doet, ut verbis Rogerſii* Verſionis Belgicae me expediam. In ſilentio repono Japonicam, plantam dulcamaram *Kook*, vel *Kuko*, aliis *Numi guſſuri* dictam, cujus folia more Thee extrahenda refert Excell. *Kaempfer.* Amoenit. Exotic. Faſc. V. p. 777. liguſtrum eſt ſpinoſum, denſe folioſum, folio unciali ovato, margine integro, floſculis in uno pediculo ſingulis vel geminis purpuraſcentibus pentapetalis, petalis in Hyacinthi floris figuram et magnitudinem coëuntibus, baccis et ſemine Glycypicri.

Interim expectandum erit, usque dum futura tempora veram herbae ſive Thee de Paraguay plantam nobis detegant, tandemque ex obſcuritatis, in qua nunc latet, abyſſo reducant, quod cum arbore fructum Cafe ferentem, jam factum, cujus ramum in Centuria IV. Ephemeridum oculis ſpectandum exhibuimus. Cum mentio potus Cafe injecta, in memoriam redit, novum hujus Arabicae decoctionis genus, *Cafe a la Sultane* dictum. Aequum enim fore duxi, ſuccedaneis Thee Sinenſi hoc potus Yemanici ſupplementum pariter adjungere.

Luculentam ejus mentionem injecit Auctor Itineris Arabiae felicis, et in aulam Regis Yemen feliciſſimae Arabicae Provinciae, loci Cafe natalis; cui libello adjunctus Tractatus hiſtoricus inſcriptus Gallice: *de l'origine et du progres du Cafe, tant dans l'Aſie, que dans l'Europe; de ſon introduction en Fran-*

 ce, et

ce, et de l'etabliſſement de ſon uſage a Paris. Hoc in ſcripto plurima circa nomen et ortum hujus potus aliis plane indicta et incognita ab eruditiſſimo *Galandio*, (cujus ſtupendam in linguis orientalibus ſtudium nemini, cui haec nota eruditio, ignota eſt) e Scriptoribus Arabicis in Bibliotheca Regia obviis, excerpta reperiuntur, a cujus longiori recenſione abſtineo, cum in vernaculam noſtram traducta linguam, in omnium exiſtat manibus; ſicuti et arbor, Cufe producens, in praecipuis Germaniae hortis jam laete paſſim adoleſcit et viret.

His igitur relictis, ea tantum, quae de novo Cafe genere, *a la Sultane* dicto, habet itineris Auctor, vel potius collector, uti videtur Dn. la Roque, excerpere placuit. Optimatibus Regionis (de Provincia Yemen loquitur) alius potus Cafe modus in uſu, ipſis tantum peculiaris: non enim fabis ſeu potius fabaceis nucleis Cafe utuntur, ſed corticibus tantum ſeu involucris; quibus pelliculas tenuiſſimas fabaeformem nucleum proxime inveſtientem, Excell. Kaempfer in Amoenit. Exotic. Faſcic. I. p. 123. furvas membranulas dictas, addunt. Praeparationis modus ſequens eſt. Sumunt probe maturos cortices, quos diffractos in cymbio fictili carbonibus imponunt, et inſtar Cafe torrent, usque dum parum coloris contrahant. Eodem temporis articulo aqua in vaſe decoctioni deſtinato calefit, cumque cortex debito modo torrefactus eſt, bullienti aquae infunditur, cum quarta pellicularum parte; tantum autem temporis ſpatium, quantum ordinaria potus Cafe decoctio exigit.

Color hujus potus convenit per omnia Anglicanae Cereviſiae. Aſſervantur autem hi cortices in locis ſiccis probeque clauſis, ne ſaporis pravitatem ab humiditate contrahant. Huic potui Yemenenſes Arabes vix ſimilem credunt ullum. Nec Gallis in Regis Yemenenſis curia, et apud ſummos Regni miniſtros, alius potus quam e corticibus Cafe exhibitus, qui proinde ingenue confeſſi ſunt, guſtui potum hunc apprime abblandiri.

Nec ſaccharo opus eſt ad deliniendum ſaporem: tantum enim abeſt, ut amaror corrigendus, ut potius dulcedo moderata

et

et gratiſſima hoc in decocto lateat. Cum haec Cafe ſpecies non ad pauperum tabernas transferatur, ſed potiſſimum in aulis principum maneat, *Cafe a la Sultane* vocatur. In Europa et oris noſtris nondum comparuere hae Yemenenſium delitiae; et ſpes perexigua ſupereſt, illas obtinendi; cum enim parum ſubſtantiae cortices pelliculaeque habeant, metuendum multum adhuc efficaciae perdituros, usque dum ad nos per viarum longitudinem terra marique transferantur, cum præcipua virtus hujus Cafe a la Sultane in eo conſiſtat, ut recens factum tantum hauriatur. Quae omnia, TV, EXCELLENTISSIME BEHRENS, brevibus ex Cl. Hermanno annotaſti in Selectis Tuis Diaeteticis: *Cortices Cafe ſeparatim aſſervantur, non autem diu durant, unde et infuſum ex iis pro magnatibus paratur.*

Viſis hactenus novis Thee et Cafe ſubſtitutis, imperaveram calamo Colophonem: detinuit autem paululum adhuc methodus iſta, qua decocta haec aquea illis, quorum ventriculus aquam ferre recuſat, per leviuſculas oleorum aromaticorum et fragrantium, olei nempe aromatici Indici, Culilawang, foliorum Malabathri, Cajeputi. Indici Cardamomi ſpeciei, Canangae e floribus, Eſſentiae de Vanigl, de Nerola, praecipue Siree adſperſiones et irrorationes corrigantur. Longum foret in horum oleorum plurimis incognitorum virtutes et ortus inquirere, ideoque eorum examen aliis deſtinavi curis. Sufficiat tantum *Oleum Siree* hac vice fugientibus inſpicere oculis. Supereminet hoc inter reliqua ex orientali India allata: quicquid enim in Meliſſa ſuavitatis, quicquid delitiarum in Schoenantho, quicquid citrum amoenitatis poſſidet, in oleo hoc Siree concentratum videtur. Nonnulli ob odoris ſimilitudinem Meliſſae credidere ſubolem, cumque Meliſſa Molucca, Cardiaca pariter Syriaca cognominata ſit a Botanicis, nomen inde Syri vel Siree impoſitum credidere. Alii in Schoenanthi oleo, hujus natales quaeſivere, praeſertim cum Nobiliſſ. Herbertus de Jäger ad Dn. Rumphium, Amboinenſem illum Plinium, per epiſtolas nuntiaverit, illum in littore Coromandel integros agros Schoenantho

 con-

conſitos reperiſſe, incredibili odoris fragrantia, quam noctu, vel pluvioſo coelo longe lateque exhalarint; hinc pulvere Schoenanthi in Golconda ad detergendas utuntur manus, quippe aquae manibusque ſuavitatem nitoremque conciliat. Amboinenſis Schoenanthi meminit Ann. III. Dec. II. Ephem. Nat. curioſ. pag. 80.

Atque licet Schoenanthum officinarum ſive proprie dictum haud exiſtat planta illa, oleum Siree nobis ſuppeditans, ambo tamen orientalis Indiae duumviri jam laudati, in hiſtoria naturali expertiſſimi, poſt longiuſculum amicumque hac de re habitum diſſidium, fateri tandem coacti ſunt, ad Schoenanthi genus reduci poſſe plantam oleo Siree praegnantem.

Eſt autem Juncus vel gramen, quod gramen Meliſſae odorum vernacula Siree dicunt, pronunciatione parum diſtante a *Seri* planta Japonica, quam Petroſelino foliis Alſines aſſimilat Excell. *Kaempfer*. Amoen. Faſcic. VI. p. 825. Hoc gramen Meliſſee odore in Itinere Perſico in Cochinenſi agro cum caule floribusque reperit Nobiliſſimus *Herbertus de Jäger*, illud oleum ſuaviſſimum Siree fundens; et dolendum maxime Iconem plantae cum Amboinenſi Herbario *Rumphiano*, quae jactura omnes, quibus hiſtoria naturalis Indica curae cordique, tangit adhuc, et tanquam irreparabile damnum angit. Ingreditur autem illud oleorum ſuaviſſimum in Perſia orientalibusque regionibus omnes unguentorum odoratui abblandientium illecebras. Datur quoque Schoenanthi Perſica ſpecies, in cujus deſtillatione Excell. *Kaempferus* l.c. p. 772. camphoram copioſe obtinuit.

Non poſſum, quin data hac Schoenanthi ejusque aemulae in oleo Siree fragrantiae occaſione errorem detegam, cui planta ἐχινάνθη dicta anſam dedit. Cum enim materiam illam ſacri Chryſmatis apud Graecos ἐχινάνθη ingrediatur, ceu videre eſt apud Reverendiſſimum Vabrenſem Epiſcopum *Habertum obſerv. ad Rit. Chryſmat. in Archierat. Libr. pontifical. Eccleſ. Graecae* p. 712. et Eruditiſſimum *Goar in Eucholog. Graecor.* Not. *ad cap. Mat. Sacr. Chryſm.* p. 643. diverſum diverſi hac de planta ſacrum Chry-

ſma ingrediente ſenſerunt. *Matthaeus Sylvaticus Lexico phyſico Venet.* Anno 1498. *impreſſ.* fol. 77. *Plantam* eſſe ſcribit *lentiſcum videlicet.* et ſecundum *libr. antiquum de ſimpl. medicam.* dicitur: *ſpina alba et puto ſic dici* ἐχινάνθη ait, *quod capitellum habet ſimile echino marino,* Haec ille, haud equidem alieno a Dioſcoridis ſenſu, qui echinum plantam non agnoſcit, ἄκανθαν tamen λευκὴν memorat, cujus in cacumine caput eſt ſpinoſum, echino maris ſimile, et flores purpurei. Flores autem illi, licet nomen ἐχινάνθης etiam obtinerent, nil tamen componendo fragranti unguento profuturi eſſent; ἔχινος quippe ſive ἄκανθα λευκὴ planta ſylveſtris eſt, contempta, nulloque niſi gravi odore celebris, usque adeo a conſideratione hac penitus aliena, ſicut et conflando μύρῳ inepta.

Relicta itaque Sylvaticis ſylvatica planta, audiendus inſuper Eminentiſſimus *Habertus* l. c. ἐχινάνθη, inquiens *planta, aliqua, et ipſo nomine videtur, cujus flos echino h. e. calice aculeato veſtitus ſit et munitus, ſicut echini dicuntur, et caſtanearum calices inſtar echinorum ſive Eryciorum aculeis rigentes, apud Auctores tamen Botanicos ſub eo nomine ignoratur.* Addit in margine venerandus Vabrenſium Antiſtes: *Didici ab Epiſcopo Graeco, eſſe noſtram caryophyllatam Giroflee.* Sed niſi firmiora afferat argumenta, quam alii hactenus Auctores citati, de planta controverſa ἐχινάνθη, fruſtrabuntur certe expectationem noſtram.

Propius ad ſcopum vergit correcta plantae hujus lectio, quam propoſuit doctiſſ. *Georgius Coreſius* Chienſis τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ἰατρικῆς διδάσκαλος, qui non quidem ἐχινάνθη, ſed potius σχοινάνθη hic legendum eſſe judicat, qua voce σχοῖνος ἀρωματικός, Juncus aromaticus intelligendus, cujus jam Dioſcorides meminit Libr. I. c. 16. Vid. *Dn. Goar* l. cit. Quod ſi Siree Schoenanthi Perſici vel orientalis ſpecies, uti jam a nobis demonſtratum, inque Aſiaticis provinciis luxuriet, non quidem crimen commiſerim, ſi ſtatuerem, fragrantiam olei Siree, ſacrum Graecorum Chryſma, ſub σχοινάνθης nomine ingredi.

Hoc denique monendum reſtat, non olea tantum fragrantia et aromatica, quale hactenus deſcriptum Siree, pro corrigen-

da

da cruditate, ſaporisque ſuavitate addi, ſed & alia pro concilianda odoris gratia in Indiis jam ſociari, id quod de foliis ſpeciei *Saſanque Tſubakki* retulit toties laudatus, nunquam ſatis laudandus, *Kaempferus Amoenit. Faſcic. V.* Cujus folia autem infuſo Thee adjunguntur, eſt *Tſubakki*, ſpecies pumila, flore roſeo rubro ſimplici utplurimum pentapetalo, diſco ſeu umbilico ſtamineo, fructu tripyreno pyriformi, nucis piſtaciae magnitudinis, nucleis tribus albis rotundiſſimis. *Tſubakki* autem, cujus pumilam modo ſpeciem recenſuimus, Japonice pariter *Sa* et *Sjun*, frutex eſt flore roſeo fructu pyriformi tricocco. Notari meretur, fruticem hunc ſtructura et facie ſua exprimere Thee Sinenſe, unde orienti placet, proprio adhuc carenti, characterem mutuari a *Tſubakki*.

Sed cum calamus per tot ambages ad Plantam Sinenſi Thee ſimilem et ſubſtitutam redierit, receptui canimus huic de exoticis Succedaneis Thee Sinenſis diſſertatiunculae coronidem imponentes; quae Tu, *VIR ILLVSTRIS*, minutula licet, ſed fortaſſe oblectantia non deſpicies, potius ut perenne cultus amicitiaeque χάρισμα aſpicies, meque Tui addictiſſimum amare, quemadmodum hactenus feciſti, haud deſines. Vale.

Dabam Noriberg. ipſis Mart. Calend. 1717.

M. F. Lochner
Arch. Caeſar.

BELILLI INDICUM

cujus occaſione
in
TETHYOS
MYTHOLOGIAM,
TETHYORUMQUE
Naturam inquiritur,
illuſtratum
a
MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO
Archiatr. Caeſar.

VIRO

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

DN. JOANNI PHILIPPO BREYNIO

Med. Doct.

ACADEMIAE CAROLINAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

et

SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE LONDIN. SOCIO CELEBERRIMO,

PHYSICO GEDANENSI EXPERTISSIMO

et pl.

D. D. D.

AUCTOR.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

58700(6)

VIR

VIR
EXCELLENTISSIME.

FElicem illum diem ſemper praedico, qui ſingularis et propenſae in me voluntatis Tuae ſignificationem patefecit, et declaravit, quantum fructuum et voluptatum e naturalis hiſtoriae ſtudio caperes, quod haereditario quaſi jure ab immortalis gloriae Parente, latentis Naturae Myſta maximo, Tibi collatum, me quoque ſtudiis prae aliis omnibus capit et rapit in admirationem. Affirmo Tibi hoc ex animo, *ERVDITISSIME BREYNI*, feſſus catenatis curis clinicis, nusquam recreandi animi bentius divertor quam ad Naturae abſconditas gazas, quarum perluſtrandarum me varietates valde cupiunt, valde amoenitates, non mente concipiendae tantum, ſed in oculos incurrentes, adeo illi quidem naturae luſus praecipue marini, alliciunt, ut non injuria collectas dicam in eo mari, in quo orta Gratiarum ſuavitatisque omnis parens Venus. Sed cum deſtituar omni in marina inquirendi occaſione, ſoli arenoſi incola, longiſſime a ſalo remotus, Tibi, optime BREYNI, de marino hoc producto diatribam inſcribere conſtitui, qui licet non maris accola, vicinus tamen exiſtis, et cui inſuper per doctiſſimum in univerſam fere Europam literatam commercium, et omniſciae

paene Societatis Anglicanae (quam nunquam ſine devota veneratione nomino, et cujus Tu digniſſimus Socius) omnia indicta aliis incognitaque pateant, benivole ſupplere velis illa, quae in diſſertatiuncula hac mea, quod probe equidem tenuitati meae notum, deficiant. Quae nigrum Theta merebuntur in hac Tethyorum recenſione, jugulabis rogo, et ſpongia induces hanc ab Italis dictam. Spongiam, quod Ajaci olim ſuo fecit Auguſtus. Nec taedium inde capies, ſi Tethyorum occaſione in philologorum et antiquitatis abyſſum delapſus, ad Hiſtoriam naturalem illuſtrandam quaedam inde retulerim. Hoc enim ſtudii genus nos Medicos ab Empiricis et puris Clinicis diſtinguit; et non ſine ratione humaniores vocantur literae, non niſi ab inhumanis neglectae. Magni Meurſii me querelis in hos ſtudii liberalis oſores non ſine amarore effuſis, expediam: Qui literarum, inquit, humanarum et antiquitatis ſtudia rejicula cenſent, nae illi vacerae ſunt et ſtatuae caput habentes. De Apuleji proſapia videntur, i. e. inter Aſinos praecipui: nam aureus ille fuit. Severiora equidem verba, vera tamen, quae eo fidentius profero, cum probe mihi conſtet, Tibi Muſarum conſortium curae quoque cordique eſſe. Quod ſupereſt, ſancte hiſce promitto, non ullo unquam tempore me commiſſurum, obſequium ut in me deſiderare poſſis, in illis praeſertim rebus, quae mutuae amicitiae ulterius firmandae uſui eſſe poſſint. Vale et favere perge

TVO

M. F. Lochnero
Arch. Caeſar.

Cap. I.

QUae lepidiſſimus jocoſae amoenitatis arbiter *Petronius*, de Romanorum deteſtanda ingluvie, qui mare, qui terras alieno ſole calentes, per improbam ſatietatis laſciviam peragrarunt, cecinit:

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afrae volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles; at albus anſer
Et pictis anas enovata pennis,
Plebejum ſapit. Vltimis ab oris
Attractus ſcarus, atque arata ſyrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt: amica vincit
Vxorem: roſa cinnamum veretur.
Quicquid quaeritur, optimum videtur.

Hoc de Medicina noſtra pariter optimo jure ſcribere licet, dum Medicorum et aegrorum plurimi, medicamentis alieno ſub ſole natis inhiant, maximeque expetitur id, quod

- - - *remoto arceſſitur orbe.*

Scilicet quo rariora, & cariora eo quoque chariora; cum tamen ſaepius illa, quae pedibus calcamus, cum exoticis pari paſſu ambulent, imo ſaepius illa ſuperent. Optimus igitur labor illorum, qui indigenam medicinam, ſuae cuique regioni ſufficientem, vindicant, earumque αὐτάρκειαν omnium exponunt oculis; quod de Gallia et Lotharingia ſua probarunt Antonius Conſtantinus et Symphorianus Campegius; de Dania Bartholinus et Borrichius de Batavia Beverovicius, de Scotia Sibbaldus; de Helvetia Geſnerus et Scheuchzerus.

Horum omnium ſtudium eo collineat, ut oſtendant illud Poëtae:

Proſpexit natura ſibi. Quod habere neceſſe eſt,
Sub quovis coeli climate mundus habet.
Eſt ſtupor in nobis, gravis ignorantia mentes
Poſſidet, et quae ſunt proxima ſpernit homo.

 Quod

Quod procul eſt curat, longinquis quaerit in oris,
Sponte licet tellus det meliora domi.

Nec haec proximorum labes ſeculorum, ut noſtra nobismet ſordeant; Plinii quippe querela arguit, Libr. 24. c. 7. jam ſuo tempore vitium hoc invaluiſſe: *Hinc nata medicina*, inquit, *haec ſola naturae placuerat eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia ac ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita.* Et alibi: *Arabia atque India in medio aeſtimantur, ulcerique parvo medicina a rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque coenet.*

Haec tot ſeculis inveterata, exotica medicamenta habendi cupido ex animis hominum praejudiciis jam obcoecatis, aeque difficulter eradicabitur, ac illa modo memorata

prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quaeſitorum terra, pelagoque ciborum,
Ambitioſa fames, et lautae gloria menſae.

Cum igitur deſperemus de reducenda iterum medicina indigena, in id incumbendum medico maxime, ut ad morem rite indagatorum Indigenarum, devecta a remotiſſimis oris ad nos, pariter explorentur, ulteriusque examinentur, num fucis inquinata a mercatoribus lucrum ex noſtra ſaepius ſtultitia captantibus, an carie et ſitu e longo itinere ſcateant, indeque in uſum medicum vocari poſſint? Praeter nota jam exotica, dantur inſuper inter immenſas iſtas ſtupendasque opes, quibus auri gemmarumque dives India, ſingulis annis Europam noſtram beare ſolet, plurima nomine tantum nota naturae cimelia, quae, ni medicus, dum illorum mentio injicitur, ignorantiae culpam incurrere velit, rimanda ſunt.

Ne igitur, quod aliquoties jam mihi, pruriente hoc ſeculo ab exteris urbem noſtram tranſeuntibus factum, contingat pariter aliis, ut exhibitis rarioribus nunquam viſis, nunquam au-

ditis, ad ſilentium redigantur; a tot jam amicis, quorum juſſa capeſſere fas eſt, monitus in animum induxi, nonnulla adhuc exoticorum, e quorum claſſe in Parreira brava, Mungos et Ananaſa ſpecimina jam dedi ulteriori examini ſubjicere, et quae de illis lecta mihi collectaque, publicis deſtinare uſibus, partim ut pateat, an, Seneca judice, ex eorum genere ſint, quibus vel ex natura ſua, vel ex opinione vulgi magnitudo accedit; partim ut meo exemplo viri, hoc in ſtudio doctiores exercitatioresque, in locis praecipue iſtis, ubi rerum harum ex Indiis allatarum copia ſuppetit, incitentur, ut in ſcriniis ſaepius latentia ſcripta acutiſſima, incomtis hiſce meis, nec pumice expolitis, lucem majorem concilient.

Jamque ſub examen, quodcunque dat Indica Tethys
Mittitur.

BELELING vel BELILLI aut BEDILLE, in Transact. Angl. forte ex typothetae errore, dictum, exinde proveniens medicamentum, ſi famae fides, ſaluberrimum, quod fruſtis arundineis excavatis impactum, calceque indurata in extremitatibus firmatum ad nos affertur. Concretum inibi contentum, Piſcium mentitur ſanguinem, pingue quoad tactum, ſaporis laſcivi ſalini amaricantis, odoris hepatum piſcium exſiccatorum: hinc ipſi ab Indis nomen *Dara Belilli* ſeu *ſanguis Belilli* inditum, cum de piſcium ſanguine nil quicquam participet, licet marinos agnoſcat natales.

CAP. II.

QUi primitus notitiam hujus dedere medicaminis, retulere, *Dara Belilli* ſuccum exiſtere plantae expreſſum, neſcii tamen, cui plantarum generi accenſenda foret. *Belille* equidem frutex eſt altitudinis ſesquihominis, ſinuoſis ac tortuoſis ramis arbores ſcandens, radices habet rufas, fibras emittens capillatas; caules alit lignoſos nodulatos ac in ſupremis partibus quadrangulatos; folia ſunt oblongo-rotunda, tenuia, piloſa, ac veluti lanuginoſa, candida; hinc plantae quoque in Lingua Bramanum *Sravadi* audiunt, qua voce color candidus denominari ſolet.

Mirus

Mirus naturae luſus eſt in hoc frutice, ob varios colores, quibus flores exornantur; eorum enim aliqui ſunt pulchre rubicundi, alii vero albiſſimi, qui flores albi apud Indos tam frequenter comedi ſolent, ac apud nos lingulatum blitum vel beta. Ejusmodi mutationem florum diverſicolorum in uno caule videre licet, in Solano Mexicano flore magno Caſp. Bauhin. in Pinac. ſive admirabili Peruana; cujus flores alii flavi, alii rubri, albi alii, diſcoloresque alii, non ſecus ac in hac *Belilla*. Hinc Excell. Commelinus credit, eam pro arboreſcente illius ſpecie haberi poſſe, ni fructus differrent ſeminaque. Fructus enim oblongo-rotundi, et minutulis obſiti pilis; cum immaturi, ſunt virides, cum vero maturi, ad flavum vergunt, intus carne denſâ, viridi, ſaporis adſtringentis et ſubacidi. Latet in his fructibus congeries ſeminum minutulorum, quae in ea jacent velut ſemina piſcium, ac in quatuor ſeries per membranam intermediam albicantem diſtincta, ſuntque colore viridi, cum in imo ſunt coadunata, ſeorſim autem ſingula conſpectui oblata, albicantia et tranſparentia inſtar arenularum, matura ſunt colore nigerrimo. Haec aliquanto latius ex Horti Malabarici Tom. II p. 27. excerpſi, ut omnibus innoteſcat, *Dara Belilli*, quod deſcribere conſtitui, cum *Sravadi* Bramanum nihil commune habere.

In Catalogo ſimplicium Exoticorum addito inſimul pretio, quorum copia venalis expoſita apud Pharmacopoeorum Amſterodamenſium ſolertiſſimum Hiſtoriaeque naturalis et ſcientiſſimum et cupidiſſimum, Albertum Seba, occurrit oleum deſtillatum Bellilis Afric. pretio quatuor florenorum uncia. Cujus ſtirpis vel plantae non equidem conſtat, an jam deſcriptae Malabaricae Sravadi, an alterius. An non forte pertypothetae vitium Bellidis Africanae?

Marinus et ſalſo-laſcivus *Belilli* ſapor plurimos induxit, ut e planta marina ejus arceſſerent primordia, nec tamen ulla plantarum illarum ſiccarum et exſuccarum ſupererat, productioni hujus materiae idonea, quippe e quibus, ceu e pumice, nec aqua, nec ſanguis exprimi poteſt; *car beaucoup des plantes marines*

ne

ne reſſamblent qu'a des plantes. Enfin la Botanique de la mer n'a presque rien de commun avec celle de la terre : plurimae enim marinae plantae referunt tantum plantarum ſimilitudinem ; *quippe Botanica marina ferme nihil cum terreſtri commune habet.* Verba ſunt Hiſtor. Acad. Reg. Scientiar. Ao. 1700. p. 87.

Alii ex *Holothuriis* concreto illo marino, ſumme noxio venenatoque, ortum deducere autumarunt ; quod Zoophyti genus in Indiae orientalis mari maxime obvium, tantae tamen perniciei, ut, ſi imprudentius quis hanc ſali progeniem contrectaverit, ardor ſtatim manum invadat, tanquam ſi aqua ferventi ſuffuſa eſſet, et niſi appoſito ſtatim allio contuſo cum aqua ſubveniatur, prae dolore in febrim quis incidat, quod triſti experientia edoctus, de ſe ipſo teſtatum reliquit Jacobus Bontius Hiſt. Natural. et Med. Indic. libr. V. c. 27. Hinc urticis marinis accenſet Plinius ille Amboinicus, Clariſſ. Rumphius, *Epidormidesque marinas* nominat, inque lingua Amboinenſi *Huron* dictas refert, additque : *Si Amboinenſes Latinam callerent linguam, crederem ab urendi facultate iis nomen dediſſe.* Hinc forte eſt, quod Sextus Empiricus, non ignobilis Philoſophus, Zoophyta, quae inter Holothuria fere primatum ducunt, ex igne generari prodiderit.

Deleteria hac noxa non obſtante, lucro inhiantes fallaciſſimi mortalium omnium Sinenſes, ut liquorem ſuum deſtillatum *Arak* dictum, tanto penetrantius reddant, oryzae Holothuriorum ſuccum immiſcent ; unde non mirum Bontio eſſe videtur, Belgas nautas, hujus *Arak* potui inhiantes, ſanguinis ſputum, phthiſin, maraſmum ipſamque contrahere mortem, atque hoc eſſe, ut Plautus ait, quod homines tam brevem vitam colant, cum inſtar ſtrigilum, inteſtina abradant et exedant ; cui malo auferendo a laudato jam Bontio Infuſum Rhabarbari in decocto Tamarindorum tanquam ſpecificum commendatur. Et licet depellendo perniciofiſſimo hoc Sinenſi invento, haud exigua illis poena decreta, qui in flagranti iſtoc deprehenduntur lenocinio; dantur tamen Apicii, qui in perniciofiſſimis his illecebris,

 guſtus

guſtus delitias quaerunt; holothuria enim marinae incoquunt aquae, additisque Sajor Sanga, Limonum ſucco, corticibusque tenuiſſime inciſis, arundini excavatae, inſtar *Belilli* infundunt, et condiendis cibis aſſervant, credentes, coctione et admixtione acidi Limonum deſtrui vim deleteriam, quae omnia refert Cl. Rumphius Muſ. Amboin. Libr. I. cap. 42. p. 50.

Sic de adnaſcente in maris ſuperficie rupibus, poſtea hinc inde fluctuante Firome et Konbu vulgo et literatis dicto, memorat Exc. Kaempf. Amoenit. Faſc. V. p. 833. totum genti poſt praeparationem eſculentum eſſe, quanquam coriaceae ſubſtantiae, ideoque Tethyis ſimilis. Veriſimile autem eſt, Holothuria repertu dari innoxia et inertia, quippe urticae marinae pariter inertes aeque ac urentes. vid. Cl. van Heide in Experim. circa urticam marinam. Firmant hoc ulterius nidi illi notiſſimi avium, omni deleteria acrimonia deſtituti, pro obſoniis ad coquinas expetiti, quos rupibus oceani orientalis affixos, ab hirundinibus marinis domeſticis multo majoribus paratos, ex holothuriorum, mari innatantium, materia parari, et a Japonenſibus *Jenuda*, item *Jeniku* vulgo *Jens* vocari, refert Cl. Kaempferus loco citato. Cum vero Dara *Belilli* arundini excavatae aeque ac Holuthuriorum concretum, cujus e Rumphio mentio injecta, incluſum ſit, factum inde credo, ut a nonnullis marina haec producta confunderentur.

Proxime ad metam vergunt, qui *Belilli* origines in Tethyis quaerunt Zoophyto, cujus in Scholis medicis nomen aeque ac natura paene ignota; hinc ad melius intelligendam, quam tractamus materiam, e veteribus in memoriam revocare neceſſe duximus Tethya.

Cap. III.

Tethya a *Tethy* Dea nomen traxiſſe volunt; marinum concretum a Dea marina. Sic enim plurimis Poëtis Graecis et Latinis pro Mari ſumitur et origine fluviorum, teſte Heſiodo Θεογον. V. 337.

Τηθὺς

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμὲς τέκε δινήεντας.

Tethys autem Oceano flumina peperit verticoſa.

ac V.368 Υἱέες Ὠκεανοῦ, τὲς γείνατο πότνια Τηθύς.

Filii Oceani, quos genuit veneranda Tetbys.

Inſularum quoque fingitur mater, eodem Heſiodo V.363.

Αὗται δ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο.

Atque hae Oceano et Tetbye prognatae ſunt,

canente: hinc circa eandem Tethyn et Oceanum congregari Inſulas, et chorum agere, fingit Callimachus, tanquam filias nempe circa patrem Oceanum ac matrem Tethyn, quas inter primaria Delus. Sic Battiades Hymn. in Del. v. 17.

ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν,
Νῆσοι ἀολλίζονται· ἀεὶ δ' ἔξαρχος ὁδεύει.

Quamdiu in Oceano et Titania Tethy,
Inſulae erunt: ſed ſemper Delus primaria habebitur.

Callimacho conſentit Lycophron, qui Titanitidem pariter vocat,

γραῖαν ξύνευνον Ὠκεανῦ Τιτανίδα,

Anum Titanidem Oceani conjugem.

Et ex Latinis Ovid.

- - *Oceanus quondam Titanida Tethyn,*
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.

Obtinuit autem hoc nominis, quod inter Titanas foeminas Tethys, juxta Rheam et Themin, ab antiquis Mythologis relata. Hinc Τιτανὶς appellata itidem *Themis* apud AEſchyl. Prom. v. 873. et alibi ſecundum eundem, *Phoebe* Τιτανίς. Evmen. v. 6. et Τιτανὶς Μήνη, *Titanes Luna*, quae eadem cum *Phoebe* legitur apud Apollon. Rhod. l. 4. v. 54. aliam tamen ſignificationis hujus cauſam mox ſuppeditabimus.

Ad imitationem Grajorum maris quoque Deam Tethyn pronuntiarunt Latini. Sic Ovid. Metamorph.

Et ad canam deſcendit in aequore Tethyn.

Senec. in Troad. v. 878.

Te magna Tethys - - - -
Placidumque numen aequoris tumidi Tethys.

In Hercul. Oeteo v. 1899. *Audiat ictus utraque Tethys*; una nempe Solem orientem emittens, altera occidentem excipiens; vel eodem ſignificatu, quo *Neptunus* pariter Catullo *uterque* dicitur, de quo vid. Nerium noſtrum. Sic Silio Italico *reciproca Tethys*; Lucano, *vaga Tethys*; aliis, *fugax, refuga, ſalſa, gelida* vocatur; quae epitheta mari potiſſimum conueniunt.

Tethym tamen terram potius eſſe plurimi, contendunt. Et Euſtathius quidem κριτικώτατος in Homer. Iliad. π. Tethya a Tethy ideo nomen obtinuiſſe credit, quia prae caeteris marinis naturae ſunt terrenae, (τὰ τήθη γεώδη μᾶλλον τῶν ἄλλων θαλασσίων) propter ambientis teſtae duritiem. Tethym autem terram eſſe et Titaeam, probatum ibimus ex Diodoro Siculo, Auctore, ex Nobiliſſ. Barthii ad Stat. IV. Theb. p. 1175. elogio, minime pro vulgari aeſtimando, quem Plinius apud Graecos nugari deſiiſſe auctor eſt, utique tam propter tituli ſpretam ambitionem, quam fabularum diſcretionem. Non enim alio fine primos tres libros ſcripſiſſe videtur, quam ut aliquam fabuloſam temporum hiſtoriam conficeret. Hic igitur Hiſtor. Libr. III. p. 190 edit. Rhodom. Τιταίαν ſive Tethyn, Οὐρανῷ primo Atlantiorum Regi marito, XIIX. liberos peperiſſe: τὴν δὲ Τιταίαν σώφρονα οὖσαν καὶ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίαν γενομένην τοῖς ἄλλοις ἀποθεωθῆναι μετὰ τὴν τελευτὴν ὑπὸ τῶν εὖ παθόντων γῆν μετονομασθεῖσαν. *Tetaea autem, quod et prudentia et meritis erga alios excelleret, poſt fata inter Deos ab his, quos beneficiis ſibi obligarat, recenſita fuit et Telluris nomen accepit.* Atlantii enim, pergit Diodorus, Deos apud ſe natos gloriantur, atque huic ſuae aſſertioni illuſtriſſimum Graecorum Poëtam τὸν ἐπιφανέστατον τῶν παρ᾽ ἕλλησι ποιητῶν, adſtipulari dicunt, qui Junonem ſic interloquentem fingit:

Εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,
Ὠκεανόν τε Θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Longinquos abeo fines inviſere Terras,
Oceanum Tethymque, patrem matremque Deorum.

Haec Σικιλεδης Διόδωρος μέγα κλέος ἱσορικῶν, e maximi Joſ. Scaligeri elogio. Credidere nonnulli, Poëtam, quem citavit, eſſe Heſiodum

dum; ſed Homerus merito hoc mactatur elogio; verſus quippe Iliad Ξ. v. 200. legendi. Diſcimus ex hoc Diodori loco, Tethyn ſive Titaeam fuiſſe Vrani ſive coeli uxorem, liberosque inde creatos Titanas dictos; unde nomen illi Titaniae Tethyos, non quod filia Titanum, quod ſupra retulimus, ſed mater. Huc collineat AEſchylus Prometh. v. 205.

Τιτᾶνας οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς τέκνα.

Titanas coeli et Telluris liberos.

Tityonis forte nomen hinc ortum, quippe a Vigilio dicitur *Terrae omniparentis alumnus.*

Doctiſſ. Rudbek. Atlantic. T. II. c. 4. p. 59. probare nititur, Titaeae vocem apud Diodorum fluere ex Gothica Lingua, et ſignificare *Te-Deja, Terram Deam.* Titaea forte a Τίτθη. Sic enim nutrix. Ariſtophan. ἱππ. v. 723.

Καθώσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.

Nutricum more tu populum paſcis male.

Vid. quae ad hunc locum habet Scholiaſtes et ex illo Suidas, quia nimis longus. Probant porro Tethyn Terram denotare Heſychius: Τηθὺς, ἡ γῆ, et in voce Θέτις. ἡ δὲ γῆ λέγεται Τηθύς. Ad priorem Heſychii locum reſpiciens Cl. Matth. Martinius in Cadm. Graec. Phaenic. *Tethyn, Terram* ex Hebraico טיט *lutum* deducit.

Euſtathius pariter p. 978. Τήθυν τὴν κοινὴν τροφὸν γῆν, *Tethyn communem nutricem Terram* pronunciat. Suidas dilucidius, quam reliqui omnes, ſcribit: Τηθύς, ἡ γῆ, παρὰ τὸ τιθηνὴ εἶναι, καὶ τροφός. Ὅμηρος· Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν, τουτέστιν, ὑγρὰν οὐσίαν καὶ ξηράν. *Tethys Terra, quod altrix et nutrix ſit animalium. Homerus: Oecanum deorum parentem et matrem Tethyn, hoc eſt humidam et ſiccam naturam.* Et in voce, τιθηνὸς· κατὰ μεταφορὰν λέγεται καὶ ἡ γῆ τιθηνός. *Per translationem et ipſa terra dicitur* τιθηνός, quod omnia animalia nutriat et alat. Ideo dicitur *alumna* et per ſyncopen *alma.* Homerus jam olim illud indicavit, appellans terram modo τροφερὴν, modo πολύφορβον, modo βωτιάνειραν, modo παμμήτορα Τήθυν. Apud Suidam ſcribitur: Τιθηνὰς,

τροφὲς, καὶ τιθηνήτειρα. Reſtituit et interpolatur hunc locum Aemilius Portus. Τιθήνας, τροφὲς, καὶ τιθηνητὴρ, τροφὸς εἴτε τροφεύς, καὶ τιθηνήτειρα, ἡ τροφὸς, ἡ καὶ τιθήνη. *Tithenas nutrices et Titheneter. Nutritor, Nutritius, alumnus, altor. i e. qui alit et nutrit. et Titheneteira Nutrix alumna, quae nutritas alit. Altrix.* Diſtichon Epigrammatis libr. III Epigr. 167.

πολλὰ τιθηνητὴρ ὀλοφύρατο, χερσὶν ἀμήσας
Ανδρομάχοις δνοφερὰν κρατὸς ὕπερθε κόνιν.

Multum nutritor luxit, manibus congeſto
Bellicoſis atro caput ſupra pulverem.

Euſtathius tamen teſtis eſt, Tethyn ſumi pro ipſo Oceano: αὕτη (Τῆθυς) γὰρ Ὠκεανός. *Ipſa etiam oceanus.* Verum quid per hanc Tethyn intellexerint priſci naturae conſulti, aut ut eos ſubinde Veteres vocant, οἱ Θεολόγοι, omnium optime e Proclo Libr. V. in Timaeum nos docet illuſtriſſ. Spanheim. Not. et obſerv. in Callimach. Hymn. in Del. p. 333. ubi Proclus varias refert de eadem opiniones, ac inter alia p. 293. Τὴν δὲ ΤΗΘΥΝ, οἱ μέν τὴν ὑγρὰν αὐτὴν ὀσίαν φάσιν, οἱ δὲ τὴν πολυμετάβολον φύσιν, οἱ τὴν τοῦ παντὸς εὐθυμοσύνην, ὁ δὲ Θεῖος Ιάμβλιχος, ποιητικὴν διάθεσιν εἶναι αὐτήν, τὴν ἐν τῷ ἐνεργεῖν δραστήριον ὑποτίθεται κατάστασιν. *TETHYN autem quidam dicunt eſſe ipſam humidam naturam: alii vero naturam plurimum mutabilem, nonnulli univerſi concinnam ordinationem: divinus autem Jamblichus ſupponit illam eſſe effectricem diſpoſitionem, ſeu in operando promptam ac efficacem conſtitutionem.* Quibus addit in ſequentibus, unde dicta ſit eadem TETHYS, nempe juxta traditam, a Platone in Cratylo ejusdem vocis, quamquam parum probabilem, originem, ac ejus praeterea ab Oceano diſcrimen: τοῦ οὖν Ὠκεανοῦ πᾶσαν κίνησιν γεννῶντος ἀθρόως θείαν, νοερὰν, ψυχικὴν, ἡ ΤΕΘΥΣ οὖσα διακριτικὴ τῶν κινήσεων τῶν ἔνδον καὶ τῶν ἔξω, καλεῖται Τηθὺς διαττῶσα καὶ διηθοῦσα τὰς ὑλικὰς ἀΰλων κινήσεων. *Quum vero Oceanus omnem motum gignat promiſcue, divinum, intelligibilem, animalem, naturalem, TETHYS autem ea ſit, quae diſcernit motus internos et externos, ideo inde etiam dicta, quaſi percribans et percolans materiales motus ab immaterialibus.* Quae loca ideo obiter adſcribere placuit viro illuſtriſſimo, ut vel inde eorundem Platonicorum in explicandis veterum Poëtarum θεολογουμένοις multi-

multiplex varietas, aut etiam ἀπορία elucescat. Conferri cum his ab Ill. Spanheimio adductis poſſunt: Phurnutus de Natur. Deor. c. 8. c. 17. p. 172. et 177. Heraclid. Ponticus Allegor. Homer. p. 444. et paſſim alii plures, qui *Thetin* ſcripſere, e Mſtis correcti ideo ab eruditiſſimo Gale. Itaque cavendum, ut id poſtremo addam, ne quis *Tethyn* et *Thetin* confundat, quod a ſummo viro Salmaſio ad Plautum in Trinum. Act. 4. Scen. I. v. 1. factum annotavit Anna Daceria, ſeculi decus.

Salſipotenti et multipotenti Jovis fratri et Nerei Neptuni
Laetus lubens laudes ago.

ubi legendum putat: *Nereine Neptuni*; et addit: Nereine Neptuni uxor, quae vocatur Thetis Poëtae: et ibi fallitur; nam Thetis Neptuni uxor non fuit, ſed oceani, vel ſecundum alios, Vrani conjux. Hunc autem locum Plauti ſic explicat foeminarum eruditiſſima: *Laetus lubens laudes ago ſalſipotenti et multipotenti fratri Jovis et Nerei* (in Dativo) *Neptuni*, ſubaudi filio, ut dicitur Alexander Philippi. Differentiam utriusque expreſſit Catullus:

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene tuam Tethys conceſſit ducere Neptem.

ac Heſychius: Θέτις, ἡ μήτηρ Ἀχιλλέως, ἡ δὲ γῆ λέγεται Τηθύς.

Fuit autem Thetis Nerei Doridisque filia, quam cum Jupiter ob hujus pulchritudinem adamaret, uxoremque ducere decreviſſet, monitus a Prometheo, qui a fatidica Themide audiverat, quod filius ex ea, patre major futurus eſſet, deſtitit, ne quod Saturni Patri acciderat idem ſibi contigiſſet; hinc Ovidius.

Jupiter aequoreae Thetidis connubia vitat.

Quamvis fabulam hanc aliter recenſeat, et filiam Thetidi e Jove tribuat, Apollodor. Biblioth. Libr. I. cap. 3. § 6. p. m. 9. 10. Edit. Pariſ. Th. Gale. Vocatur Neptis Tethydis ob Doridem Tethyos filiam, atque inter Nereides et Oceaninas refertur ab Heſiod. Theogon. v. 244.

Εὐδώρη τε, Θέτις τε, Γαλήνη τε, Γλαύκη τε,
Eudoraque, Thetisque, Galeneque, Glauceque.

Iterum

Iterum Ovid.

Vecta eſt fraenato caerula piſce Thetis,

nempe Delphino, uti Nereides, de quibus in Nerio noſtro.

Tandem haec Thetis a Peleo, AEaci filio, Chironis Nepote, in expeditione Colchica adamata eſt, qui illam ſive invitam ſive volentem duxit. Nuptiae in Pelio Theſſaliae monte circa Chironis antrum celebratae, eoque omne Deorum genus invitatum, excepta Diſcordia. Haec ut contemptum ulciſceretur, Pomum aureum inſcriptum: PVLCHRIORI, nuptiali Deorum conſeſſui projecit, Dearumque poſtea aemulationi anſam dedit. Ex hoc marito filium ſuſcepit Achillem. Hinc:

Felix et nato, felix et conjuge Peleus,

Cenſente Naſone toties laudato. Pulcherrimam fuiſſe, Poëtae teſtantur; ideoque ἀργυρόπεζα dicitur Heſiod. Theog. v. 1006.

Πηλεῖ δὲ δμηθεῖσα θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα
Γέινατ' Ἀχιλλῆα.

A Peleo autem ſubacta Dea Thetis argenteos pedes habens,
Peperit Achillem.

Orpheus pariter in Argonauticis v. 383. hoc nomine mactavit. Filium Achillem infantem adhuc ſtygiis immerſit undis, utque invulnerabilis fieret, Chironis avi educationi tradidit, venturi praeſcia Thetis. Mythologiam ejus ex Iliaca Tabula, quam Excell. Fabrettus edidit, commentario illuſtravit Solertiſſimus Begerus in Bello et excidio Trojano.

Cap. IV.

IN voce τίτθος vocis Tethyorum incunabala quaerunt nonnulli. Exponitur haec vox ab Heſychio non tantum τροφὸς. *nutrix*, verum etiam τιτθὸς, μαςὸς i. e. *mamma*. Et Svidas: τιτθοὶ, οἱ μαςοὶ, ἤτοι τῶν μαςῶν τὰ ἄκρα. *Mammae vel potius ipſae mammarum ſummae partes*, quas Latini papillas vocant. Itali *capecchia* et *cappezole*; Capitulum mammarum. Veneti *cavedello*. Inſubres *Burino*, quaſi uberinum. Gloſſ. ἀκρομάσθιον (potius ἀκρομάςιον)

μάςιον) *Ruma, papilla.* Item *Cizza*, forte ex Germanico Zizzen; vel a ſugendo. *Poppa* a papilla, *poccia* a potando. Juvenalis:

Et potanda ferens infantibus ubera magnis.

Vid. Excell. Ferrar. in Origin. Lingu. Italic. p. 301.

Diminutivum vocis τίτθος eſt τίτθιον mammilla; qua voce paſſim prae aliis utitur Ariſtophanes in Batrach. ſive Ran. v. 415.

τίτθιον πρόκυψαν,

Aſpexi papillas.

Πλȣτ. v. 1068. κατὰ τῶν τιτθίων,

Εφάπτεταί σου. *mammas tuas contrectat.*

Cum in prioribus Ariſtophanis editionibus ſic legeretur, ſyllaba una in metro redundante, auctoritate Euſtathii, qui ſcripſit: καὶ τῶν τιτθίων, reſtituit Cl. Kuſterus in nitidiſſima Ariſtophanis editione, ut verſui juſtus conſtaret modulus.

Acharn. v. 1198.

Τῶν τιτθίων ὡς σκληρὰ καὶ κυδώνια,

Vt durae ſunt papillae, ut ſunt Cydonia.

Pac. v. 863. Τὶ δῆθ' ὅταν ξυνὼν τῶν τιτθίων ἔχωμαι,

Sed quid cum cohaerens comprimam papillas.

Θεσμοφορ. v. 150. Ἀλλ' ὡς γυνὴ; δῆτ' εἶτα πȣ̃ τὰ τιτθία.

An vero ut foemina? ubi igitur mammae.

et v. 696. Εξαρπάσας μοι φροῦδος ἀπὸ τȣ̃ τιτθίȣ.

Rapto ab uberibus meis e conſpectu aufugit.

Λυσιςρ. v. 83. Ὡς δὴ καλὸν τὸ χρῆμα τιτθίων ἔχεις.

O bellulae iſtae quas habes papillulas.

A voce hac τιτθίον, deſcendere videtur vox Gallica *Teton* citius, quam a τίτθος vel τίττος, quod eruditiſſimo Menagio placuit dans les origines de la Langue Françoiſe. p. 842. Ejusdem originis credit eſſe Cl. Cruciger in Harmonia Linguar. Cardinal. §. 316. latinam vocem *Titillo*, quod fit τῶν τιτθύων praecipue ac mollium partium contrectatione, a quo Flandricum *Kittelen* et Germanorum Kitzeln fluit.

Nec voce τιτθίων tantum utitur Ariſtophanes; ſed et ejus loco τίτθȣς ſubſtituit. Θεσμοφορ. v. 647.

καὶ νὴ Δία τιτθȣ̀ς γ' ὥσπερ ἡμεῖς ȣ̓κ ἔχει.

Nec per Jovem mammas, ut nos habet.

Sic pariter Lyſias Orat. I. p. 6. Παιδίον, ἕνα τιτθῶν αὐτῷ διδοὺς *Infantulus, cui unam mammam dans*. Diverſae autem ab his τιτθίαι, faſciae, quibus comoedi utebantur, ut de iis Alexis apud Athenaeum Libr. XIII. p. 568. et prout verſus illos diſtinguit ὁ πάνυ Grotius in Excerpt. Comic. p. 571.

κοιλίαν ἁδρὴν ἔχει
Τιτθίοις ταύταισι τούτων, ὡς ἔχουσ' οἱ κωμικοί.

Sicut venter prominet faſciis, videre quales in Comoediis licet. Vid. Illuſtriſſ. Spanheim. Not. in Ariſtophan. Plut.

Caeterum non ſine admiratione obſervavi omnes paene Linguas circa nomenclaturam illius, quod primum nobis praebuit alimentum, conſpirare. Eruditiſſimus quippe Menagius in radicibus Linguae Graecae vocem τίτθην ἀπὸ τοῦ τίθημι, quoniam in ore infantis ponitur, deducit, vel ut Athenaeus expreſſit: διὰ τὸ ἐντίθεσθαι τὰς θύλας, *quod papilla ori inditur*. Si Ebraeae tanquam primaevae Linguae aſſurgimus, a voce תַּד *uber, mamma, mammilla*, omnia facillime poſſunt derivari. Cum enim uſurpetur tantum pluraliter ſive dualiter, et vulgo ſcribatur תַּדִין quilibet facile videt τίτθιν Graecorum inde nil plane differre, a qua denominationes aliarum Linguarum pleno quaſi alveo fluunt. Eſt autem ex Hebraeo שַׁד commutato ש in ת. Semel pro eo uſurpatur Hebraeum דַּד *uber, mamma*, et pluraliter tantum uſurpatur ſemper alias תַּד. Nomenclator Eliae Levitae p. 19. דד *mammilla*, τιτθίον. Ad quae verba Clariſſ. Druſius Pater: דיד *mammilla*, imo דַּד *mamma*, μαςοὶ שָׁ[illegible] *ubera*. Sunt, qui ubera interiora, mammas ipſas eminentias dici volunt. Apud Job. Iſahac שַׁד *mamma*, דַּד idem. קוֹבַת vel קוֹבַת *uber animantium*. Apud Talmudicos דַּד ſignificat *epiſtomium* labri vel alterius vaſis aquam continentis, quod inſtar mammae mulieris factum erat, et aquas effundebat. Jom. fol. 37. vid. ἑβραϊκώτατος Buxtorf. Lexic. Rabbin. p. 503. et 2565. Cl. Cruciger in Libro doctiſſimo, ſed non ubivis obvio, inſcripto: Harmonia Linguarum Cardinalium, §. 319. a voce Chaldaica דד vocem דיד et דודאי[illegible] derivat, illam quidem

quidem *Amicum* denotantem, quod infantibus matrum ubera ſint acceptiſſima et amiciſſima; hanc *Mandragoram*, cujus poma mammillarum referre deberent ubera, ſi vera ſunt, quae Rabbini narrant.

Ab Ebraeo תד vel דד, Graecorum τήθη et τιτθὴ, τήτθις et τίτθις, facile erit reliquarum Europaearum Linguarum denominationes eruere. Gothicum nempe *Diſſe* vel *Ditte*, *mamma*, teſte Eruditiſſimo Rudbekio Atlant. T. II. cap. VI p. 446. unde *Detja* et *Deggia* lac praebere in Verel. Indice Linguae veteris Scytho-Scandicae ſive Gothicae p. 50. *Titte* quoque *mammam* denotare, tradit vir eruditiſſimus Atlant. T. II. c. 4. p. 58. Dolendum in Evangelio Gothico Vlphilae a Generoſ. Stiernhielm. et a Fr. Junio edito, deeſſe caput XI. Luc. in cujus verſu 27. mammae mentio injicienda fuiſſet. Ad imitationem Gothicae vel potius Ebraeae, Saxones et reliqui Germani ſcribunt D*utte* et *Tütte*, Friſii ſecundum Druſium *Tätten*. Sic a τήθη Hiſpanicum *Teta*, Italorum *Tetta*, Gallorum *Teton*, Cambro-Brit. *Teth*, Anglorum *Teate*, Belgarum *Titte*, et ſic de reliquis.

Liquet ex hactenus allatis τήθυν et τίτθην nutricem mammamque ſignificare, ut μαςὸς quoque teſte Scholiaſte Callimachi ad v. 96. *Hymn. in Cererem*: ὁ μαςὸς ὃν ἔπινεν, ἤγουν ἡ τροφός. Prout ſcilicet jam olim, obſervante Illuſtriſſ. Spanheimio ad hunc locum, *mammas* dictas ab infantibus *matres*, quae vulgo illis nutricum officium praeſtare erant ſolitae, e Varrone liquet libro de liberis educandis apud Nonium in voce *Buas*; nempe *cum cibum ac potionem buas et papas dicunt*, et *MATREM MAMMAM*, *patrem*, *tatam*. Heſychius: τιθηνὸς γὰρ ἡ τροφὸς καὶ τιθητοὶ, οἱ μαςοί. Vnde notus ille Martialis jocus de Afra vetula Libr. I. Epigr. CI.

Mammas atque tatas habet Afra, ſed ipſa tatarum
dici, et mammarum maxima mamma poteſt.

Sic vice verſa *nutricem* pro *mamma* dixit Veronenſis Vates; annotante eruditiſſima Anna, et quod adhuc magis mireris, *Lac* quoque pro *nutrice* apud Callimachum in Epigramm.

 54.

54. ἀγαθὸν γάλα, pro *bona nutrice*. Hinc Deae nutrices mammoſae effictae apud Antiquos dictaeque τηθῆναι, quae vox *matrem*, *nutricem*, ſimulque *mammam* deſignat, de quibus plura in peculiari de Deabus Tethenis diſſertatione.

Jam Tethya quoque mammillarum ſpecie haerent in ſaxis, ſed ita haerere cernimus, ut quaſi ipſorum pars ſaxorum ſint; ita Tethya dicta quaſi papillae, ut concinne hac de re Ariſtotelem interpretatur maximus maximi Filii Parens, J. C. Scaliger, Comment. in Hiſtor. Animal. Libr. IV. cap. IV. §. 132. Edit. Tholoſan. Audiendus hic iterum Euſtathius in Odyſſ. Δ; qui a verbo Δῶ, Δήσω, quod ſignificat θηλάζω, et eſt *lacto*, *ſugo*, deducit τήθεα, τήθη et τηθὶς, pro qua ultima voce apud Pollucem in primis Editionibus τιτθὶς legi, teſtis eſt poſt Seberum Cl. Jungermannus, cum τηθὶς legendum ſit, id quod Nunneſius ad Phrynich. Eclog. I. in μάμμην jam monuit. Vid. pariter Ammon. de differ. et ſimilitud. Vocabulor. Eſt autem τηθὶς ἡ δὲ πατρὸς ἢ μητρὸς μήτηρ, τήθη. Vid. Pollucis Edit. nov. Hemſterhuiſ. Libr. III. c. II. Sect. 17. p. 274. Pollucis verba reperiuntur pariter apud Svidam, qui haec ſequentia inſuper adjungit: ἡ κλητικὴ ὦ τῆθα. τιθὶς δὲ θεία. *vocativus* ὦ τῆθα. τιθὶς *vero* θεία *amita*. *AEmilius Portus* ad haec Suidae Verba commentatur: *Italice corrupta voce apud quoſdam dicitur Zia et* θεῖος *patruus Zio*. Citat porro Svidas ſeq. *Ariſtophanis* in Acharn. v. 49. locum.

Γάμη δὲ Κελεὺς Φαιναρέτην τήθην ἐμήν.

Celeus, is Phannareten duxit aviam meam.

Vid. pariter Iſaeus Orat. p. 505. Edit. Hanov. Julian. Orat. I. p. 6. A. Edit. Spanheim. qui vir illuſtriſſimus Not. in prim. Julian. Oration. p. 42. hoc annotatum reliquit, τήθην materteram ſubinde apud veteres Grammaticos denotare, et ejus exemplum ſuppeditare Andociden Orat. I. p. 237. ἵν' ἐξελάσῃ τὴν τήθην ἡ θυγατρίδη: ut ſcilicet neptis materteram excludat.

Ex hac τήθης derivationis diverſitate fluit et ſcriptionis differentia: τῆθος et τήθυον rectus ſingularis a Graecis effertur, ut ςῆθος et κρόμμυον. Pro Τηθεία apud Ariſtotelem Hiſt. Animal. Lib. V. cap. 15. in penultima reponit ſtupendae eruditionis Aldrovan-

dus

dus τήθεα, apud quem et τὰ τήθυα et τῦ τηθύυ legimus. Plinii Codices nonnulli habent *Tethea* ut Muſa; repertu quoque datur apud Latinos Scriptores *Tethyum*, tribus ſyllabis, vel etiam *Tethus*, duabus ſyllabis, maſculino genere.

Cap. V.

NOn minor circa ſignificationem diſcrepantia. Veteres plurimi τήθεα credidere *oſtrea*. Sic Homerus Iliad. Π v. 747.

Πολλοὺς ἂν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν.

Multos ſatiaret vir hic oſtrea quaerens.

Quae verba ſunt Patrocli exprobrantis Cebrioni e curru dejecto tanquam urinatori; ad quem locum commentans Euſtathius: τήθεα, inquit, ab urinatoribus contrectantur oſtreorum generis. Sic et alius innominatus Homeri Scholiaſtes: τήθεα nihil quam oſtrea ſeu genus oſtrearum interpretatur. Nec diſſentit ab his Athenaeus Deipnoſ. Libr. III. c. 3. p. 88. Edit. Caſaubon. τὰ δὲ τήθη παραπλήσια τοῖς προειρημένοις (de Phloadibus prius illi ſermo erat) καὶ πολυτροφώτερα. *Tethya ſupra memoratis ſimilia ſunt, abundantius tamen nutriunt*; et quoniam inde genitivus pariter formatur τηθέων, τηθῶν, citat hanc in rem Ariſtophanem in Lyſiſtrata v. 549.

Ἀλλ' ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη καὶ μητριδίων ἀκαληφῶν,

O Tethyorum fortiſſima et urticarum matercularum.

Vel ex Kuſteri verſione:

Sed vos matrum urticarum et generoſarum vetularum.

Athenaeus huic ex Ariſtophane factae citationi adjunxit: ἐπεὶ τήθεα τὰ ὄστρεα. *Eſt enim oſtreorum ſpecies Tetheon.* Pergit porro: *Poëta comico ſale ad vocem* τηθὴν, *quae nutricem indicat, et ad vocem* τὴν μητέρα, *quae matrem ſignificat, alluſit.* Μητρίδια Matriculos autem Concharum genus eſſe, Ennius innuere videtur in Phageticis;

Purpura matriculi, mures dulces quoque echini.

Aldrovandus urticas marinas μητρίδια dictas credit, forte a ſimilitudine, quam cum pudendo muliebri habent. Hier. Columna Not. in Ennium, *Muriculei*, non ut Apulejus, *Matriculi* legendum

Judicat, putatque *muriculos* eſſe *Muſculos*, quos hodie *mytulos* vocamus, quorum accuratiſſimam Anatomen ſcripſit ſolertiſſimus van Heide. *Muribus* autem in verſu ſubſtituit *Murex*. Non poſſum, quin ad locum Ariſtophanis ſupra citatum, et ab Athenaeo jam explicatum, Scholiaſtis pariter adjungam interpretationem: τήθας δὲ καὶ τάς τροφούς. εἰσὶ δὲ καὶ ὄστρεα θαλάσσια --- ἀκαλήφας δὲ λέγουσιν οἱ μὲν τὰς θαλασσίας. λέγουσι δὲ καὶ τὰς κνίδας ἀττικοί. καὶ κνίδη μέν, ἐς ὅσον ἂν ἁπαλὴ ἐστι. ἐπὰν δὲ ἔχῃ τὰς μητέρας, τουτέστι τὰς τοῦ σπέρματος σφαίρας, ἀκαλήφη λέγεται. ἀκαλήφας οὖν, τὰς γραίας ἐκάλεσαν. ἐπειδὴ στέῤῥαι ἦσαν, καὶ γενναῖαι. καὶ γὰρ τὸ φυτάριον δάκνει. ἐπεὶ οὖν εἶπε τηθῶν, εἶπε μητριδίων, τουτέστι, τῶν ἐχουσῶν τὸ σπέρμα τῆς βοτάνης τῆς ἀκαλήφης. δάκνουσι δὲ αὗται· τοιαῦται δὲ καὶ αἱ γραῖαι. μητριδίας δὲ ἐκάλεσε τὰς ἐχούσας τὸ σπέρμα. *Tethas etiam vocant ipſas nutrices: ſunt autem et oſtrea marina, quae* τήθεα *vocantur --- Acalephas vero dicunt, alii quidem, marinas, Attici vero ſic vocant et ipſas* κνίδας i. e. *urticas, herbam pungentem eos, qui tangunt ipſam. Et* κνίδη *quidem dicitur, quamdiu tenera eſt, cum vero jam habet matres, hoc eſt, ipſas ſeminis ſphaeras,* ἀκαλήφη *dicitur.* Ἀκαλήφας *igitur vocarunt ipſas anus, et vetulas rugoſas, et urticarum inſtar pungentes, eos, qui tangunt ipſas. Ideo vero ſic eas vocarunt, quia durae erant, et generoſae mulieres, quas chorus alloquebatur. Etenim haec urticae plantula tangentes mordet, pungit. Quoniam igitur chorus in Lyſiſtrata dixit* τηθῶν, *idcirco dixit* μητριδίων. *Hoc eſt, illarum, quae habent ſemen herbae acalephae i. e. urticae. Hae vero mordent ac pungunt. Tales autem ſunt et anus i. e. vetulae longaevaeque mulieres.* Μητριδίας *vero vocavit vel potius* μητρίδια *mulierculas parvas matres eas, quae ſemen habebant;* haec Ariſtophanis Scholiaſtes a Svida pariter citatus, cum verſione et paraphraſi AEmilii Porti. Vid. pariter Flor. Chriſtianus Not. ad hunc Ariſtophanis locum.

Pollux in Onomaſtico Libr. VI. cap. IX. Segm. 47. p. 591. Edit. Hemſterhuiſ. inter cibos e mari petitos recenſet primo: τίθη, κογχύλια, ὄστρεα, πόρφυραι, κήρυκες. *Tithe, conchulae, oſtrea, purpurae, Ceryces.* Ad quae verba Jungermannus commentatur: Pro vulgato illo primo τίθη, videtur τήθη legendum eſſe, id enim oſtrei genus eſſe, notum eſt ex Athenaeo et Euſtathio. Et Heſychius:

chius: τήθεα ὄςρεα, τήθεα διφῶν, τὰ ἄῤῥυγα, ἢ ὄςρεα ζητῶν. Sed quid eſt ἄῤῥυγα? niſi ἄῤῥυ eſſe ἐπίφθεγμα κοπηλατικόν. parum vel nihil tamen hoc dixiſſe. Suidas quoque cibis oſtreorum more e mari hauſtis accenſet: τήθεα, ὄςρεα. ἰςέον ὅτι καὶ τούτοις ἐχρῶντο οἱ παλαιοί καίτοι τῆς τέτων ἐδωδῆς, ἐ πολὺ ἐχούσης τὸ ἡδὺ, καὶ ὠφέλιμον. *Tethea, oſtrea. Sciendum eſt veteres etiam his oſtreis uſos eſſe, quamvis horum eſus parum habeat et ſuavitatis et utilitatis.* Nicander pariter *Tethes* non dememinit, tanquam conchae marinae: τήθη τε γεραινόμενα μνίοισι: *Tethe, quae in muſco vel in algis creſcunt, vel natant vel capiuntur.* Vocat autem *Tethe*, ut ejus Scholiaſtes exponit, *patellas veras*, quas ὦτια i. e. *aures*, Ariſtoteles vero ὄςρεα pariter nominat.

Nicander hypotheſin, quod Tethya in alga et limo creſcant, hauſit ex Xenocrate libr. de Alim. et Aquatilib. apud Oribaſium Libr. I. c. 58. *Tethea in limo naſcuntur et litoribus algae feracibus, inveniunturque in muſco, alga et fuco, ſimiliaque ſunt ſungo plantae marinae.*

Peripateticorum Princeps licet, ut in ſequentibus patebit, inter omnes dilucidiſſime Tethyorum naturam expreſſit, inter alia conchylia tamen recenſet l. c. Hiſt. Animalium, dum ſcribit: πίννη, ὄςρεον, μῦς, κτεὶς, σωλὴν, κόγχη, λεπὰς, τῆθος, βάλανος. et rurſus dum ſcribit: ὁ μὲν ἐςι κτεὶς τραχυόςρακος ῥαβδωτός. τὸ δὲ τῆθος ἀῤῥάβδωτον λειόςρακον. *Pinna, oſtreum, muſculus, pecten, ſolen, concha, lepas, Tethe, balanus. Virgatus eſt ex his, et aſpera teſta opertus pecten. Tetheum concha laevi tectum et nullis diſtincta virgis.*

Deminutiva ſunt τηθυνάκια ſive parva Tethya, quorum meminit Epicharmus in nuptiis Hebes, quem locum conſervavit nobis Athenaeus Libr. III. cap. VII p. 85.

Ἄγε δὲ παντοδαπὰ κογχύλια,
Λεπάδας, ἀσπέδους, ςραβήλες, κηκιβάλες, τηθυνάκια,
Βαλάνες, πορφυρᾶς, ὄςρεα συμμεμυκότα.

Affer omnigena Conchylia,
Lepadas, Aſpedos, Strabelos, cecibalos, Tethynacia,
Glandes, Purpuras, oſtrea concluſa.

In-

Incomparabilis Caſaubonus legendum putat λεπάδας ἀσπέτες, *Lepadas multas*; nam ἀσπέδες nusquam invenies. Vid. ejus doctiſſ. animadverſiones in Athen. Libr. III. cap. V. Tethynacia igitur parva Tethya ſive oſtrea. Patet ex adductis locis a Graecis veteribus relata fuiſſe inter oſtrea. Ex latinis Plinius pariter Libr. 32. cap. IX. Sect. 30. p. 860. Edit. Harduinian. *Tethea ſimilis oſtreo* pronuntiat.

Saepius jam a nobis laudatiſſimus Ariſtoteles Hiſtor. Anim. Libr. IV. cap. IV. §. 197. pag. 459. clare innuit: Τὰ δὲ καλέμενα τήθυα, τούτων πάντων ἔχει τὴν φύσιν περιττοτάτην: *Quae Tethya vocantur, naturae ſunt quaedam maxime diverſa*, ſc. ab oſtreis. Lucem ulterius ſuppeditat, et quomodo ab oſtreis differant, addit, eod. Libr. et cap. §. 132. pag. 437. Edit. Mauſſac. Tholoſan. ἔςι δ᾽ ἃ ὅλα περιέχεται τῷ ὀςράκῳ, καὶ οὐδὲν τῆς σαρκὸς ἔχει εἰς τὸ ἔξω γυμνὸν, οἷον τὰ καλέμενα τήθυα. *Sunt quarum caro tota ambitur teſta, neque quicquam nudi extra eſt, ut Tethya.* Obſcura haec dilucidare auſus eſt omni aeternitate digniſſimus Scaliger. τήθυα τήθεα ſcribuntur apud Suidam. Tubera, calli, vertibula, a Theodoro Gaza. Itaque ſic partiare. Oſtracea, aut unicam habent teſtam, aut duas. Quae unam, aut ea tota integuntur, ut Tethya, aut non tota. Quae non tota, aut annexa ei ſunt, ut patellae, aut non connexa, ut cochlea. Ne tamen teſtam hanc Tethyerum ſibi con cipiat quis velut in aliis teſtaceis ſcabram virgatamque, ſubjungit mox: τὸ δὲ ὄςρακόν ἐςι μεταξὺ δέρματος ᾗ ὀςράκου. *Teſtae natura eſt inter corium et teſtam.* Fuſius porro reliquas Tethyorum partes perſequitur Ariſtoteles, quae univerſae aquatilium Hiſtoriae inſeruit ſolertiſſimus Rondeletius de Zooph. Libr. cap. 21. p. 127. a nobis breviter repetenda, ne recenſio Textus Graeci lectoribus taedium pariat. Duo foramina habent a ſe diſtantia, valde exigua, ita ut fere oculorum aciem fugiant, quibus humorem reddunt et accipiunt. Corio, vel ſi mavis teſta, ſpoliatis primum apparet membrana nervoſa, corpus ambiens, carnemque ipſarum totam continens. Nulli e caeteris teſtaecis ſimilis eſt, in omnibus tamen ſui generis eadem. Adhaeret haec

utro-

utroque ex latere membranae circumdanti, et qua adhaeret, arctius id in utraque parte eſt, videlicet qua tendit ad meatus foras ductos per corium, quibus hauriri et emitti humorem diximus, quaſi alter ſit os, alter excrementi, quo tamen deſtituitur, exitus; alter craſſior eſt, alter tenuior, intus cavus uterque, inter hos modico intercedente intervallo. Haec ex Ariſtotele Rondeletius; quibus porro e Stagirita addere lubet: *Praecingitur per medium teneri membrana: in qua vitae principatum eſſe, ratio congrua eſt.* Haec Ariſtotelis verba de rima ſeu diviſione Tethyorum Michaël Epheſius declarans, ait: τὰ δὲ τήθυα πόρους μὲν ἔχει δύο: διαίρεσιν δὲ μίαν· ὥσπερ ἂν εἰ νοήσαις ὑμενώδη σωλῆνα ἐξωγκωμένον, καὶ σχίσαις αὐτὸν ἄνωθεν ἕως κάτω ἐν θατέρῳ μέρει h. e. *Meatus* (ſeu foramina) *quidem in Tethyis duo ſunt, diviſio autem una, ac ſi fiſtulam aliquam animo concipias* (non aequali ſed) *tumido corpore: eamque in alterutra parte ſcindas a ſummo ad imum.* Tethya porro ſaxis adhaerere, Ariſtoteles refert, et quidem ita, ut ſecundum maximum Scaligerum, pars quaſi ſaxorum ſit, ut illis applicari poſſint haec Poëtae:

Eodem corpore ſaepe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera ſaxi.

Addit Rondeletius his a Philoſopho prolatis, non ſolum ſaxis, ſed etiam oſtreorum teſtis affixa eſſe, et in iisdem veluti tumores duros cerni ovi figura, aliquando longiore. Sic Pinnam pariter cum adnato Tubere ſive Tethyo delineatam exhibet Illuſtr. Aldrovand. de Teſtac. Libr. III. p. 538.

Caro Tethyorum membranae involuta ventriculi formam refert, rotundam ſcilicet et oblongam: unde Germanis noſtris, Mägling dicta Tethya. Meatus craſſior et amplior gulae proportioni reſpondet, alter minor podici, in quo tamen, uti jam innuimus, nullum excrementum, quale in reliquis oſtreis, vel echinaeis, vel quod vocatur Mecon ſic Papaver (de quo in Meconopaegnio noſtro) ſpectetur aut contineatur.

Cum digitis premuntur, aqua per meatus exilit, tanquam per ſyringam aut ſiphonem; unde in vernacula Sprützling audiunt.

diunt, qui tamen meatus alioquin ſenſus fugiunt. Ex eo, quod preſſa Tethya aquam foraminibus ſicut ſpongiae reddunt, *ſpongias* nominant Adriatici maris accolae, *ſponge* vel ſecundum Bellonium de Aquatilibus *Sphunge*; Germanis Schwämmling; quae vox pariter originem ſumere poteſt a fungis, quoniam a Veteribus Tethya fungis adſcripta: Sic enim Plinius Tethya fungorum verius generis, quam piſcium. Locum Oribaſii, qui fungis quoque aſſimilat, jam citavimus. Recentiores Graeci non amplius antiquo Grajo nomine *Tethya*, ſed barbaro *Spherdocles* (forte a *ſphaera*, unde et *vertibuli* nomen ortum traxiſſe videtur Theod. Gazae) nuncupant, teſte Excell. Charltono. Onomaſt. Zoizo.

Ad ſpecies Tethyorum quod attinet, variae a ſolertiſſimo Aldrovando collectae et depictae ſunt, qui tandem ingenue fatetur, differre tantum forma, non alia parte ſingulari, ut merito tot ſpecies Tethyorum, quot formas ſtatuere liceat; hinc malum Granatum, fungus marinus, aliaque, quae omnia ad Tethyorum referri poſſunt Claſſem. Optandum certe maxime, fore virum in Hiſtoria naturali verſatum, in iis quae mari alluuntur regionibus, qui hoc laboris ſuſcipere, et ad ductum jam a nobis laudati van Heiden Anatomen intimiorem Tethyorum conſcribere vellet; nec enim nos ſtudii hujus poeniteret, modo ad manus eſſent illa ipſa, quae hactenus rudi delineavimus penicillo, et quidem id eo fuſius, ut Tethyorum Indicorum, quae Belilli ſuppeditant, natura eo clarior nobis appareat, et omnibus pateat, quantum a veterum Tethyis diſtent.

Cap. VI.

NVnc ad Tethya Indica, quae natales Belilli dant, deflectit calamus. Amboinenſium deſcriptionem nobis dedit Cl. Rumphius, ampliſſimae dignitatis Senator in Amboina, Hanovienſis Germanus, qui intima naturae adeo rimatus, ut nemo exactius enucleatiusque hiſtoriam naturalem Indiae excoluerit, ideoque

maxi-

maxime dolendum, ex Inſularum Moluccarum naturali, quam tot annis meditabatur hiſtoria, nil quam conchyliorum, oſtracodermorum, lapidum figuratorum mineraliumque Amboinenſium supereſſe tantum Muſeum, quod in Belgica Lingua ſub Tit. d'Amboiniſche Raritaet-Kammer prodiit. Praeterea

Indica plantarum ſeptem volumina ſcripſit,
Brutaque, quae terras, aëra aquasque colunt;
Et quae Veſta ſinu parit, et penetralibus abdit,
Quaeque notanda ferunt lucida regna poli.

Sed haec omnia jam in ſcriniis elaborationi deſtinata, id quod ipſemet teſtatur Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. I. Obſerv. XXI. p. 50. ingruente viri optimi coecitate, pro! dolor periere, ut ex his nil niſi reliquiae illae, quas laudatiſſimum Muſeum elegantiſſimis refertiſſimum figuris continet, ſuperſit. In hujus Libr. I. c. 39. p. 46. Tethyorum Amboinenſium mentio fit, quam ex Belgico Latine redditam, et animadverſionibus veterum Tethyorum interpolatam, Lect. Benevol. ſiſtimus. Tethya, inquit, ſunt excreſcentiae carnoſae, quae ſaxis ſcopulisque iſtis firmiter adhaerent, quae marina ſemper obteguntur aqua. Coloris ſunt incarnati, interdum repertu dantur coloris quoque rubri. Ariſtoteles haec de colore habet: χρῶμα δὲ τῦ τηθύυ ἐςὶ τὸ μὲν ὠχρόν· τὸ δ' ἐρυθρόν: Color autem Tethyorum, alius luteus, alius ruber; ad quae verba Scholiaſtes Scaliger: Nihil caſtaneae ſimilius, ſi hermodactyli prius radicis formam praebeas. Pro luteo igitur colore, Rumphius Amboinenſibus incarnatum tribuit, et porro ſcribit: ſubſtantiae ſunt Tethya viſcoſae nervoſaeque, variae diverſaeque formae; nonnullae inſtar fruſti carnis informis. Eadem mens Ariſtoteli: Ἀνοιχθέντα δ' ἔσωθεν, πρῶτον μὲν ὑμένα ἔχει νευρώδη περὶ τὸ σαρκῶδες· ἐν δὲ τούτῳ ἐςὶν αὐτὸ τὸ σαρκῶδες τῦ τηθύυ. - - - αὐτὴ μέντοι ἡ σὰρξ πᾶσιν ὁμοία. *Diſſecanti ea tibi occurret primum membrana nervoſa carnaceo corpori obducta; hac enim corpulentum Tethyi continetur - - - ſuo in genere omnibus ſimilis ejusmodi*

 caro.

caro. Eſſe autem *maſſam carneam informem*, Ariſtoteles pariter innuit: ἄλλο δὲ οὐδὲν ἔχει μόριον, οὔτε ὀργανικὸν, οὔτε αἰσθητήριον· οὔτε ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον ἐν ἄλλοις τὸ περιττωματικόν. *Caeterarum partium, quae vel inſtrumenti nomine, vel officio ſenſuum, ac ne excrementa quidem cujusquam modi, qualia in aliis ſunt, quicquam habet.* Scribit porro Plinius noſter Amboinenſis: variis inciſuris praedita eſſe, nonnulla inſtar digitorum vel papillarum, unde illis nomen quoque Graecum impoſitum: foris laevia ſunt et glutinoſa, et ſi tangantur, motum aliqualem exhibent. Huc pertinet, quod Scaliger ad loc. modo citatum Ariſtotelis commentatus eſt: ὀργανικὸν diviſit ab αἰσθητήριον ſatis licenter: oculus certe inſtrumentum eſt, et lingua et aures et nares: ſed intellexit, neque organa communia ad alias functiones, neque propria ad ſenſus. Et quia ſenſum tactus ſaltem habeat, neceſſe eſt, ſed caro aut nervus, quanquam ſint organa, ad tactum tamen non ſunt organica. Haec Scaliger. Circa *motum* ſcilicet *Tethyorum* dubius jam *Ariſtoteles*, an plantis, an animantibus adſcribere debuerit. Tethyum ſcribit et quicquid generis ejusdem eſt, quia adhaerendo tantummodo vivit, ſimile plantae eſt, ſed cum aliquid habeat carnis, ſenſum aliquem habere videri poteſt. Et alibi Spongiis Ζωτικώτερα vivaciora pronuntiat, hoc eſt animalium naturae propinquiora. Mox in contrariam dilabitur ſententiam, et cum dixiſſet, nihil ipſis excrementi ineſſe; ſubdit: Ex quo fit potiſſimum, ut et hoc et quicquid ſimile in animalium genere eſt, planta jure appellari poſſit: nec enim planta ulla habet excrementum.

Si Tethya Amboinenſia fortius premantur, uredinem quandam et titillationis ſenſum, veluti Holothuria exhibent. Interius nil aliud quam fiſtulae vaſculoſae aqua repletae conſpiciuntur, e quibus veluti e papillis exprimi poteſt. Firmiter ſcopulis adhaerent, ut non niſi ſumma vi, uti jam de aliis Tethyis obſervatum, ſeparari poſſint. Diſſecuit plurima Cl. Rumphius intus vere carnei coloris, quae per aliquod temporis ſpatium ſe adhus

huc movebant. Si exponantur ſoli, inſtar corii corrugantur. Eadem de Tethyis toties citatus laudatusque Hiſtoriae animalium Scriptor, Peripateticorum Princeps: τὸ δὲ ὄστρακόν ἐςι μεταξὺ δέρματος καὶ ὀςράκȣ *Ejus natura enim eſt inter corium et teſta media.* Ad hunc locum optime Paraphraſtes Scaliger: Tubera non recte a quibusdam vocantur; non enim corio conduntur tubera, et aſpera ſunt; Tethya autem laevia. Si Graecam vocem velis ſequi, mammillas vocare potes.

Cap. VII.

HActenus de Amboinenſibus, quae tamen Belille non ſuppeditant; nunc de illis quoque Indicis, e quibus medicamentum hoc optimae notae colligitur, et quidem e teſtimonio binorum αυτοπτarum, Academiae noſtrae Nat. Curioſ. Collegarum. Sunt hi, jam ſaepius nobis memoratus Dn. Rumphius in Muſeo Amboinico, et Clar. Dn. D. Grimmius, qui pariter,

Longum iter extremos cum ſit molitus ad Indos,

non alienae fidei vel famae, (quae tam ficti pravique tenacior eſt, quam recti conſcia) ſed ſenſuum ſtabilibus ſuffragiis, quaecunque ex ampliſſimo illo naturae theatro vel ipſe in Indiis obſervavit, vel a Veteranis Indigenis accepit, examini e praxi ſubjecit, inque Europam redux factus Ephemeridibus inter plura alia rariora, ſub nomine univerſalis Medicinae Timorenſium, Dec. II. Ann. III. p. 409. notitiam primam dedit.

Patria igitur Tethyorum ipſis eſt Inſula Solor et Timor, non procul a Java diſſitae, et quidem vicinia littoris Larento ſuntque et maris profunditas ſub monte ac templo Lahamaſe vel Lahamale occidentem verſus ad V. vel VI. orgyas ſub aquis. Scilicet ut Oppianus cecinit:

Ἤδη καὶ διεροῖσιν ἐν ὑγροπόροιο θαλάσσης
Βένθεσιν, αὐτόρρεκτα φύει καὶ ἀμήτορα φῦλα
Τήθυα.

Jam etiam in humidis undoſi maris
Gurgitibus a ſeipſis facta naſcuntur ſine matre ſarcula,
Tethya.

Radja Salomon Rex exul Regni Adimantutu, orientalis Inſulae Timor litoris, qui cum Rumphio in Inſula Amboina ſaepius locutus, et ab illo pro ſcientiſſimo Hiſtoriae naturalis habitus, ingenue profeſſus eſt, in regione Solor, ſi non ſolum, optimae tamen notae Belille reperiri, familiasque nonnullas Solorenſes exiſtere, quibus rita ejus praeparatio nota. Sic Tethya quondam praeſtantiſſima Smyrna Aſiatica, Ariſtotele teſte, praebuit. Adnaſcuntur ſaxis ſcopulisque in Solorenſi mari obviis ad 5. vel 6. orgyas firmiter, cultrisque acutiſſimis non integra Tethya, ſed particulae tantum earum abſcinduntur, quibus lapideae adhuc portiones adhaerere referunt. Plinius teſtatum reliquit: Tetheae inveniuntur ſugentes in foliis marinis: pro *foliis* Rondeletius *Scopulis* legit.

E mari extracta haec ſubſtantia mucoſa eſt, ſpermati ranarum viſcidiori et tenacioribus algis adhaerenti, (quod de Tethyis jam Nicander ex Xenocrate annotarunt) non diſſimilis, niſi quod fuſci ſit coloris et cultris diſcindi queat. Aëri diutius expoſita fruſtula aemulantur carnea, inferne rotundiora, ſuperne longioribus papillis ſivi digitis inſtructa, coloris rubei, quo ipſo ab Amboinenſibus coloris incarnati e Rumphii relatione, differunt. Haec Solorenſia Tethya optime Rev. P. Nierembergius Hiſt. Natur. Libr. VI. c. 19. p. m. 101. ad ductum antiquitatis nominavit: *caruncula molles et rubentes*, quas quidem cum Plinio *cruorem* dicunt, tum etiam cum Athenaeo *glandulas.*

A praeparationis diverſitate binae *Belille* ſpecies oriuntur. Prima et optima eſt, quando integrae portiones a marinis ſcopulis abſciſſae in aqua dulci ſive fluminis ad deſpumationem omnem excoquuntur, quae poſtea in longiora fruſta, pollicem lata, glutinis lamellarum inſtar, vel lororum e corio diſcinduntur. Apte in hanc rem Ariſtoteles: ὄργανόν ἐςι μέταξυ δέρματος ϗ ὀςράκου.

ὀςράκου· διὸ καὶ τέμνεται ὥσπερ βύρσα σκληρά. *Natura eſt inter corium et teſtam media. Quare ſecari poteſt tanquam tergus durum.* Quod ad lora e corio, quibus diſciſſa Tethyorum Solorenſium fruſta ſimilia pronunciantur, attinet, maximus Scaliger haec adjungit ; βύρσα ſolius bovis intellexit Theodorus Gaza. Sed βυρσοδέψης etiam alia interpolat coria. *Plutarchus* in Libro de *virtutibus foeminarum* pro culeo accipit: In oratione *contra Phorminem Demoſthenes* utitur eo verbo, ſed non propterea ſcimus, quid ſit. Suidas pro quocunque δέρματι, et ait σκυτοτόμον eſſe Attice, qui βυρσοδέψης Aſiatice , a Paphlagonia , βύρσα pro quolibet corio: quod notat doctiſſimus Poëta, cum *Byrſa* peregrinum nomen poſuit. Hactenus Scaliger.

Belilli in fruſtis ſive loris coriaceis externe colorem nigricantem mentitur, internus color ad viridem dilutiorem marinum vulgo dictum, nigro mixtum glutinis obſcurioris inſtar accedit. Haec ſpecies *Dagin Belille* ſive *caro Belilli* dicitur, nec ad nos unquam, quantum ſcio delata. Nec multum differunt a fuco marino, *Firome* et *Kouba* dicto, rupibus pariter marinis adnaſcente , qui genti poſt praeparationem totus eſculentus, quamvis quoque coriaceae ſit ſubſtantiae.

Poſterioris Belilli ſpeciei praeparationem ſequentibus Cl. Rumphio Ao. 1681. Dn. Jacobus a Wykersloot, ſummus in Inſula Timor Belgarum praefectus, communicavit, quamque iisdem paene verbis repetiit Cl. Grimmius in Ephemeridibus noſtris. Minimas nempe particulas, ad confectionem *Dagin Belilli* haud idoneas, conquaſſant et contundunt, poſtea in aqua pluviali, usque dum non amplius maſſa ſpumeſcat, excoquunt, foeculentiam omnem ſubinde rejiciendo. Quod ſi ad juſtam exhalarit conſiſtentiam, infundunt fruſtis excavatae arundinis Bamboes. Sunt haec ex arundine arboreſcente confecta *Tſiku*, vulgo *Take* et *Fatsku* Japonice dicta ; cujus germina e radice pullulantia, ſale et aceto macerata, additis allio et capſici ſiliquis inter condita, quae *Atsjaar* vocant, principe loco habentur, radi-

ceſque effoſſae et a fibrarum verticulis liberatae, pro bacillis ſerviunt, quos manibus geſtare ſolemus, vulgo *Rotang* dictis, uti haec refert Excell. Kaempfer Amoen. Exot. Faſcic. V. p. 898.

Fruſtis arundinaceis impacta maſſa, ſoli exponitur, usque dum exſiccata fuerit, poſtea arundinaceos bacillos, *Dara Belilli* ſive *ſanguine Belilli* repletas fumo indurant, ut vermes, quibus merx haec adhuc recens obnoxia, enecentur. Poſterior haec ſpecies Belilli ſaepius adulteratur, cum Solorenſes remedii hujus collectores, neſcio an invidia, an incuria ducti, debitam in coctione et deſpumatione curam non adhibeant, ſed impuritatum foeculentias, cum ſpuma removendas, relinquunt et incoquunt; unde debita remedii vis et efficacia infringitur.

Sapor tam *Dagin* quam *Dara Belilli* eſt ſalino-amaricans, quamvis in priori ſpecie amarities ſalſedoque praepolleat, hincque etiam magis aeſtimetur. Ad amarorem ligni Colubrini accedit, ut nonnulli raſuram hujus ligni vel ſuccum Belilli immixtum eſſe crediderint; ſed carnea fruſta ſatis evincunt, amaritiem tethyis ipſis innatam eſſe; id quod jam veteres olim annotarunt in marino hoc concreto. Certe acrius deguſtanti ſalſedo amaritiei praepollere videtur.

Cl. Rumphius, qui recentem ſubſtantiam Belilli in Indiis deguſtavit, ſalſedinis ſaporem papillis linguae nerveis ſtatim imprimi refert, non inſuavem tamen illique fere ſimilem, qui ex eſu Sinenſis *Bolatsjang* percipitur. Cum merx haec exotica plane in materia medica et culinis noſtris incognita, brevem dabimus ejus deſcriptionem.

Datur cancrorum minimorum (Krappen et Garnellen dictorum) foetura, tantae parvitatis, ut vix pediculum aequet, tantaeque multitudinis, ut marina, quae accedit litora, quaſi ſanguine tincta appareant. Hanc cancrorum foeturam, expanſis linteis maxima copia colligere ſciunt Javanenſes, hancque Inſulam inhabitantes Japonenſes, quam poſtea contundunt, ſale condiunt, et in pultem nomine *Bolatsjang* redigunt. Hac ex maſ-

ſa ro-

ſa rotundas conficiunt placentulas, quas exteras in regiones mittunt, vel condiendis admixto citri ſucco cibis, vel etiam acetarii loco. Sinenſes nomine *Kitsjap* maſſam talem quoque conficiunt, Gari veterum vices ſupplentem.

Examen Chemicum ob remedii hujus raritatem caritatemque inſtituere haud licuit, implevit tamen animum ſciendi cupidiſſimum Cl. Grimmii induſtria, qui in Indiis examini ignis Belilli ſubjiciens, praeter ſal quoddam volatile, oleum inſuper aurei coloris copioſe, cum exiguo ſale acido fixo tanquam ex corpore quodam animali obtinuit; ex qua partium analyſi, quam ſalutares inde effectus expectandi, conjici facile poteſt, et ex ſequentibus experientia comprobatis ſatis liquet.

Cap. VIII.

INnumera et portentoſa hoc de medicamine referunt Timorenſes et Solorenſes, quae cum ut plurimum ſubleſtae fidei exiſtant, ſilentio involvimus, donec ulteriori inveſtigatione et experimento eorum magis illuceſat veritas. Quae tamen partim toties repetita virorum jam laudatiſſimorum in India propria experientia ſuggeſſit, partim a Barbaris precibus et pretio extorta notitia, heic recenſere placet. Commendatur ſummopere in febribus ardentibus, quae hujus remedii uſu per ſudores largiſſimos curantur: cavendum tamen, ne quis hoc pharmaco utens, 3. vel 4. horas poſt uſum potu ſe recreet, licet intenſiſſima ſitis, quae ejus uſum plerumque inſequitur, excruciet; ex aſſumto enim potu ſudoris vim infringi autumant. Appropriata autem Dagin et Dara Belilli vis et efficacia ſeſe exerit in Febribus putridis, quibus illi, qui in Inſulas Solor et Tymor, caedendarum Santali arborum gratia navigant, corripiuntur, hincque Febrium Tymorenſium nomen obtinuere. Deſcripſit illas ſolide Jacobus Bontius, Civitatis Bataviae novae in Inſula Java Medi-

cus ordinarius, qui non ut auritus, ſed oculatus potius teſtis, Indiae orientalis

- - - - - *peragratae ſcripſit miracula Terrae.*

Febris haec Tymorenſis ſi continua ſit, delirium et phrenitidem ſecum comitem etiam habet; ſin per intervalla exaſperetur, (nam remittit aliquando haec Febris, ſed intermittit nunquam) ea exacerbatio plerunque eſt circiter quatuor horarum, qua durante ridiculas admodum actiones aegri edunt, imitantes ea opificia, quae ſani exercuerunt, et omnia effutientes temere, quae in vita, tacenda loqvendaque peregerunt, cum maximo adſtantium riſu. Adeſt praeterea βέλιμος, ita ut dum in delirio ſunt, omnia etiam foediſſima dictu devorent, modo ipſis praebeantur. Diverſae ad productionem hujus mali cauſae concurrunt. Praecipua eſt ſitus hujus Inſulae; quippe decem circiter gradus a linea aequinoctiali verſus meridiem ſita eſt: ſunt autem habitacula Incolarum in ſummis montibus, ubi propter aëris mediam regionem, nebulae et pluvioſi exiſtunt vapores, tum aliquando frigus adeo violentum, ac in Belgio eſſe ſolet; dum igitur his ex montibus frigidis deſcendunt Belgae ad litus vel naves, ubi calor ſummus corpora urit, quid mirum, ſi ex ſubita hac aëris mutatione illud experiantur, cujus Ovidius meminit:

Cum modo frigoribus, calido modo ſtringimur aeſtu,
Tempore non certo corpora febris habet.

Accedit odor recenter caeſarum ſantali arborum, quae fatentibus ipſis incolis, neſcio quid viroſum, et cordi maxime ac cerebro inimicum exſpirant. Fructuum praeterea horariorum in his Inſulis laete naſcentium et luxuriantium, ingluvioſa, a nautis faſtidio maris, laboribus craſſisque cibis prius exhauſtis, ingeſtio fomiti hujus putridae febris anſam praebent; ut alias quoque cauſas ſilentio

tio praetercam; cum propterea febris hujus Tymorenſis, alias incogniti mentionem fuſius injecerim, ut dilucidius pateat, ſupremum et ſumme propitium Numen, huic febri averruncandae, ceu endemio his Inſulis malo, in Belilli generoſum ſubſtituiſſe remedium.

Aëris Tymorenſis et Soloreſis conſtitutio nebuloſa admodumque gravis, acutiſſimas producit pleuritides ſive dolores lateris punctorios, *tela* a Sereno Sammonico dictos, quod, teſte Iſidoro Orig. libr. 4. *corpus dolore inſtar gladii transverberet.* Hoc in morbo Virtus Belilli admiranda, ſi praeſertim Ligno pleuritico, *Pawo de portado* Luſitanis dicto, (cujus notitiam Clar. Grimmius Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. I. Obſerv. 175. pag. 411. nobis dedit) admiſceatur. Quid? quod Plinius jam olim Techia in cibo ſumta pleuritide mederi teſtatus eſt Hiſt. nat. libr. XXX. c. IX. Sect. XXX. p. 860. Edit. Harduinian.

Fertur eſſe Belille remedium praeſentiſſimum in morbo Pitao Indis dicto; cum paucis cognitum ſit hoc morbi monſtrum, dabimus deſcriptionem a Senatore Amſtelodamenſi ſplendidiſſimo illuſtr. Commelino ſuppeditatam, quam ad Tom. X. Tab. LX. Malabar. Hort. pag. 119. ad Plantam Kalengi Cansjavam adjunxit ſequentibus: Pitao morbus orae Indicae et quidem Malabaricae Endemius eſt, ortum ducens a nimia corporis exercitatione, immodica acidorum ſalſorumque ingluvie, Vini aduſti, (quod Arak vocant) uti et abuſu ex Herba Betel, oryzae crudae, lapidumque maſticatione larga et iterata phlebotomia, ſomno meridiano, ex quo grumoſus pituitoſusque producitur ſanguis, vires enervat hic morbus, icterum inducit, in oculis imprimis conſpicuum, ut et in lingua, liveſcunt ungues, intumeſcunt pedes et facies, quae omnia ſymptomata in hoc malo ab Incolis obſervantur. Huic duro nodo hic cuneus aptus.

Eſt cholerae pariter in India deleteria ſpecies, quae febrim, Cephalalgiam viriumque imbecillitatem comitem habet: hanc *Mordexi* et *Mordechi* nominant, quam prae caeteris accurate deſcripſit Cl. Dellon dans ſon Traitté des maladies particuliers aux Indes orientaux chap. VI. p. 34. Hoc morbo correpti ſi ante XXIV. horas non evadant, ſuccumbunt; hunc humorem effe-rum et quaſi orgaſmo ad ſuperiora et inferiora delatum compeſcere, rem profecto haud exiguae facultatis eſſe, Cl. Piſo in Hiſtor. natur. et Medic. Braſil. judicat; egregius tamen in infenſiſſimo hoc morbo ſanguinis Belilli uſus. Quamvis modo laudatus Dellonius affirmet, nullum in hoc morbo Mordechi praeſentius exſtare remedium, quam applicationem ferri candentis ſubtiliſſimi in illam plantae pedis partem, quae maxime calloſa; tamdiu inibi relicti, usque dum aeger admotum ferrum candens ſenſerit. Incantamenti pariter loco hanc Indicam Choleram et colicam mitigare refert pulverem *Dſjoſer* lingua vulgari, doctorum charactere *Wedſuſan* nuncupatum, Excell. Kaempfer. Amoenit. Exot. Faſcic. tert. Obſerv. XI. p. 588.

In Colica omnibusque torminibus, ob vim, quam poſſidet detergentem, flatusque diſcutientem, maxime ab Indis commendatur; hinc non ſine ratione Plinius loc. ſaepius cit. ſcripſit: *Tethya torminibus et inflationibus ſuccurrere, et teneſmum diſſolvere*; quod ſi Teneſmi moleſtiſſimam ſpeciem, cujus Bontius et Piſo meminere, abigat Belilli, omnem certe merebitur commendationem.

Nec in renum vitiis inefficax hoc remedium, quod de Tethyo pariter toties citatus Plinius refert. Maxime ſi Darae Belilli doſis in Infuſo graminis cruciati aſſumatur, cujus ſtupendum in renum calculo effectum praedicat Cl. Bontius Hiſt. Natur. et Med. Indic. Or. Libr. VI. cap. 52. p. 148. in cujus laudem ſequentes verſus fudit:

Gramen

Gramen ego quamvis vociter viliſſima planta,
Sed tamen in morbis notus me praetulit uſus,
Qui renes diro vexantque dolore veſicam.

Eſtque hoc gramen cruciatum Proſp. Alpin. Libr. I. de Plant. AEgypt. c. 40. quod non minus in Inſula Java, ac in AEgypto luxuriat. De quo gramine uberius ediſſerens videri poteſt Neuhofius en ſyne Gedenckwoerdige Zee en Land-Reyſen, in fol. pag. 258. Cl. Grimmius ſummopere commendat in torminibus a partu, ſanguinis coagulati reſolutione et apoſtematibus internis. Forte caro marina eſt Tethyum, quam in torminibus a partu commendavit olim *Erotis* Juliae libertus, quem *Trotulam* vulgo nominant, et pro foemina habent, de quo in noſtro *Gynecaeo medico.*

In viſcerum obſtructionibus indeque orta atrophia, ob detergendi aperiendique efficaciam Indi commendant, quibus de Tethyo ſuffragatur Plinius l. 32. cap. 10. §. 867. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia ſunt cum ruta et melle.

Praeter recenſita haec mala, vis quoque alexiteria Belilli contra venena extollitur, cui Luſitani inſuper radicem Luſſa Radja adjungunt, de feliciori effectu certiſſimi; hanc mixturam quippe Therinacae vices ſupplere credunt, a qua nec odore nec ſapore multum differt, id quod nobiliſſ. Rumphius retulit.

Nec in Aſthmate ejus contemnendus uſus; hac tamen cautione adhibita, ne quis proximis cibis de limonum ſucco vel alio acido quid aſſumat, cum hoc absque inſtanti vitae periculo fieri haud queat, eodem, quem hactenus laudavimus, Rumphio referente.

Dn. Phil. de Vernattis Praeſ. in Java maj. in Tranſact. Anglic.

 Menſ.

Menſ. Jun. 1669. retulit, ſanguinem piſcis, cui nomen Bedille, corrupte pro Belille, certiſſimum haberi remedium contrá ſanguinis fluxum.

Ad Modum quod attinet, quo medicamentum, a Luſitanis, qui primi auctores extitere, exhibetur, is eſt: ſcinditur maſſa arundinibus excavatis impacta, in taleolas cultri craſſitie, pro doſi unica. Comminuitur poſtea haec et conquaſſatur in potu Arak dicto debiliſſimo vel Vino imo quoque ſpiritu vini in frigidis; ad debellandas febres autem in aqua ſimplici et probe comminutum mixtumque aegro propinatur, expectando ſudorem.

Cum primitus hoc pharmacum Japoniae inferretur, tanto erat in pretio, ut quarta librae pars hujus Belilli Centum Tadt Argenti, ſive 125. Thaleris conſtiterit, ſed deſiit mox raritate caritas, praeſertim cum Dagin Belilli poſtea, ſpecies tenuior Darae Belilli ſucceſſerit.

Hoc ad nos ante viginti et plures annos a ſolertiſſimo Domſtorffio, Amſterodamenſi Pharmacopoeo, transmiſſum B. Stoeberlino medicamentum moderato conſtitit pretio, nunc ſummo vix obtinendum. In colica aliquoties Elaeo-Saccharo Corticum Aurantiorum mixtum ſummo cum emolumento exhibitum memini, a beatiſſimae memoriae Medico, Septimo Andrea Fabricio, feliciſſimo quondam Patriae noſtrae Practico.

Vocabar et ego ad aegrum miſerrime decumbentem, ſive potius dolore colico *alligatum*, qua voce hunc morbum graphice exprimit Aulus Gellius in Noct. Attic. Maximi circa hypochondria cruciatus, quo ipſo, qualis revera eſſet affectus, mihi ſe probabat. Oſtendit enim avtopſia, Colon e dextris inanibus ſe elevare ad cava hepatis et contactum veſiculae, hinc ſub ventriculi fundo transverſim pergere ad confinia lienis, et hinc deorſum, iterumque

que ſurſum ad renem, tandem ad rectum deſcendere. Omnibus in inteſtinis perpetua erant vermina, vel ut Hippocrates noſter III. Epid. II. 6. loquitur στρόφοι ξυνεχέες, ex vellicatione nempe fibrarum longitdinalium et circularium; toiusque abdominis dolor ita ut ne digiti quidem attactum tulerit, confirmaritque veritatem illius dicti: *aliquid mali eſſe propter vicinum malum.* Ventriculus ſemper ad potulentorum emeſin pronilſimus erat; οὖρα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα, καὶ ἄχροα, ſecundum Coum noſtrum II. Epid. I. 25. alvus tamen utcunque reſpondebat. Cum inſpasmodico hoc affectu ſaepius Liquoris Cornu Cervi ſuccinati efficaciam, tanquam alcalino-ſalſi remedii expertus eſſem, et Belilli huic analogum crederem medicamentum, exhibui repetita Fabriciana jam ſuffultus experientia, rationeque inſuper munitus, feliciſſimo ſubſecuto ſucceſſu; ſub haſta enim morbi venditus quaſi aeger, natura allaborante, imo benedicente DEO veluti manumiſſus, ſanitati iterum aſſertus eſt et libertati, quam cum illa perdiderat, ut venuſte, phraſim medicorum, *a morbo liberatus* circumſcripſit et interpretatus eſt eruditiſſimus Antonides. Nec me fefellit in iliaco volvulo Belilli uſus. In Febribus aliquoties exhibitum hoc remedium ſinceriores ChinaeChinae effectus praeſtitit. Vlteriores explorandi vires, raritas Medicamenti hujus nobis ademſt, cum nunc nullibi in Europa noſtra fere repertu detur, quod cum Radice Mungos propediem fiet, niſi ex India orientali felicibus velocibusque advehatur velis.

Sufficiant haec, nec enim animus, de remedio nondum crebriori uſu et experientia apud nos Europaeos firmato plura ſcribere ea in arte praeſertim, ubi frequentiſſime fallacia non cauſae pro cauſa regnat;

gnat: metuo enim ne rebus ſic ſtantibus mihi quis objiciat, me εἰς δό-ξαν μᾶλλον ὅι τἀληθὲς ἀποβλέπειν, *opinionem magis quam veritatem ſpectare*, ut de multis ex vero notat Manuel Imp. c. LXXXIV.

Vela ergo contrahentes, mari Tethyorum
matre relicto:

Tendendo ad portum ſuperatas linquimus undas.

TANTUM.



MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI
ARCH. CAESAR.

FESTVM TITHENIDIORVM DIANAE CORYTHALLIAE

a

Nutricibus Spartanis celebratum,

Commentariolo

nunc

dilucidatum dicatumque

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERTIS-SIMOQVE

DN. JOANNI ADAMO GENSELIO

PHIL. ET MED. D.

REGIAE LIBERAE CIVITATIS SOPRONIENSIS
ET COMITATVS CASTROFERREI MEDICO,
ACADEMICO CVRIOSO.

[1717]

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY
58700(7)

TEthyos, τήθης et Tethyorum examini, occaſione Belilli inſtituto, diſſertationem de *Deabus Tethenis*, Coronidis loco deſtinaveram; ſed cum ſub manibus in incongruam appendicis molem excreſceret, nundinaeque inſtarent, futuris Ephemeridum Centuriis, cum Deo et die prodituris, reſervandam eam duxi, hac vice portiunculam tantum ſubjuncturus. Tethenis Deabus deſtinatum *Tithenidiorum feſtum:* et quidem cum κατ᾽ ἐξοχὴν *Diana Tithena* et πολύμαστος audiat, huic feſtos praecipue iſtos dies indictos fuiſſe ex Athen. Deipn. Libr. IV. p. 139. diſcimus, qvi ex *Polemonis* Libro de *Canathro Xenophontis*, quod Cl. *Dalechampius* Not. in Athen. *currum viminibus contextum* ſive *plebejum plauſtrum* interpretatur, deſumſit. Spartanum hunc ſcriptorem fuiſſe, ὁ πάνυ *Caſaubonus* Animadverſ. in modo citatum Athenaeum Lib. IV. cap. VI. pag. 260. exinde probare vult, quod ipſemet Spartam, ſuam provinciam nominet; cui itaque de Spartano feſto, quale Tithenidiorum, maxima fides adhibenda. Cum praecipua Scriptorum cohors, et feſtorum collectores, hujus ſolennitatis dememinerint, ut ejus obſcuritas eluceſcat, producamus verba Polemonis ipſa ex Deipnoſophiſtarum Collectore. Ἐν δὲ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι, ϗ τοῖς τιθηνιδίοις καλουμένοις ὑπὲρ τῶν παίδων. κομίζουσι γὰρ αἱ τίτθαι τὰ ἄῤῥενα παιδία κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ἀγρὸν, ϗ πρὸς τὴν κορυθαλλίαν καλουμένην Ἄρτεμιν: ἧς τὸ ἱερὸν παρὰ τὴν καλουμένην Τίασσον ἐςὶν, ἐν τοῖς πρὸς τὴν Κλήταν μέρεσι. τὰς κοπίδας παραπλησίως ταῖς λελεγμέναις ἐπιτελοῦσι· θύουσι δὲ ϗ τοὺς γαλαθηνοὺς ὀρθαγορίσκους, ϗ παρατιθέασιν ἐν τῇ θοίνῃ ἰπνίτας ἄρτους· *In urbe vero copidas celebrant etiam Tithenidiorum feſto, quod appellant, pro ſalute liberorum. Tum enim mares pueros in agrum nutrices exportant ad Dianae, quam Corythalliam vocant, templum, prope Tiaſſum nuncupatum, in iis partibus, ubi Cletaeſanum exſtat, copidem ſuperiori ſimilem exhibent. Immolant vero etiam lactentes porcellos, et apponunt in coena panes furnaceos.*

Plurima ad illuſtrandam antiquitatem continet hic Palemonis locus; et quidem, quod *Copidem* concernit, convivium hoc

erat duplex. Κοπὶς extra urbem, et intra urbem haberi ſolita. Extra urbem hunc in modum peragi ſolitam recenſet ſolertiſſimus *Meurſius Miſcellan. Lacon.* L. I. c. XI. ex *Polemonis* l. c. p. 50. *In tentoriis juſſu Lycurgi a Spartanis juxta Dei templum erectis lectos e palea, fronde et gramine ſtratos, tapetibus tegebant, et in his diſcumbere convivas jubebant, advenas indigenasque, nulla habita ratione.* Immolabant vero *capras*, et convivis carnes harum comedendas dividebant, addito exiguo pane, cum rotundo, tum compreſſo, quem vocabant φυσικίλλον. Addebatur caſeus recens, item ventris et omaſi fruſtum quoddam: tum bellariorum loco, caricae, fabae, et phaſeoli item recentes. Haec e Polemone relata fercula magis ſpeciatim refert *Molpis* apud *Athenaeum* l. c. *Faciunt etiam copidas, quas vocant. Eſt vero copis coena, maza, panis, caro, olus crudum, juſculum, ficus, et lupinus pro bellariis*; quae Molpidis verba transſcripſit *Heſychius* in voce κόπις. Immolabatur autem *capra Junoni* forte Tithenae, vel Soſpitae, certe Ἀιγοφάγῳ, de qua jam abunde diximus, ubi de *Columna Lactea* in Junone Tethena nobis ſermo. Licet autem *Polemon* et *Athenaeus* nullam cauſae Copidis, et cur Junoni mactatae *capellae*, injiciat mentionem; facile ex iſtis tamen, quae mox de Diana Corythallia dicenda, apparet, ob liberos procreatos id factum eſſe. Tota enim hebdomade prima *Junoni* propoſita *menſa*, ſuper quam infans diis oblatus et commendatus, votis, quae ſuſcepta fuerant, vel ſolutis vel adauctis. Menſam adeſſe nullam, malum omen interpretabantur; eratque fere ara, in qua libatum. Deae *Junoni lectus* additus, et in ejusdem aerarium conjecti nummi. Vid. Excell. Bartholin. in antiquit. Veter. Puerper. p. 132. Hinc paſſim in Numiſmatibus *Lectiſternia Junonis.* Cur autem *Juno* et *Diana Corythallia*, de qua mox nobis ſermo erit, jungantur, *Tertullianus Libro de Anima*, lucem affert: *Dum in partu*, inquiens *Lucinae et Dianae ejulatur, dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur.* Vt ſilentio tranſeamus Dianae pariter a Puerperis veſtimen-

menta devoveri ſolita, id quod eruditiſſimus Meurſius probat Exercit. Critic. Part. II. cap. X. p. 88. Sed inſpiciamus nunc Copidem in feſto Tithenidiorum Dianae Corythalliae, quam ita celebrabant, ut praedicto feſto mares liberos nutrices extra urbem exportarent. In Indice Cl. *Dalechampii ad Athenaeum*, ridicule Tithenidium civitas citatur, cum tamen in textu nihil tale exſtet, ſed in Notis expreſſe *nutritiorum ſolennitas* indigitetur. Exponebantur autem a nutricibus Dianae Corythalliae cognomento appellatae. Quae et qualis aliis indicta haec Diana fuerit, nunc inquirendum. Doctiſſimus *Gyraldus* illam nomen habere arbitratur: κόρȣς, inquit; *pueros* dictos videmus; thalliam Laurum nuncupant. Forte alludens ad hoc Heſychii: κορυθάλια (Salmaſius legendum judicat κορυθάλλια) δάφνη ἐςαμμένη. Τίνες τὴν εἰρεσιώνην. Explicat autem εἰρεσιώνην, dum ſcribit: εἰρεσιώνη κλάδος ἐλάιας, *ramus olivae*; lemniſcatus hic erat lanaque coronatus, in ſignum ſupplicationis, qualem appenſis omnis generis primitiis manibus ferebant pueri, quibus parentes adhuc ſuperſtites, occinentes hos verſus:

Ειρεσιώνη σῦκα φέρει, κ̀ πίονας ἄρτȣς,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, κ̀ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ, εὔζωρον, ἵνα μεθύȣσα καθεύδῃ.

Ficus et pingues panes ferat εἰρεσιώνη,
Atque in vaſa favos, olei fundatque liquorem
In calicesque merax ut dormiat ebria vinum.

Portabatur hic ramus in feſto Thargeliorum et Pyanepſiorum in Apollinis et Dianae honorem inſtitutorum. Neque ex oleae ramo, ſed ex lauru pariter fuiſſe, innuit hoc *Scholiaſtis Ariſtophanis* ad *Plutum.* Ειρεσιώνη θάλλος ἐλαίας ἢ Δάφνης. *Eireſione ramus oleae vel Lauri.* Sed haec occaſione illius Heſychiani loci de Corythallia.

Propius ad ſcopum noſtrum incomparabilis *Iſ. Caſaubonus,* loc. jam cit. Hic enim Tithenam Dianam judicat, ſcribens: κορυθάλλια *Diana eadem, quae in aliis Graeciae urbibus dicebatur* κουροτρόφος. *Dubitari enim non poteſt ſic dictam, quod faceret* τȣ̀ς

κόρȣς

κόρας θάλλειν. *Alii tamen peculiare numen ea voce ſignificari volunt.* Licet ea, quam recenſui, *Caſauboniana* conjectura fundata videatur in omni antiquitate et ratione, eam tamen deſtruere conatur πάνσοφος ille καὶ πανάρετος ſenex *Th. Reineſius*, qui Corythalliae Dianae nomen ἀπὸ τοῦ γωρυτοῦ dictum exiſtimat. Γωρυτὸς autem σγωρυτὸς σγωρίδιον, θήκη δερματίνη βελῶν; pharethra. Heſychius lucem affert: Γωρυτὸς τοξοθήκη θύλακος. Οἱ δὲ χωρυτός. Deductionem hujus nominis vide in Gujeti notis ad Heſychium. Latina vox *Corytus*, ex Reineſii mente debet legi apud Stat. Libr. IX. Theb. v. 730. et Val. Flacc. L. III. Argonaut. v. 524. quod a ſciolis correctoribus in *myrtum* mutatum eſſe queritur vir πολυμαθέστατος. Sequenti porro conjectura ſuam de Diana Corythallia firmat ſententiam: *Qui* ἀπὸ τῶν κόρων *a puerulis maribus ita dictam volunt, dicant unde* τὸ υ *in ſecunda ſyllaba? quod ſi* κορυθάιολος *a picta varie pharetra, geſtamine ſuo, ita dicta ſit Spartanorum Diana? quo epitheto ornat Hectorem Homerus Iliad. V. vid Reineſ. Not. ad Inſcript.* 59. *Cl.* 1. *p.* 106. *Oper. Inſcript.* Hae de Dianae Corythalliae Caſauboni et Reineſii ſententiae. Quis rem acu tetigerit in re abſtruſa, et ubi Carmenta Evandri matre opus, judicare mihi nefas videtur, probe conſcio effati Divini noſtri Coi: ἡ κρίσις χαλεπὴ, *Judicium difficile.*

Fanum hujus Deae fuit, teſte *Athenaeo* παρὰ τὴν λεγομένην τιάσσον. *Dalechampius* jam legendum judicavit τιάσσαν; hinc vertendum, *prope Tiaſſam* fontem: nam de fluvio dixiſſet τὸν, non τὴν. *Heſychius*: Τιάσσα κρήνη ἐν Λακεδαιμονίᾳ. Τινὲς δὲ ποταμόν. *Tiaſſus fons in Lacedaemonia: quidam vero fluvium tradunt.* Ac fluvium quidem *Pauſanias* dicit in Laconicis: Ἐς Ἀμύκλας δὲ κατιοῦσιν ἐκ Σπάρτης, ποταμός ἐστι Τίασα. *Sparta autem abeuntibus Amyclas fluvius occurrit Tiaſa*; cui proxima eſt Phaennae et Cledae Gratiarum ædes.

Addit porro *Polemon hoſtias immolandas*, ὀρθαγορίσκους; *porcellos* nempe *lactentes*. Immolabantur hi Deabus, quoniam *purae hoſtiae* ad ſacrificandum, ut M. *Varro* ait; appellati inde olim *Sacres*. Dicuntur autem *puri* ſive ad ſacrum idonei, quod

con-

conſuerent fieri quinto aut ſexto die, teſte *Plinio*. Scilicet ut Cereri, tanquam Telluri et nutrici ſeu *Tethenae*, offerebatur myſtica *Catulli porca*, ceu hoc ex Meliſſa Cereris ſacerdote, dextra purum porculum, ſiniſtra papaver tenente, in elegantiſſimo vaſe onychino Sereniſſimi Luneburgenſium Ducis, Myſteria Cereris et Bacchi adumbrante, apparet, uti olim in *papavere* demonſtravimus; ſic Dianae nutrici et Corythalliae quoque oblatae hae purae ſacreſque hoſtiae. In luſtrationibus immolatio porcellorum lactentium καθάρσια vocabatur. Suidas in καθάρσιον: ἔθος ἐν Ἀθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ Θέατρα μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρσια. *Mos erat Athenis luſtrare concionem et Theatra parvis, admodum porcellis, quae vocabant* καθάρσια *piacula*. Audiebat alias Graecis *porcellus lactens* κόλαβρος. In *Olympiodoro* et *Suida* redditur: ὁ μικρὸς χοῖρος, et in Heſychio τὸ κοιλίδιον, ſed legendum τὸ χοιρίδιον; in loco adducto Polemon eos vocat γαλαθηνὰς ὀρθαγορίσκες. Sed ſcripturam *Didymus* ibidem allatam reprehendit et affirmat ὀρθραγορίσκες ſcribendum litera ρ inſerta: παρὰ τὸ πρὸς τὸν ὄρθρον πιπράσκεσθαι. *Quod mane venderentur*; ac ſcripturae hujus teſtes inde producit *Perſaeum*, *Dioſcoridem* et *Ariſtotelem*, in Libr. de *Republ. Lacedaemoniorum*. Neque aliter ſcribit *Plinius* Libr. XXXII. c. 11. *Apion, maximum piſcium, eſſe tradit porcum, quem Lacedaemonii orthragiſcum vocant, grunnire enim, cum capitur*. Tamen etiam ρ omiſſo, uti a *Polemone* factum, id nominis ſcribi ſolitum, manifeſtum ex *Heſychii* iſto loco: Ὀρδαγοθίσκος (male ſecundum Meurſium ὀρθαρίκος) χοιρίδιον μικρόν: *Orthagoriſcus porcellus exiguus*. Scribebant hanc praeterea vocem adjecta litera B. ex eo quod porcellus lactens βορθάκεος diceretur. Sic apud *Heſychium*: Βορθαγορίσκεια. χοίρεια κρέα. καὶ μικροὶ χοῖροι βορθάκεοι, Λάκωνες. *Borthagoriſcea, porcinae carnes, et parvi porci Borthacei, Lacones*. A Borthagoriſco adjectivum βορθαγορίσκειος, *porcinus*. Vocabatur porro Laconibus porcus βώλωρυξ. Heſychius toties laudatus: Βωλώρυχα, τὴν σῦν, Λάκωνες. *Bolorychen, ſuem, Lacones*. Etiam Σίκα. Idem Heſychius alio loco: Σίκα, ὗς. Λάκωνες. *Sica, ſus. Lacones*.

Por-

Porcellos igitur lactentes Dianae Corythalliae offerebant nutrices Laconicae prae caeteris laudatiſſimae. Ex Graecia enim plerumque nutrices conductas fuiſſe, locus Taciti in dial. de Cauſ. corr. eloq. c. 29. teſtatur: *At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervus plerumque viliſſimus.* Is ſervus forte gerulus ſeu bajulus, (unde *magnus Bajulus* in Aula Conſtantinopolitana) ſub nutrice hoc onus ſubiens. Praeſtabant tamen Spartanae reliquis Graiis omnibus. Sic Athenienſes Lacedaemone eas petebant, unde et Alcibiades a Lacaena nutrice educatus eſt, teſte Plutarcho in Alcibiad. Cauſam autem, cur Lacaenae nutrices prae caeteris in honore habitae, idem Plutarchus in Lycurg. p. 49. declarat: ἦν δὲ περὶ τὰς τροφὰς ἐπιμέλειά τις μετὰ τέχνης, ὥστε ἄνευ σπαργάνων ἐκτρεφούσας τὰ βρέφη τοῖς μέλεσι, καὶ τοῖς εἴδεσιν ἐλευθέρια ποιεῖν, ἔτι δὲ εὔκολα ταῖς διαίταις, καὶ ἄσικχα, καὶ ἀθαμβῆ σκότου, καὶ πρὸς ἐρημίαν ἄφοβα, καὶ ἄπειρα δυσκολίας ἀγεννοῦς ἢ κλαυθμυρισμῶν: Διὸ καὶ τῶν ἔξωθεν ἔνιοι τοῖς τέκνοις λακωνικὰς ἐωνοῦντο τιτθάς. i. e. *Jam Lacaenae nutrices curam agebant artificioſam, ut ſine faſciis infantiam educentes, membra et ſpeciem iis liberalem conciliarent. Aſſuefaciebant etiam eos quibusve cibis et jejunio, utque intrepidi ad tenebras, imperterriti eſſent ad ſolitudinem, neſcii illiberalis moroſitatis et vagitus. Hinc mercabantur liberis nonnulli exteri Laconicas nutrices.* Nec enim de Graecis Romanisque dici poteſt, quod de Germanis *matribus* Tacitus *ſua* inquit, *quenque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.*

Superſunt panes furnacei, quos Polemon ἰπνίτας ἄρτους vocat a voce ἶπνος, quae Heſychio explicatur: ἶπνος κάμινος, φοῦρνος, κλίβανος, μαγείριον. Pollux in Onomaſtico Libr. X. Cap. XXIV. Segm. 110. Edit. Hemſterhuiſ. Τῶν τε μαγειρικῶν ἶπνοι καὶ κρίβανοι. *Coquinarii quoque ordinis ſunt furni, Clibani.* *Heſychius* ſcribit κλίβανος, quod *Pollux* κρίβανος exprimit, quae vox nobis in memoriam vocat, Laconici panis genus, κρίβανον dictum, forte quod in cribano ſive furno paratum, et ſic pariter *furnaceus panis* exiſtat. Nec abſonum foret, ſi ſtatuerem, panem in coena feſtis

Tithe-

Tithenidiorum diebus exhibitum, *κρίβανον* fuiſſe. Firmat hanc meam conjecturam, quod formam uberis prae ſe tulerit. Diſcimus hoc ex correcto a ſolertiſſimo Meurſio Athenaei Libr. XIV. loco, ubi duae voces in unam coaluere; τὸ σχῆμα (male σχεματοειδεῖς) μασοειδεῖς εἶναι φάσκων αὐτούς. *Figura eos uberibus ſimiles eſſe* dicens. Quod repetit Athenaeus Libr. III. Σωσίβιος δ᾽ ἐν τρίτῳ περὶ Ἀλκμᾶνος, κριβάνας φησὶ λέγεσθαι πλακοῦντας τινὰς τῷ σχήματι μασοειδεῖς. *Soſibius Libro III. de Alcmane, cribanas ait placentas quasdam uberis formam referentes.* Nec impedit ab Athenaeo placentis accenſeri κριβάνας, cum inter ἄρτους quoque referantur. Circumferebantur et in nuptiis cum voto ſcilicet et omine liberorum, quos lactare oporteret ſponſa; quis hoc in nutrices pariter lactentes, Dianae Tethenae ſive Corythalliae exponentes, quadrare neget?

Sed omiſit nonnulla Athenaeus de hoc Tithenidiorum feſto, indicta aliis et incognita, niſi ab oblivione vindicaſſet, omnis eruditionis promus condus Heſychius. Choreas enim diebus his feſtis egiſſe probat voce κορυθαλλίστριαι. Ita enim eas definit: κορυθαλλίστριαι, αἱ χορεύουσαι τῇ κορυθαλλίᾳ θεᾷ, ex verſione eruditiſſimi Meurſii, qui hujus feſti in Graeciae feriatae Libr. VI. non dememinit: *Corythalliſtriae, quae Choream inſtituunt Deae Corythalliae.* Scilicet uti nulli fere populi tot chorearum ſaltationumque genera, quam Laconibus; ſic ex Dearum numero nullae frequentiores quam Dianae. v. g. Dianae Chitoniae inde dictae, quod natis infantibus veſtimenta conſecrent. teſte Scholiaſte Callimachi Hymn. 1. Jonica ſaltabatur, teſte Athen l 14. Dianae Dereatiditi Laconicae in ejus templo cum hymnis habebatur Chorea *Calabis* dicta, quod Heſychius annotatum reliquit. Dianae Caryatidi quotannis Lacaenae virgines choreas inſtituebant et ſaltationem ritu patrio, Caryatim dictam peragebant, docente hoc Pauſania in Laconicis, qui pariter Eliac. II. refert ſaltationem Cordacem Dianae nomen dediſſe Cordacae. Haud

igitur mirum, Dianae Corythalliae choream duxiſſe Corythalliſtrias, quarum nobis conſervavit memoriam Heſychius, ſicut et Cyrittorum, quorum in feſto Tithenidiorum Dianae Tithenae inſtitutorum fit mentio. Deſcribit autem eos ſequentibus: Κυριττοὶ, οἱ ἔχοντες τὰ ξύλινα πρόσωπα κατὰ Ἰταλίαν κ̓ ἑορτάζοντες τῇ κορυθαλλίᾳ (Palmerius legendum jubet κορυθαλλίᾳ) γελοιασαί. *Cyritti, habentes perſonas ligneas in Italia, et ridicule operantes Corythalliae.* Quid πρόσωπα proprie denotent, explicavit diverſis in locis Pollux Onomaſt. Libr. II. c. IV. p. 176. Edit. Hemſterhuiſ. Libr. IV. de Hiſtrionum apparatu Cap. XVIII. Libr. X. Cap. 39. de larva et ſimilibus, ubi ferme ſemper προσωπὶς, πρόσωπον, προσωπεῖον, μορμολύκειον, γοργεῖον (vel potius γοργονεῖον) conjungit; et per μορμολύκειον explicat. Dicta autem haec vox a Μόρμω, quae foemina fuit monſtroſa, et facie quaſi ferina, et eo usque formidabilis, ut qui etiam ei occurriſſet, ſtatim ſeſe proriperet. Hinc apud Theocritum mater, ut filiolo terrorem injiciat, dicit ei: Μόρμω, δάκνει, ἵππος. Hinc dicitur μορμολύκειον Euſtathio Iliad. Σ 1150. v. 34. eo quod prae ſe ferat δίκην μορμȣ̃ς καὶ λύκȣ δυναμένον i. e. *Terrorem Mormus, et Lupi potentiam. Bourdinus Scholiaſt. Ariſtophanis in Thesmoph.* p. 789. E. adjungit Mormolycia perſonas eſſe haud tantum tragicorum, ſed et Hypocritarum. Μορμολύκεια, τὰ τῶν τραγῳδῶν προσωπεῖα καὶ ὑποκριτῶν. Quamvis nonnulli a verbo μορμύσσομαι, perterrefacio, deducant. Μορμῷ perſimile monſtrum fuit Gorgon, et ipſa foemina, cujus caput effictum geſtaſſe in ſuo clypeo pro inſigni Lomachum, Comici Scholiaſtes aſſerit in Pace.

Sunt igitur πρόσωπα, προσωπεῖα, μορμολύκεια, γοργονεῖα nihil aliud quam Latine dictae Larvae et Perſonae, de quibus eruditiſſimum conſcripſit Syntagmation *Ageſilaus Mareſcottus de Perſonis et Larvis eorumque apud Veteres Vſu et origine.* Erant autem πρόσωπα ſive *Larvae* ac *Perſonae* vel ex *foliis*, *cortice*, *ligno* et ſimilibus. *Folia* praecipue ficus et lappae majoris trahebantur in uſum. *Corticis* meminit Virgilius:

Oraque

Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.

Ad *lignea* πρόσωπα ſive Larvas reſpexit *Prudentius* Libr. II in Symmachum dicens:

Vt tragicus Cantor ligno tegit ora cavato.

Heſychio vocantur πρόσωπον ξύλινον, κυλίνθιον. Erant quoque προσωπίδια. *Pollux* Libr. X. cap. 28. p. 1306. *inter Gynecaei vaſcula* memorat. Προσωπίς· καὶ πρὸς ἐν Δαναΐσιν Ἀριστοφάνης προσωπίδιον. *Larva. Larvula ſecundum Ariſtophanem in Danaidibus.* Eruditiſſimus *Mareſcottus* ad explicationem hujus proſopidii trahit verba *Ciceronis*, *quae Action. VI. in Verris* mollitiem profert: *Reticulum ad nares ſibi admovebat tenuiſſimo lino, minutisque maculis plenum roſa.* Commentatur ad hunc locum vir ſummus, non recens inventum eſſe, quod plerasq; matronas et praecipue Gallicas factitare videmus, ut nempe ad ſolis aeſtum, et aëris inclementiam ventorumque rigorem, ſive etiam ad pulveris moleſtiam depellendam, tenui aliqua perſonula ſibi vultum operiant, quae certe *Platonis* in *Sophiſtis lintea facies* eſſe videtur, a Gallis hodie *masque*, ab Italis Hiſpanisque *maſchera* dicta. De cujus vocis origine poſt *Salmaſium Notis in Tertull. de Pallio*, videndus ſolertiſſ. *Menagius nell' origini della Lingua Ital. et Ferrar. in Origin. Ital.* Scilicet origines hujus vocis in *Heſychii* βάσκα et μάσκα latitant.

Ad ridiculas *Cyrittorum geſticulationes Tithenidiorum* diebus feſtis Dianae Corythalliae quod attinet, dependet hoc a qualitate Larvae ſive Perſonae. Sic formidabiles perſonae erant, quales πρόσωπα Ερινννύος, quibus Socratem terrere cupiebant apud. AElian. Var. Hiſtor. Libr. IX. cap. 29. Talis terribilis vultus Batavi, de quo Martial. Apoph. CLXXV.

Perſona Batavi
Quae tu derides, haec timet ora puer.

Hujus

Hujus quoque commatis larvae Scenicae, cum rictu et hiatu oris terribili Comoediae Latinae ſive Italicae, Silenorum luſoriae larvae in Bacchanaliorum ritu, perſonae cum barba calamiſtrata more AEgyptio, quarum larvae plurimae exhibentur in Gemmis apud Leonard. Auguſtinum n. 100. 101. 102. ſeq. et apud Caſalium de Tragoed. et Comoed. cap. 2. Fuere inſuper ridiculae et jocoſae larvae. Sic cum larva ante faciem oſtendunt Jocum inter amores vetuſta marmora, quorum unus pulſat lyram, et alter jocatur cum larva ante vultum, adſcriptum: *AMOR. VENVS*, et ſuper larvam illam vel perſonam *JOCVS*; et quidem larvae hujus σχηματισμὸς, ſic enim Heſychio vocatur, merito inter Cyrittorum πρόσωπα ξύλινα recenſeri meretur, cum non faciem ipſam larva obductam habeat minaci; ſed potius manibus teneat caput forte ligneum, panno pectoretenus obductum, cujus laciniae in extremitate apparent. Figuram delineatam exhibuit *Pignorius in ſua Editione Imaginum Cartarii* p. 278. Socius pariter Amoris Jocus apparet cum larvata facie apud Leonard. Auguſtin. Gem. 127.

Πρόσωπα haec ξύλινα Cyrittorum comitabantur mirae eorum geſticulationes forte per ſaltationem Laconicam, Ἴθυμβον dictam, quam *Heſychius* γελοιαςὴν pronunciat; vel per Morphasmum; in ea ſaltatione quippe imitabantur omne genus animalia, eaquae Athenaeus Libr. XIV. Γελοίαις ſive *ridiculis* accenſet; qualis Λέων ab ipſo dicitur. Atque in his ſaltationibus ridiculus forte larvarum uſus, quas Pollux λεόντων, ἢ καὶ βοῶν πρόσωπα nominavit. Sed non eſt, cur latius in ridiculos Cyrittorum geſtus inquiramus, cum vox ipſa κυρίττειν clare explicet. Pollux Libr. V. cap. XV. Segm. 94. p. 530. κέρασι κυρίττειν, cornibus ferire; et dilucidius adhuc Heſychius: κυρίττοντες, κερατίζοντες, κεφαλαῖς πλήσσοντες. Omnium optime Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. Caprar. ad vocem κυρίψῃ. Τὸ κερατίζειν, κυρύττειν (al. legunt κυρύπτειν) οἱ Ἀττικοὶ λέγουσιν, ὡς συντρεχόντων ἀλλήλοις τῶν κριῶν, καὶ τὰς κορυφὰς πληττόντων, καὶ ῥεγνυμένων. Atticis κυρύττειν eſt *Cornu ferire*, quia mutuo concurſu arietes capita collidunt et elidunt.

Appa-

Apparet hinc κυρίττειν proprie dici de arietibus ; ſed quod illorum proprium, in hircos quoque transfertur ; hinc hirci epitheton apud Theocritum κυρύττιλος, *cornupeta.* Imo et bobus attribuitur. Heſychius: κυρίσσει, κερατίζει, τύπτει μετὰ τῆς κεφαλῆς, ἡ βοᾶ, ubi *incomparabilis Bochartus Hierozoic.* Libr. II. cap. XLVI. p. 526. Edit. Leusden. legendum cenſet ἢ βοῦς· qui inſimul notat, Arabicum verbum *natacha* cornupetere, et *natach* cornupeta, quod de bove uſurpant Locman fab. prim. et paraphraſtae Arabes Exod. 21. v. 28. apud illos, qui pure loquuntur, ad arietem maxime pertinere. Patet hinc κυρίττας geſtibus ridiculis, arietando nempe, riſum in feſto Tethenidiorum Corythalliae provocaſſe. Lucem exinde accipit vetus Gloſſarium, in quo *arcetat* κρύπτει reperitur, pro quo legendum: *arietat*, κυρύπτει, quemodo in Philoxeno: κυρύπτει, *arietat.* Spectat huc factum falſi illius et a maligno ſpiritu ſeducti Prophetae Zedekiae filii Chananae 1. Reg. 22. v. 11. qui Achabo Iſraelis et Joſaphato Judae Regibus, de felici ſuſcipiendi belli exitu ſciſcitantibus, aeneis confectis cornibus, capitique admotis oſtendit, ſic Syros ab illis peſſundatum iri, quod illuſtris Grotius ad hunc locum per vocem arietare optime exprimi poſſe tradit. Nec Romanis praeter hanc arietandi voces deſunt, quibus arietem aut agnum cornu ferire ſignificant, nempe *coniſcare.* Sic Lucretius Libr. 2. v. 320.

Et ſatiati agni ludunt, blandeque coniſcant.

Et a *Cicerone*; ſed in contemptum: *Caput opponis, cum eo coniſcans*, ut teſtatur *Quintilianus* Libr. VIII. Cap. III. vid. plura apud laudatiſſimum Bochartum l. c. Sed haec occaſione Cyrittorum in Tethenidiorum feſto.

Huic ſimile judicat Feſtum *Ablactationis* Hebraeis uſitatum, (cujus illuſtria duo in ſacris literis exempla habemus) ſedulitate celeberrimus *Stuckius Antiquit. Conviv.* cap. XVII. pag. 57. Edit. Belgic. Prima hujus feſtivitatis mentio Gen. 21. v. 8. ubi Abrahamus eo die, quo Iſaacus filius a lacte depulſus fuit, magnum convivium fecit; Tithenidiorum copidi analogum. Hanc Abrahami Γαλαχίας filii ſolennitatem, deliriis Rabbinicis inqui-

nat more ſolito R. Selomoh, qui tradit Saram, ut ſuppoſititii partus ſuſpicionem, quae vulgo increbuerat, amoliretur, omnibus convivarum infantibus, quos illi ſecum adduxerant, lac exhibuiſſe: atque hoc tam largo lactis fonte, qui omnibus potuit ſatisfacere, fidem feciſſe, ſe non ſuppoſititio, ſed vero partu gaudere. Cum vero in ſacris paginis altum hac de re ſilentium, videntur haec gerrae Hebraeae atque aedepol lirae lirae: Alterum exemplum eſt 1. Sam. i. ubi Hanna ſcribitur filium ſuum Samuelem, poſteaquam eum a lacte depulit, cum juvencis tribus, et modio uno farinae atque utre vini ad domum Jehovae in Silo adduxiſſe. Vbi Radak exiſtimat, ex tribus illis juvencis unum ſacrificio fuiſſe deſtinatum, reliquos vero duos epulo ſive copidi, quod ſacrificium conſecutum fuit. Sicut autem ex duobus illis locis conſtat, tempus ἀπολακτισμοῦ ſacrificiis conviviisque fuiſſe apud Hebraeos celebratum; non tamen inde inferendum mihi videtur, analogum nutricalibus ſive Tithenidiis Spartanorum exiſtere, a quo, uti ex hactenus allatis elucet, quoad omnia differt.

Gentilibus tamen *Ablactationis* ſacra epulasque in uſu fuiſſe, illis quoque notum, qui primoribus labellis ritus deguſtarunt antiquos; tunc enim *Eduſae Potinnaeque* ſacrificatum, deabus praeſidibus edulibus et potionibus infantum, ut *Nonius Marcellus de Propr. Serm.* cap. II. legere videtur: *Cum pro cibo et potione initiarent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſae et a potione Potinae nutrici.* Alii vero non *Eduſam*, ſed *Edulicam* deam hanc appellant, ut ſanctiſſimus Hipponenſium Antiſtes de *Civit Dei* Libr. IV. c. 2. *AElius* vero *Donatus in Terentiano Phormione*, *Edulicam* et *Poticam* has Deas vocavit: Eduliae et Poticae et Cubae, Divis edendi et potandi ac cubandi initiari pueros, ubi primum a lacte et a cunis transferunt. *Arnobius* tamen *Libr. III. contra gentes* has Deas *Victuam* et *Potuam* nominat; pro quibus vocibus Clariſſ. *Meurſius Critic. Arnob.* Libr. III. cap. V. *Vicam* et *Potam* ſubſtituere conatur. Veroſimile tamen eſt, ante ablactationis ritum his Deabus ſacrificatum jam fuiſſe a nutri-

tri-

tricibus: recens enim natis et priusquam lac ſuccreſceret, mel datum cum lacte utplurimum caprillo, e Vaſculo χυτριδίῳ per ſpongiam, ut annotavit Scholiaſtes Ariſtophanis in verba:

Δός μοι χυτρίδιον σπογγίῳ βεβυσμένον.

Reſpexit huc Ovidius in Faſtis Libr. 4.

- - - - in teneris aurea mella favis
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Sic Moſchion jubet, ut nutrix os infantis melle illinat. Ut ſilentio involvam Jovem et Beroen melle enutritum fuiſſe. Ablactationis ritum cum Tithenidiorum feſto hactenus deſcripto confundere videtur in Syntagm. *de Puerperio Veter. Erudıtiſſ. Bartholinus.*

Locus M. Fabii Quintiliani Inſtitut. Orat. Libr. X. cap. 1. *a Gebhardo in Crepund.* Libr. II. cap. 3. e MSS. Palat. correctus, carminum a Nutricibus infantum ablactationi adhibitorum, meminit: *Et Chryſippus etiam nutricum, quae adhibentur infantibus ablactatione* (legebatur prius: *allectationi et allectioni*) *ſuum quoddam carmen adſignat.* Sed quae illa ſunt *carmina*? nulla certe alia, quam cantare naenia lallosque, quibus cantilenis *Lallus* Deus praeerat; duplex quippe compeſcendi infantem ratio et ſopiendi: Mamma et Lallus ſive nutricum nenia, illa ὑπομάζιοι, hoc depulſi oblectantur, ac ſomno Deo obducuntur. Hos lallos neniaque D. *Magnus Auſonius* Epiſt. 16. ad Prob. vocat *nutricum lemmata*, quae *Vinetus* ad h. l. per fabellas et carmina interpretatur; ſic autem locus ſonat:

Hic iſte, qui natus tibi
Flos floſculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata
Lallique ſomniferos modos
Sueſcat peritis fabulis
Simul jocari et diſcere.

Ad

Ad *Nenia* quod attinet, maximus *Scaliger* annotatum reliquit, Italas Aquitanasque mammas ſeu nutrices, loco *lalla lalla*, dicere *nina nina*. Quod et Graecas factitaſſe indicio eſt *nenia*, quae inde vocabatur νύννιον. *Heſychius*: νύννιον ἐπὶ τοῖς παιδίοις καταβαυκαλεμένοις φασὶ λέγεσθαι, ὁμόις καὶ τὸ νύννιος. Ergo Lallus et νύννιος, et καταβαυκαλισμὸς idem. Somniferi hi modi ſive lalli dicebantur Graecis non tantum βαυκαλίζειν vel βαυκαλᾶν, ſed etiam, quod ad ſcopum noſtrum attinet, τιθηνεῖν. Claudat diſſertatiunculam noſtram toties jam laudatus Heſychius: βαυκαλᾶν, κατακοιμίζειν, τιθηνεῖν, παιδία μετ᾽ ᾠδῆς κοιμίζειν. Haec de Feſto Tithenidiorum plurimis incognito dicta ſunto. Plura de eo nobis promiſerat conſummatiſſima Eruditio Illuſtriſſimi CVPERI, qui opus de Feſtis meditatus eſt, omni digniſſimum immortalitate. Sed ſpes hominum fallaciſſimas! haec enim dum calamus exarat, triſtiſſimum ejus obitum, et e mortalitatis hujus carceribus abitum, nuntiat fama. Maximum certe juſtiſſimumque dolorem hinc habet Reſpublica literaria, quae Viro in ſumma conſtituto dignitate extra omnem tamen controverſiam Erudițiſſimo privata, jacturam patitur boni vere ingentis, imo irreparabilis. Speraveram levidenſibus meis de feſto obſcuritati involuto acceſſurum majorem nitorem, ex hujus Eruditionis abyſſo, promovente maximo beatiſſimoque *Leibniizio*, qui ſummi *Cuperi* favorem conciliare conſtituerat: ſed binis hiſce pro dolor! intra breve temporis ſpatium literato orbi ereptis columinibus luminibusque, minus expolitas has ſchedas praeli carceribus committere coactus ſum, doctioris benevolique Lectoris aequitate, quod tenuitati meae non licuit, ſupplendas.

EPISTOLI-

18

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI

ARCHIATR. CAESAR.

SCHEDIASMA

DE

PHTHIRIASI CORDIS

PLINII VALERIANI.

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM

DN. D. IOSEPHVM LANZONVM

PROTO - MEDICVM ET PROFESSOREM FERRARIENSEM.

[1719]

58700 (8)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE



OTio literato ex praxeos taediis, Muſisque meis Humelſteinenſibus aliquantisper vacantem, adiit amicorum par ingenio et moribus chariſſimum, partim ut praeſentes praeſenti ſalutem dicerent, partim ut loci genio perquam amoeno tantiſper mecum fruerentur.

Invenerunt adhuc in menſa frugalis prandioli reliquias, interque has raphani ſive potius radicis vel radiculae Columellae portiunculas ſale conſperſas, ori gratius quam naribus obſonium. Hiſcine dapibus, amicorum alter inquit, prandium claudis an incipis? priſcis enim temporibus, cum pane ante cibum urbani homines illo veſcebantur, Galeno Pergameno teſte, alvi ſubducendi gratia: Dioſcorides autem credidit, a cibo aſſumtum concoctioni conferre; praeſumptum vero, cibum in ſtomacho ſuſpendere, quod a Galeno tamen refellitur. In quam

Graecorum Medicorum litem digitum intendit Joh. Bapt. Fiera Mantuanus in Coena, niſi memoria me fallit, haec canens:

Hinc eat aut raphanus poſtremo accumbat in orbe,
Menſa magis ſapida ſi ſit onuſta dape.

Et poſt illum Khuenius in Zodiac. Medicinae:

- - - - - - ſumenda peracto
Illa cibo eſt, ut eam melius per membra, per artus
diſtribuat; praeſumta cibum ſuſpendit et angit.

Regeſſit ad haec alter: Sepoſita omni hac veterum Medicorum de raphani comedendi tempore controverſia, ſemper miſſum faciendum reputo, tanquam cibum illiberalem, ſtomacho gravem, cruditatis nutritium, flatuum genitorem fertiliſſimum. In ſubſidium voco, quem modo laudaſti Fieram:

In caput et dentes, limoſaque igne in ocellos
ſaevit, et hinc ſtomachus nauſeat aſſidue.

Peſtis eſt inſuper narium ſpirans mephitim, ut in veriverbium abierit. Sic enim Diodorus Synopenſis foedam paraſitorum adulationem taxans locutus eſt:

- - Οἷς ἐπειδὴ προσερύγοι
Ῥαφανίδα, καὶ σαπρὸν σίλουρον καταφαγών,
Ἴα καὶ Ῥόδ᾽ ἔφασαν αὐτὴν ἠρισικέναι.

Quibus in faciem ſi quis ructet, radicula, (ſive raphano) *vorata, aut ſiluro putri, violam ipſam vel roſam dicent pranſum eſſe,* quibus teterrimum hujus edulii odorem Poëta ſuggillat. Vt taceam infamem illam τοῦ ῥαφανισμοῦ poenam, turpibus cinoedis et adulteris decretam, ob vim raphani aphrodiſiacam. Et cum hinc inde adhuc plura, ut inter amicos fieri ſolet, diſputaſſent, meam tandem ambo ſententiam expoſcunt.

Tum ego in raphani effuſus laudes, tanto apud antiquos honore fuiſſe affirmo, ut Moſchion, Graecus Auctor, integrum *de raphano* volumen ſcripſiſſe dicatur; qui Moſchion, an idem ſit, cujus ſcriptum *inter Gynaeciorum ſcriptores* a Spachio relatum, vel ille, qui *de Hierocſis Syracuſii nave* apud Athenaeum ſcripſit, ſub judice lis eſt. Nec capio, cur vir quidam eruditiſſimus, contra omnem codicum lectionem, Marcionem Smyrnaeum, qui *de ſimplicium effectibus* ſcripta reliquit, ſubſtituat. Dicebatur veteribus Medicis ῥαφανὶς, quod ex Dioſcoride, Theophraſto et Galeno patet; poſteriores raphanon vocarunt. Attici braſſicam pariter ῥάφανον nominarunt; unde Plinio erroris creberrima anſa; quippe qui variis in locis raphanum cum braſſica confudit, illi tribuens, quae veteres de braſſica credidere. Quod vice verſa ab aliis factum, qui ad raphanum pertinentia braſſicae vendicarunt.

Contra fungorum et boletorum venenum aſſumtum, ſalutarem raphani uſum commendat

- - - *fungi cui cura Nicander*

in Alexipharmacis, cujus haec ſunt verba:

Ἀλλὰ ἢ ῥαφάνοιο πόροις σπειρώδεα κόρσην
Ἤ ῥυτῆς κλώθοντα περὶ σπάδικα κολούσας.

Quae Anonymus ſic vertit:

Tu contra raphani ſinuoſum corpus, et acris
Concede exciſum rutae de ceſpite ramum.

Ad quem locum Scholiaſtes pro ῥαφάνῳ, braſſicam accipiendam eſſe notat: δίδου τὸν καυλὸν, ἤτοι τὴν κεφαλὴν τῆς κράμβης, τουτέστι τὸν ἀσφάραγον. ἐπειδὴ ῥαφάνας τὴν κράμβην φησίν. Εὔχρηστον γὰρ πρὸς ἀντιπάθειαν. *Exhibe caulem, ſeu cymam, i. e. turionem braſſicae. Quippe raphanum braſſicam dicunt: utilis enim ex antipathia.* Fallitur tamen et fallit bonus vir, et dum nimium Atticus videri vult, in errorem non levem impingere videtur Clar. Avantio Not. in Fierae Coenam p. 146. id quod pluribus probat, oſtendens, pro-

 prium

prium et ſpecificum fungorum antidotum non braſſicam, ſed raphanum revera eſſe. Dioſcorides τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις, *iis qui a fungis ſtrangulantur*, auxiliari ſcribit. Galenus quoque adverſus malos fungos ῥαφάνους ὠμὰς, *radices crudas*, copioſe dari jubet. Vt Celſum omittamus L. 5. c. 17. Scrib. Largum cap. 198. Avicennam libr. 4. Fen. 6. Tract. 1. cap. 10. aliosque plurimos, qui in dictorum confirmationem adduci poſſent. Caeterum et hic meminiſſe juvabit ῥαφανιδον κάταγμα, ſive facturam *raphani modo factam*, quae fit oblique ſecundum craſſitiem oſſis tantum, quam Paulus a patria Aegineta dictus alicubi deſcribit.

Ex Androcydis mente contra ebrietatem praeſumptus, optimus ejus evadit averruncus. Et quod omnia hactenus dicta ſuperat, in templo Apollinis Delphico adeo caeteris cibis praelatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum e plumbo, ut Auctor eſt *Plinius libr. XIX. cap. V.* Et ſequiori pariter ſexui, venuſtatis et elegantiae ſemper ſtudioſiſſimo, gratiſſimus raphanus non equidem ob odorem, quo caſtoreum, aſam foetidam, aliaque virulenta, foeminis tamen grata vincit effluvia, ſed quod ex divini Coi noſtri effato *libr. 2. de morb. mulier.* capillorum defluxum cohibeat: Et Poëta huic raphanum amicum eſſe canit, quae

- - - *amat aeternas foemina pulcra comas.*

Hiſtoriae naturalis promus condus modo a nobis laudatus, ab Aegypti regibus edoctus, *Phthiriaſin cordis* hoc raphani remedio abigi poſſe ſcribit.

Repoſuit amicus, quale nobis producis incognitum hucusque morbi monſtrum: nec enim hoc de malo audivi unquam, nil apud Plinium legi, ac praecipui clinicorum hujus dememinere morbi, nec pediculi cordis a quoquam, niſi forte per ſomniorum deliria, obſervati. Forte eodem ſenſu dicitur *phthiriaſis cordis*, quo *ſcabiem cordis* appellavit prudentiſſimus Prudentius Periſteph. Hymn. 2.

Quisquis tacendi intemperans
ſilenda prurit pandere,

vexa-

vexatur et ſcalpit jecur
ſcabiemque cordis ſuſtinet.

Quae verba poſt plures vanas conjecturas interpretatur Veſontinus Archiater in *Daedalmat.* de illis, qui tacere nequeunt, ſed veluti pruriunt, ut ſilenda prodant, hocque ipſo ſimiles mala ſcabie laborantibus, qui vix ſe continere poſſunt, quin univerſum corpus ſcalpant.

Cui tum ego per jocum, nonne reperta hominum corda ſuperficietenus pilorum foetura obvelata, quale in Ariſtomene Meſſenio obſervatum teſtatur Plin. libr. XI. cap. 37. et Val. Maximus libr. VIII. qui cor ejus hirtum ab Athenienſibus viventi adhuc exſectum tradit, quod ab Lacedaemoniis factum fuiſſe Pauſan. in Meſſen. Stephanus Byzantinus verbo Ἀνδανία ex Herodoto, Plutarcho et Rhiano unanimi conſenſu pronuntiant. Firmat hoc in Hermogene Graeco Cael. Rhodigin. libr. IV. cap. 16. Hirſuta veterum corda ſtabiliunt noſtris ſeculis propiora exempla. In latronibus inſignibus ſe vidiſſe teſtatur Anton. Muret. Var. Lect. libr XII. cap X. Beniven. de abd. rer. cauſſ. 83. Amat. Cent. VI. c. 65. Bonet. Sepulchret. lib. II. ſect. VIII. obſerv. 37. et tandem Ephem. N. C. Dec. III. Ann. V. et VI. p. 251. Quis abſurdum quid protulerit, ſi pediculos pariter in hac piloſa cordis ſylva nidulari crediderit? Cum ex riſu jocum judicarent, quomodo revera ſe res cum phthiriaſi cordis habeat, urgent ſenſaque animi expoſcunt. Ajo igitur, quid revera de morbo hoc paucis cognito, ſentiam, plane quae de illo nota mihi et notata aperiam. Si vos capiat veterum Medicorum, qui morborum condiderunt Hiſtorias, auctoritas, Plinium vobis produco Valerianum dictum, Empiricum Marcello adhuc vetuſtiorem, quippe a quo inter Medicos antiquos recenſitus. Comenſem alii faciunt, quos inter Fumanellus libr. de Morb. in urin. viis: alii familiae illuſtriſſimae Pliniorum Caeciliorum in Veronenſi et Novo-Comenſi agro vendicant: alii Gallum credidere, aliam alii tribuere patriam. Doctiſſimus Medicorum Reineſius credit, nil quicquam prohibere, ſi Inſcriptio Gruteriana huic tribuatur:

 D. M. C.

D. M. C.
PLINII VALERIANI
MEDICI
QVI VIXIT ANN. XXII.
M. VI. D. V. PARENTES.

Operis ab ipſo conſcripti titulus eſt: *de re medica lib. V.* ſeu ut alii legunt: Ευποριστῶν ſive *facile parabilium medicamentorum opus.* Ejus de Febribus liber, qui collectioni Venetae de febribus inſertus, e pentateucho volumine eſt excerptus. Nimis in hunc ſcriptorem iniquus Mercurialis *de art. Gymnaſt.* qui futilem et barbarum ſcriptorem Plinii nomine ſuperbire indignatur; adverſus quem Valeriani cauſam egit Nobiliſſimus Barthius Adverſ. p. 283. et Reineſius Var. Lect. libr. II. cap. VIII. qui multa in illis libris imputata eſſe ait, quae ſuorum ſeculorum ſtribliginem ornatiſſimae et caſtigatae ſatis latinitatis ſcriptori adfricuerint, et interpolatores ex Arabum medicina et linguis popularibus plurima huic Auctori, ejectis interdum melioribus, infarſiſſe putat.

Ethnicum hunc Auctorem profitenti Barthio, contradixit primo Reineſius: mox tamen mutata ſententia, cum nec vola nec veſtigium χριστιανισμȣ̃ in toto opere extet, ſuperſtitioſorum autem plurima, Barthii opinioni pariter acceſſit, quod etiam probat Leydenſis Academiae doctiſſimus quondam Praeco le Moine in erudit. diſſ. *Jehova Juſtitia noſtra.* p. 47.

Neque hoc diffitendum, Plinii Majoris libros, Valerianum ſtrenue exſcripſiſſe; unde nomen forſan ſortitus, et eo magis plagiarii titulum (inter quos optimo jure ab Excellentiſſ. Fabricio in Decad. Decad. Plag. refertur) mereri videtur, quod cum non paucos a Plinio majore indicatos Auctores alleget, ejus tamen tanquam fontis, ex quo hauſerat, plane dememinerit, nec verbulo unquam mentionem ejus fecerit. Aliquid tamen utilitatis in Majorem Plinium, ex hoc minoris ſive Valeriani plagio redundare,

dare, ex hac ipſa cordis phthiriaſi probabimus; exhibito prius loco ipſo ex ejus libr. IV. de re medic. c. I. Edition. Colon.

Nam de raphani virtutibus diſputans: *Contra phthiriaſin*, inquit, *ſuccus ejus adhibetur, qui ſolus poteſt tenuitate ſubtili ad imi corporis liniamenta cor penetrare. Aegyptii enim reges, quibus erat ſtudium, ſcrutari corpora mortuorum, et cauſas valetudinum, occulta fide recognoſcere, in corde ipſo naſci ejusmodi vitium prodiderunt.*

Jungimus huic Plinii Majoris textum libr. XIX. Hiſtor. natur. ſect. XXVI. p. 588. Edit. Harduin. *Tradunt et praecordiis neceſſarium hunc* (nempe raphani) *ſuccum, quando phthiſin cordi intus inhaerentem, non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Aegypto, regibus corda mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus.* Patet inde in omnibus editis Plinii libris legi *phthiſin cordis*, hoc eſt, ut Harduinus pariter interpretabatur, *tabem*, quippe qui morbus huic loco aptius congruere videretur. Tandem ingenue fateri coactus eſt erudítiſſimus Plinii Editor, ultra citatum a nobis Plinii Valeriani locum in MSt. Reg. I. *tiriaſin*, in Reg. MSct. 2. *phthiriaſin* diſerte legi, ut de vera reſtitutione loci, ope plagiarii non ſit ulterius dubitandum.

Maximus ſcrupulus haeret circa cordis pediculos, nulla ſcriptorum auctoritate firmatos, nuſpiam unquam repertos, ac deſcriptos. Sed ſciendum, turpiſſimum illum affectum, quem Φθειρίασιν Graeci appellant, quantum, teſte incomparabili *Welſchio de Ven. Medinenſ. cap.* 2. ex hiſtoriis colligitur, videri duplicem. Vnus quidem, ſi magna pediculorum copia in corpore vel ejus parte aliqua prognata, et cutem depaſcitur et carnem. Alter, ſi animalcula inuſitatae formae, et vermibus proprie dictis ſimillima, aut etiam veri vermes in corpore generantur, qui affectus in genere *phthiriaſis*, ſi totum corpus occupet, pariter vocatur, vel ſi tantum in ejus parte aliqua propullulent; e. gr. in corde, tunc *Cordis* dicitur *phthiriaſis.* Quippe φθεῖρες non ſolum pediculos, ſed et alia denotant reptilia et animalcula; et φθεὶρ pro θὴρ apud Euſtathium. Hinc Pherecydis

mor-

morbus, quem phthiriaſi periiſſe plurimi volunt, ab *Aeliano var. Hiſtor. libr. V. cap.* 2. per vocem θηριώδη *ſudorem beluinum* exprimitur, cum potius vertendum eſſet, *vermiculoſum* ſive *vermibus ſcatentem*. Sic in Strabonis de Acridophagis loco Geogr. libr. XVI. ἀπὸ θηριουμένης αὐτῶν τῆς σαρκὸς, a Xylandro aliisque vertitur: *eorum carne in ferina mutata*: rectius vertit Cl. Welſchius: *carne ipſorum in vermiculos ſive animalcula mutata.* Nec aliud quid ἀποθηρίωσις Acridophagorum apud Diodor. Sicul. L. III. c. 3. Θήρια enim apud Hippocratem non uno in loco vermes ſive interaneorum animalcula ſignificant. Et Dioſcorides libr. III. 163. Λεπτὰ θήρια vocat inſecta, Sarracenus vertit, *minutas beſtiolas*, et jam ante illum Janus Cornarius. Ad haec reſpiciens Plinius libr. VII. 52. Edit. Harduin. p. 84. ſtatuit: *Morborum tam infinita eſt multitudo, ut Pherecydes Syrius copia ſerpentum e corpore ejus erumpente exſpiraverit.* Conſentit Apulejus Florid. XV. *Eum Pythagoras magiſtrum coluit, et infandi morbi putredine in ſerpentium ſcabiem ſolutum religioſe humavit.* Serenus Sammonicus ſerpentes hos Pherecydis *animalia tetra* vocat:

Sed quis non paveat Pherecydis facta Tragoedi,
Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quae morte tulerunt.

Vel ut eundem morbum in Monarcha, cujus nomini parco, per *vermiculorum gregem* expreſſit feſtiviſſimus Belgarum Poëta:

Occidit a foeto roſus grege vermiculorum,
Carnificesque ſuos miſerando corpore pavit.

Dalechampius ut Plinium cum reliquis Graecis ſcriptoribus, qui Pherecydem phthiriaſi periiſſe ſcripſerant, conciliet, non vulgares pediculos, ſed ignotum genus latius, quos pediculos communiter ferales eſſe vult, et ex Graeca vocula ἑρπετὰ Plinii ſerpentes detortos eſſe; et quidem videntur ipſi hoc pediculo-

culorum genus, ab Ariſtotele jam deſcriptum *Hiſt. Animal. libr. V. cap.* 31. ἔστι γένος φθειρῶν, οἱ καλοῦνται ἄγριοι καὶ σκληρότεροι τῶν ἐν τοῖς πολλοῖς γιγνομένων. εἰσὶ δὲ οὗτοι δυσαφαίρετοι ἀπὸ τοῦ σώματος. *In pediculorum genere ſunt, qui vocantur feri; vulgaribus duriores, quique difficilius e corpore eximuntur.* Caelius Aurelianus, qui ſolus e methodicorum ſecta nobis ſupereſt, *Chronic. morb. libr. IV. cap. II. p.* 497. Edit. noviſſ. *naſci credit pediculos in partibus, quae capillatura conceptae ſunt* (Clar. Ammann. in margine legit *coopertae*, ſed in Edit. Lugdunenſ. quam poſſideo, vir quidam doctus, neſcio, utrum e MSt. an ex ingenio, adſcripſit, *conſeptae*) *ac nunc* conſueti *atque ſimplicis formae, nunc* ignoti, *hoc eſt, latioris, et duri magis, ac ſaevientes morſibus vehementer, quos quidem ferales appellant.* Tormentorum genus Aegyptiis ab Omnipotente immiſſum, hos pediculos extitiſſe reor. Si enim pediculorum nomen כנים *Cinnim*, a firmitate et ſtabilitate deſumptum eſt, (כון *Cun* quippe in Niphal נכון *nacon, ſtabile* et *firmum* eſſe ſignificat) כנים *cinnim*, ſtabile et firmum animalculum, et ut modo ex Stagyrita didicimus, δυσαφαίρετον ἀπὸ τῦ σώματος, *quod a corpore non facile eximitur*, denotat. Hoc autem in pediculos vulgares capitis non quadrat. Proinde pediculi hi ferales vocantur Arabice *filiae durouz*, id eſt, *ſuturarum* aut *commiſſurarum*, propterea quod firmiſſime adhaereant corpori per ſuturas et commiſſuras conjuncti, ſic ſentiente incomparabili Bocharto. Vt veroſimile plane ſit, Aegyptios potius feralibus quam vulgaribus infeſtatos, inconſueto quippe malo. Plinius, quem jam citavimus, Valerianus, hoc pediculorum genus, quod ſint latiores et ricinis ſimiliores *feſſas ovium* vocavit; quas per abbreviationem vocis *ferales* factas eſſe credidit doctiſſimus Barthius, illuſtris non minus literis quam proſapia; notatus hinc ab eruditiſſimo Reineſio, qui ex Arabico *Feſſeſis*, quod apud Avicennam l. 2. Canon. tetr. 2. c. 277. *cimicem* ſignificat, detortum eſſe vult, ut lingua Latino-Barbarorum ejusmodi hybridis abundat. Fortaſſe fuit apud La-

tinos nulla propria inſecti hujus appellatio; κροτῶνας igitur ovibus innaſcentes ob ſimilitudinem vocavit inguinalium pediculorum genus. Diverſa apud varias nationes obtinuit nomina. *Piatolae* ſive *platulae* apud Valeſc. de Tarant. libr. 16. cap. 36. Arabes vocant *Zeccam*, et cimicem uno nomine vocant *alcorad*, quod forte a Graeco Κόρις, *cimex*, corruptum. *Zecca* ſecundum Italorum acutiſſimum Etymologum, a *ſugendo* quaſi *ſugica*, *zicca*, *zecca*. *Ferrar. Origin. L. Ital. p.* 318. Magnus Scaliger per jocum quaſi *caecam* vocat, Exercit. CXCIV. ad Cardan. Nobiliſſ. *Menagius nell' Origini della Lingua Italiana*, quod mireris, a *ricino* deducit, *ricinius*, *cinius*, *cinicus*, *cicus*, *ciccus*, *ceccus*. Vel a voce τζιβίκιον, quo vetus in Homeri Odyſſ. Scholiaſtes utitur. Melius *platolae* vel *piatolae* nomen, quo Itali illud inſectum indigitant, a *blatta*, *blattola* deducit, quod tamen Ferrario diſplicet. Vaſcones *pezzoladas* vocant, Galli *morbions*, quo nomine deſcripſit Illuſtr. Tulpius Obſerv. L.IV. Germani, Filtzläuſe oder Blattläuſe. Deſcriptionem per microſcopium nobis dedit ſumme induſtrius Redi Fig. XLII. Nec in inguine tantum nidulatur hoc pediculorum genus, ſed in omnibus illis partibus, quae capillatura conſeptae. Sic *palpebrarum phthiriaſin* Galenus inter ſpecies ſcabiei recenſet: φθειρίασίς ἐςι περὶ τὰς ῥίζας τῶν βλεφαρίδων ψώρα, λεπίδας πιτυρώδεις ἀποβάλλουσα. *Phthiriaſis palpebrarum eſt ſcabies, quae ciliorum radices obſidet.* Galen. in defin. medic. Conf. Actuar. L. 2. περὶ διαγν. παθ. c. 7.

Alia quoque inſecta φθειρῶν nomine veniunt, plane a pediculis diverſa. Curculio in Gloſſ. Cyrill. vocatur φθεὶρ σίτου. Sic φθεὶρ θαλάσσιος dicitur ſcarabaeo terreſtri ſimilis vermis, plane a pediculo abludens; non ſecus ac apud Latinos ſcarabaeus, qui et taurus, *pediculus terrae* vocatur. Ita Diodorus Siculus libr. III. Acridophagorum morbum deſcribens, nunc ἑρπετὰ, nunc φθεῖρες appellat. Sic φθεῖρες pariter dicuntur τὰ τῶν πιτύων ἐξανθήματα, *picearum tubercula*, a ſimilitudine, quam ſibi quidam cum pediculis imaginati ſunt, unde Euſtathius Iliad. β. φθειρῶν,

ſcri-

ſcribit, ὄρος Καρίας περὶ Μίλητον, πολλὰς ἔχων πίτυς, ὧν τὰ ἐξανθήματα ἔτω καλεῖται ὡς ὅμοια Φθειρσὶν. οἱ δὲ δίρκοι λέγονται, ὡς δηλοῖ Παυσανίας ἐν τῷ κατ' αὐτὸ Λεξικῷ εἰπών. Δίρκοι οἱ Φθεῖρες. *Phthiron mons Cariae circa Miletum, multas pinus habens, unde quae effloreſcunt ſic appellantur, quia ſunt pediculis ſimilia; qui etiam dirci dicuntur, ut* in Lexico *ſuo dicit* Pauſanias. Vermes ſunt vites depaſcentes, ſi Cteſiae credimus, qui ad Hyparchi fluvii fontes animalcula deſcribit, quae arbores electriferas depaſcunt et corrumpunt; ὥσπερ ἐν τοῖς Ἕλλησι οἱ φθεῖρες τοὺς ἀμπέλες, *ut pediculi in Graecia vites.* Quis vermes hos pediculis ſimiles pronunciet, niſi Arabicam Bibliorum verſionem in ſubſidium vocare velit, ubi Pſal. 77. v. 51. (Hebraeis 78. 46.) legitur: *Cibavit pediculum fructibus eorum*; cum Hebraea habeat: *et dedit brucho proventum eorum.* Syrus *locuſtas* ſubſtituit. Itaque judicat maximus Bochartus, Arabicum *Alkamla,* pediculum, mutandum in *Alkamſa,* locuſtam. Et ſic patet φθειρῶν nomine venire pariter locuſtas aliosque terrae fructus depaſcentes vermes, qualia quoque animalcula viridia exiguo admodum corpore, pedibus ſex inſtructa, et in capite binis antennis, quae e rubigine produci ruſticorum vulgus credit. Sed et *pediculi roſarum,* quos acutiſſimi viſus Leevvenhoekius in roſis deprehendit, coloris praſini, alis tripliciter complicatis inſtructos, potius ad vites depaſcentes vermes, quam ad pediculos referendi. Vid. ejus Contin. Arcan. Epiſt. 94. p. 9. ſeqq. Σκώληκας et φθεῖρας pariter promiſcue dicunt Auctores. Sic 2. *Maccab. cap. 9. v. 9.* Antiochus Epiphanes, et *Actor.* XII. v. 23. Herodes Agrippa, foedis hiſce animalculis exeſi σκωληκόβρωτοι dicuntur, quos pediculari morbo ſive φθειρίασι, periiſſe fere omnes credunt. Stupendae orientalium linguarum eruditionis abyſſus, Bochartus Hierozoic. P. II. Lib. IV. c. 19. equidem non ſine magno errore eorum morbos ad phthiriaſin referri credit, cum potius a veris vermibus eroſos velit. Sed nec pediculi e vermium numero eximi queunt, quippe *Iſidoro Orig. libr. XII. cap. 7. pediculi, vermes cutis, a pedibus ſic dicti,* Hactenus

 allata

allata permoverunt doctiſſ. Kuhn. Not. in Aelian. Var. Hiſtor. ut σκωληκόβρωτος tantundem ipſi valeat, ac apud Heſychium in Vit. Philoſoph. φθειρόβρωτος. Et verbum φθείρω, a quo φθεὶρ deſcendit, indigitat omne illud vermiculorum et animalculorum genus, quod ex corruptione ſive putredine et generatione ſpontanea, absque praevio ſeminio, provenire credidit cana antiquitas.

Imo putredinem et cordis corruptionem ipſam a verbo φθείρω vel φθέρω dici poſſe, me perſuadet interpretatio loci Jerem. 43. v. 12. ex mente maximi Bocharti. Verſio Graeca legit: φθειριεῖ γῆν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. *Excutiet pediculos terrae Aegypti, ut paſtor excutit pediculos veſtis ſuae.* Neque enim ſatisfaciunt haec Theodoreti: ut doceret, non perfunctorie bellum in Aegyptum geſturum, ſed illam exacte deleturum, ἀπεικάζει αὐτὸν ποιμένι τοὺς φθεῖρας συλλέγοντι, *eum cum paſtore confert, qui pediculos ſuos colligit:* nempe id accurate faciunt paſtores, quia otio maxime abundant. Haec, inquam, non ſatisfaciunt, quia in Hebraeo textu nihil ſimile habetur. Nec Prophetam veriſimile eſt, egregium bellatorem cum paſtore comparaſſe, qui pediculos ſuos eximit. Verum enimvero probat laudatiſſimus Bochartus latius, Graecos non ſcripſiſſe φθειριεῖ et φθειρίζει, ſed φθειρεῖ et φθερεῖ. ut ſenſus ſit, fore, ut Aegyptum deſtruat Nebucadnezar, quomodo paſtor deterit veſtem ſuam. Sic cordis corruptio et putredo a verbo φθέρω pariter *cordis phthiriaſis* hoc ſenſu dici poſſet. Tales autem cordis putredines et corruptiones per abſceſſus et ulcera dari, exemplis confirmat diligentiſſimus Sachſius in Ocean. macro- microcoſm. pag. 32. Sed prius ex probatis Auctoribus probandum firmandumque eſſet, phthiriaſeos vocabulo ipſam putredinem deſignari, quod nondum factum.

Demonſtravi hactenus, uti ſpero, ſatis, partem corporis vermibus quibuscunque afflictam indeque morboſam, phthiriaſi affectam absque medicorum ſcandalo dici poſſe. Nunc probandum mihi ulterius incumbit, an phthiriaſis cordis, ſive cor

vermi-

verminoſum detur ? Maxima equidem Obſervationum caterva id probare ſatagunt, modo omnes αὐτοψίᾳ debita, firmaque munitae eſſent veritate. Multae enim inter illas plane fabuloſae, plures fugitivis oculis obſervatae, ideoque fallaces, in plurimis illa ἀκρίβεια deeſt, quam hodiernum ſeculum in obſervationibus requirit, ut cor verminoſum inter pura puta mendacia retulerit Lucianus Germanorum, **Georg Rollenhagen in ſeinen warhafftigen Lügen** / c. 14. p. 198.

Teſte Ruffo Epheſio lib. I. c. 33. δρακοντίδας ſive vermiculos in corde notavit divinus ſenex noſter, Hippocrates; ſed per ſimilitudinem, et, uti in ſcholis loqui amant, improprie hoc nomine deſignavit et comparavit venas, e corde ilico naſcentes, non aliam ob cauſam, quam quatergeminam reflexionem et implicationem aortae utriusque cum vena arterioſa, et arteria venoſa, teſte doctiſſ. Welſch. *de Ven. M.* p. 82. Ebn Maſvia Damaſcenus, vulgo *Meſue* dictus, de cordis vermibus mortem inferentibus meminit: ſed iſtorum temporum nimia credulitas, neglectumque Anatomiae practicae ſtudium ſive cadaverum rara inſpectio, dubias reddit ab Arabibus notatas hiſtorias; hinc propius ad tempora noſtra accedendum.

Plurimas vermium cordis obſervationes congeſſit χαλκέντερος Paullinus *in Append. Dec. II. Ann. VI. Ephem. Nat. Curioſ.* inter alia narrans: Luchteringae ad Viſurgim praepinguem prius ſuem, motibus convulſivis ſubinde emaciatam, cum mactaretur, in corde exhibuiſſe nidum vermium alatorum inibi ſtabulantium, qui totam cordis ſubſtantiam exederunt. Nolo ſtructuram horum vermiculorum latius deſcribere: vereor enim, ne relegentur ad Palaephatum περὶ Ἀπίστων et Agatarchidis apud Photium Patriarcham pediculos Acridophagorum alatos, magno cum pruritu et acerbiſſimo dolore e corpore erumpentes. Ad ſimilem ἱστορίαν ἐψευσμένην pertinet pariter vermis ille alatus in corpore pueri Confluentiae repertus, cujus Cl. Horſtius meminit *in Manuductione ad Medicin.* et vermis e Schenkio *in Obſerv.*

et Cl. Boneto *in Sepulchret. P. I. libr. II. Sect. VIII. Obſerv.* XXV. pag. 652. memoratus, albus nempe praeacuto roſtello, eoque corneo praeditus, Principis cujusdam cordi adhaereſcens. Ejusdem farinae cor bovinum, Glukſtadii recens extractum, cui utrimque firmiter adhaerebant bini ſcarabaci cornuti, viſcere non amplius integro. Sic Antigoni παραδόξαις ἱστορίαις illud quoque accenſendum, quod publicae relationes Ann. 1676. d. 31. Decembr. nunciarunt, nempe e Principis cujusdam Galli corde prorepſiſſe ſerpentem, et adhuc in eodem viſcere multos alios vermes repertos eſſe.

Londini pariter A. 1637. Edoardus May in Johannis Penant cordis laevo ſinu anguem bifidum flagelloſum obſervavit, qui et depictus et deſcriptus a M. Aurel. Severin. *de rar. Abſceſſ. libr. IV. p.* 281. quin et eundem anguem bifidum Britannica lingua deſcripſit memoratus Edoardus May, latine vero Riccardus London Londinenſis; ejusque pariter meminit Petrus Servius Pontif. Summ. Vrban. VIII. Archiatorum Comes, in Tr. *de Nat. artisque miraculis* p. 534. Omnia haec recenſente Excell. Sachſio *in Ocean. macro-microcoſm.* p. 38.

Abſit, ut his viris medica in arte omni exceptione majoribus, contradicam, ut potius hanc hiſtoriam θαυμασίαις adſcribam, vel cum eruditiſſimo Clerico in exaſciatiſſima *de lumbricorum latorum hiſtoria* cap. XIII. Polypos cordis nunc magis ac olim Medicorum choro notos fuiſſe, firmiter mihi perſuadeam; praecipue cum non minima polyporum cordis ſit differentia, et alii congrumatum ſanguinem, alii carnoſum, et membranaceum corpus, alii et vero utplurimum referant adipem, figurarumque inde conſiſtentiaeque conformitate differant, vermiformesque concretiones mentiantur. Forte illi vermes, quorum Obſervatio XIII. Decur. I. Ann. X. meminit, coloris albi, mortui tamen in ventriculis cordis obvii concreti adipis, polypoſi vermes etiam extitere. Vt hac ratione, improprie licet, polypus *phthiriaſis cordis* dici queat.

Plurimae igitur cum vermium cordis hiſtoriae ſint revera ſuſpectae; nolim tamen omnem omnibus denegare fidem, quippe ve-

pe veritati et oculis meis contradicerem, accuratiorique, quae omne dubium excludit, inſpectioni, huicque anſam dedit, longiori, quam par eſt, de Phthiriaſi cordis disquiſitioni:

Anno ſeculi hujus currentis ſeptimo vocabar in ſuburbium *Goſtenhof*, ad filiolam tredecim annorum, elegantioris formae. Corripiebatur haec tremore et palpitatione cordis in ſenſus incurrente. Sudor profluebat frigidus, eoque nimium ingruente, ex cordis tenſione nimia, mox Lipothymiae, motibus convulſivis ſtipatae eam infeſtabant; erratica ſemper febris, inſtantis paroxyſmi praenuntia, comite roſione circa praecordia intenſiſſima, pulſus remiſſio et intermiſſio. Hariolabar ſtatim vermes tragoediae hujus auctores, nidumque eorum quidem in recondito, minime tamen in corde, tam ſancte ſub umbone naturae cuſtodito, credebam. Fruſtra exhibitis medicamentis omnibus, debitis indicationibus ſatisfacientibus, ſelectiſſimisque ſemper immixtis anthelminticis, in pejus omnia ruunt. Solatium exinde nullum, paroxyſmi potius exacerbatio ſymptomatumque exaltatio. Ingruit pedetentim tabes, forma perit, vires labaſcunt, febris exaſperatur, deſperata omnia, denique nil niſi mortis imago

- - - - tetra cor occupat umbra;
Excutitur primum miſera, atque horrore rigeſcit
Spiritus: hinc ſubito langueſcens opprimitur cor,
ipſaque mors

poſt bimeſtres cruciatus tandem ingruit. Aperto, renitentibus primo parentibus, quod ut plurimum apud nos fieri ſolet, pectore, cordisque penetralibus nudatis, inſpectoque ejus domicilio, quaerimus diri morbi auctores, et in ſiniſtro cordis ventriculo invenimus vermiculorum nidum, tenuiorum, rubicundulorum, mire ſe moventium reptantiumque, haud equidem abſimilium illis, ſi colorem exceperis, quos in cordis ciconiae ventriculo in Academia Julia a D. I. Kelnero obſervatos, ſcribit Paullini loco jam cit. Quis hunc affectum cordis phthiriaſin fuiſſe neget? Plures autem caſus ſimiles dari et cauſas, frequentior Anatomiae practicae uſus et crebrior cadaverum inſpectio evincet.

Poſi-

Poſita ſic extra omnem dubitationis aleam hypotheſi, vermium in corde nidulantem gregem phthiriaſin producere cordis, rationem nunc ſuppeditat, quem modo laudavimus, Excell. Clericus Tract. de *lator. Lumbricorum Hiſtoria* c. XIII. Si cujuscunque generis vermes, aut vermium ſemina in ſanorum ſanguine contineantur, (id quod ex vermibus in venis vaſisque ſanguineis repertis patet;) facillime quoque hac ratione intelligere poterimus, cur in corde ipſo, in cerebro, aliisque omnibus corporis partibus, hujusmodi inſecta inveniri potuerint, quandoquidem nulla non corporis pars ſanguine alluatur, ac proinde vermes cum ſanguine advectos eorumque ova recipere interdum poſſit. Verum vermes iſtos omnes re ipſa exiſtere, exemplis factisque, quorum veritas per ſe pateat, prius demonſtret aliquis, eorumque formam accuratius, quam adhuc factum eſt, tradat, ut rem eſſe certi ſimus, antequam, cur ita ſit, disquiramus. Aurea certe viri prudentiſſimi et cautiſſimi clauſula, omnibus obſervationum collectoribus imprimenda.

Praeter *cordis phthiriaſin* datur etiam *pericardii phthiriaſis*. Riolanus haud poſtremus Anatomicorum Pariſienſium *in Enchirid. Anatom. et Pathol. l.* 3. *cap.* 4. intra pericardium vermes gigni affirmat, et hoc de affectu Salium ſcripſiſſe prodit; nec intra cordis ventriculos vermes reperiri negat, qui tamen cavam intra venam geniti eo pervenere. Jam olim Alexius Pedemontanus *libr. I. Secret.* proponendo remedia contra vermes cordis et capſulae, in morbo, quem *lunaticum* ipſe vocat, ſigna ponit palpitationem cordis, totius corporis tremorem lipothymiam et ſyncopen, totius corporis pallorem et refrigerationem, ſudoris eruptionem circa thoracis et cervicis partes. Cenſet autem de lunatica paſſione Witebergenſium AEſculapius Dan. Sennertus, rem non ex vermibus in pericardio naſci, ſed ex inteſtinis in orificium ventriculi aſcendentibus, quod καρδία appellatur. Et haec quidem conſentiente antiquitate Sennertus judicat: ſtomachum quippe pro corde Lucretium, ut καρδίαν pro ſtomacho Thucydidem dixiſſe, doctiſſime animadvertit *Mercurialis libr. I. variar. lect. I. cap.* 1. Egre-

1. Egregius huc collineat Tralliani locus libr. 7. c. 9. p. 142. quo demonſtrat a vermibus repentinam mortem aeque ac ſyncopen oriri poſſe. οὕτω γὰρ καὶ τὰ θηρία ταῦτα θανάτους αἰφνιδίους ἐργάζονται καὶ συγκοπὰς οὐδὲν ἧττον τῶν ὀλεθρίων χυμῶν. *Nam haec animalcula adeo repentinam mortem et ſyncopas non minus quam pernicioſi humores inferunt.*

Sed firmanda erit pluribus adhuc exemplis phthiriaſis pericardii. Hartmann. in *Prax. Chymiatric.* c. 30. in capſula et corde gigni pariter vermes credit, et cognoſci ex puncturis et doloribus cordis, et diagnoſticon eſſe convulſionem. Similem caſum recenſet e MSt. Stockeri Bonetus *in Sepulchr. P. I. L. V. Sect. VIII. Obſerv. 25. p. 652.* et ex Petri Sphererii Archiatr. Moguntin. Obſerv. refert, ſubitaneae mortis cauſam fuiſſe vermem vivum in cordis capſula. Vid. quoque Zacutus *Luſit. Prax. med. admirab. L. 2. Obſerv. 39.*

In Epidemiali conſtitutione, ubi aegri cum convulſione et continua cordis palpitatione moriebantur, in ſingulis capſulis cordis affixos invenit vermes, magnitudine minimum digitum aequantes, Petrus a Caſtro Archiater Mantuanus, id quod ex ejusdem Praxi MSt. excerpſit laudatiſſimus Sachſius a Löwenheim *in Ocean. Micr. Macr. p.* 89. Sic illuſtr. Baglivius Excell. Dno. Andry obſervationem communicavit, quam Tractatui Gallice inſcripto, *de la generation des vers* Chap. 14. edit. del Ann. 1714. inſeruit, de verme palmam unam longo, nigro et piloſo in pericardio viri cujusdam reperto. Vir iſte poſt atroces ventriculi et partium adjacentium dolores, motus convulſivos, cum pallore faciei et proſtratione virium toto corpore, octies in hora diu paſſus fuerat. Quibus exemplis jure meritoque addimus illum, qui de corde eruditiſſime ſcripſit, ejusque penetralia accuratiſſime rimatus eſt, Lowerum innuo, *Tr. de Corde* cap. 2. *Saepenumero*, inquientem, *vermes intra capſulam cordis geniti arroſione ſua, magnas cordi aliquando moleſtias faciunt, atque cordis tremore, anxietate, pulſu ſaepe intermittente, dolore pungente et ſyncope ſe produnt.* Quo in caſu vir fidiſſimus reme-

 dium

dium promit ad debellandam ſymptomatum ab his noxiis animalculis catervam; cataplaſma nempe e foliis Cinarae, Tanaceti et Abſynthii vulgaris, aceto vini albi acerrimo incoctis, et cum Mithridatio mixtis. Hoc remedio regioni cordis bis applicato palpitationem cordis, et pericardii phthiriaſin penitus diſſipatam vidit; id quod adductum Lovverianum facto experimento confirmat Excell. Helwichius *Obſerv.* 188. *Ann. V. et VI. Dec. III. Ephem. noſtr. Nat. Urioſ.*

Jungimus huic externo remedio, quod nobis in phthiriaſi cordis ſuggeſſit, uterque Plinius in locis a nobis jam adductis, internum illud raphani pharmacum. Scilicet hoc ipſo remedio eruditiſſimus quondam Borrichius *in Hermet. AEgypt. et Chemic. Sapient. c. V.* doctiſſimum Conringium, qui cum editis omnibus exemplaribus *phthiſin* cordis legit, convincere conatus eſt, *phthiriaſin* legendum eſſe. Noverat quippe Plinius probe phthiſicos offendi acribus, eoque mel Atticum, reſinam laricis, et cochleas Africanas iisdem commendat Libr. XXVIII. et L. XXX. eoque docere hic inſtituerat, per phthiriaſin cordis vermes in ſinubus cordis haerentes intelligendos, quibus enecandis tollendisque convenientiſſime ſervit raphanus.

Haec Danorum gloria Borrichius, qui ad firmanda ea, quae de raphani praeſtantia in phthiriaſi cordis dixerat, ſequentia e viri in praxi medica expertiſſimi Gabelchoveri Cent. III. c. 1. ſubjungit: *Quando generantur vermes ſub corde, vel ſub capſula cordis, et faciunt puncturas et dolores, et medicamenta dantur cordialia, nihil proficiunt, et aeger moritur. Sed vera cura eſt talis. Recipe ſucci allii, raphani et naſturtii, detur et ſtatim curabitur. Credo experto, quia verum eſt. E MSt. Joh. Stokkeri, illuſtris ſuo tempore Medici, experimentorum libro depromtum, cujus veſtigiis volui inſiſtere, et curatio, Deo ſit laus, bene ſucceſſit, ita ut cito convaluerit, et jam optime ſe habet in conjugio vivens aliquot liberorum parens.* Ad expellendos hos pariter vermes in cordis penetralibus nidulantes et phthiriaſin cordis producentes in praxi ſua, quae feliciſſima erat, eosdem rapha-

ni,

ni, allii et naſturtii ſuccos commendat tempore ſuo Germaniae noſtrae in arte medica praeceptor communis, Sennertus. Eadem mens erat jam Hartmanno, qui animadvertens, prae coeteris virgines huic malo praecipue obnoxias eſſe, talem curationis inſtituit methodum. Sepoſitis cordialibus, ad quae medicorum vulgus in omnibus ſic vulgo dictis cordis affectibus tanquam ad ſacram confugere ſolent anchoram, hoc tamen in caſu, ſi non noxia, inutilia certe deprehendit; Mercurio vivo purgato et cum ſaliva jejuni mortificato vel ſucco limonum temperato ad ℈j. cum conſerva Roſarum ℥β et Benz. gr. iij. vermes abigere ſatagit. Sed cum ſuboluerit ſagaciſſimo alias Chemico, et renaſcentis tunc in Germania noſtra artis hujus Camillo, hoc remedii genus nonnullis fore ſuſpectum, mox ad Mercurii infuſionem in ▽ frig. vel aquam ex alliis caepisque deſtillatam ad uncias duas vel tres delabitur; tandem malo pertinaciori inhaerente convulſionumque paroxyſmis recurrentibus, (quod pathognomonicum vermiculi cordialis credit,) in extractis ſpecificis allii, raphani, naſturtii aquatici ſecurum quaerit refugium, quae ad ℈j ex brodio vel jusculo praemacerato raphano exhibet. Extractorum autem penuria ſuccos harum ſpecierum omni mane ſvadet, et eorum parata ſalia pariter ſalutaria praedicat.

Illud denique, ut brevibus me expediam, in artis noſtrae divinae gloriam vergit, hoc remedii contra cordis et pericardii phthiriaſin ab Aegypti regibus ſuppeditatum fuiſſe genus, illosque Anatomiae practicae in ſecandis cadaveribus, ſi non manus, operam certe admoviſſe, ambobus teſtibus Pliniis. Siccine, inquies, hoc regium exercitium, interiora corporis noſſe? Vtique. Manethonem apud Euſebium Pamphil. in Chronic. in ſubſidium voco, qui Athoſtin antiquiſſimum Aegypti regem, artem Medicam exercuiſſe non tantum teſtatur, ſed et libros Anatomicos conſcripſiſſe. Idem Euſebius memorat, ſe pariter Nechepſus Aegypti regis ſcripta medicinalia vidiſſe. Meminit etiam regis hujus Aëtius Amidenus Tetrabibl. I. Serm. 1. quo loco de Anthemo ſive Chamaemelo diſſerit, et idem ejusdem Tetrabibl.

Serm 2. c. 19. et 25. ubi eum Regem appellat; et iterum cap. 47. et Tetrabibl. 2. Serm. 2. cap. 92. et Tetrab. 4. Serm. 3. c. 12. Hujus quoque mentionem injecit Vectius Valens Antiochenus in libris, quos inſcripſit, *Antilogias*, et Galenus *libr. ſimpl. medicam.* 9. ubi de Jaſpide viridi tractat, eumque citat ex libr. VI. atque X. Sic Julius Firmicus Maternus *Aſtronom. libr. IV. c.* 16. illum vocat juſtiſſimum Aegypti Imperatorem, et illum pariter fuiſſe optimum Aſtronomum, omniaque vitia et valetudines collegiſſe atque omnium aegritudinum medelas divinae rationis magiſteriis adinveniſſe. Et libr. VIII. cap. 3. adhuc illum divinum facit. Magicae artis peritum fuiſſe Euſebius Chronographus vult. Hinc Auſonius Epiſt. 19.

Quique magos docuit myſteria vana Necepſus,

vel ut alii legunt, *Nechepſi*. Tiraquellus credidit, hunc regem fuiſſe, quem *Nechephien* vocabat Artabanus; ſcilicet illum Aegypti regem, qui Moſem carceri tradidit, quod populum liberare ex Aegyptiaca ſervitute conaretur: ſed optime Notis ad Auſonium judicat Vinetus, hujus nominis plures Aegypti fuiſſe reges, ut nil certi, qualis fuerit, ſtatui poſſit.

Jungimus binis his Aegypti regibus, artis noſtrae ſcientiſſimis, tertium, ab antiquis jam Auctoribus Necepſo junctum. Sic utriusque meminit Plinius *Hiſt. natural. libr.* 2. *c.* 23. *et libr.* 7. *c.* 49. Julius Firmicus autem elegantiſſimo mactat elogio libr. IV. *Aſtronom. in Praefat.* p. 45. *Quare illi divini viri*, ſcribens, *atque omni admiratione digni, Petoſiris Necepſoque, quorum prudentia ad ipſa ſecreta divinitatis acceſſit, etiam mundi genituram divino nobis ſcientiae magiſterio tradiderunt &c.* et iterum libr. 4. c. 5. illos vocat *divinos viros et ſanctiſſimae religionis antiſtites*. Aſtrologica ſcripſiſſe Suidas auctor eſt; Petoſiris epiſtolam Aſtrologicam ad Necepſum regem ſcripſiſſe, de ratione praeſciendi futura, ex literis nominis cujusque, quibus numeri deſignari ſolent, Vinetus teſtatur. Extare in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi MSS. auctor eſt Excell. P. Lambecius L. VII. p. 118. et Neſſel. in Catal. MSS. Bibl. Vindob. In Bibliotheca MSS. Medici

dici Pariſini doctiſſimi, Renati Moraei Ph. Labbeus in nov. Bibliotheca MSS. p. 213. Ejusdem Petoſiris ad Nechepſum regem organum Aſtrologicum aſſervari, teſtatur quem modo laudavimus Lambecius loc. cit. Praeter hoc Aſtronomiae ſtudium medicam pariter artem calluiſſe Petoſirin, teſtis eſt Juvenalis ſatyr. VI. v. 378.

Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Petoſiris ſcripta pluribus expoſuit et illuſtravit Manetho in libr. VI. Αποτελεσματικῶν, ut ipſe fatetur libr. I. v. 11. ſeq.

Ὄφρά κεν ὅσσαπερ αὐτός ἐπιτροχάδην Πετόσιρις
Εἴρηκεν, τάδε πάντα μάλ' ἀρεκέως καταλέξω
Ῥυθμοῖς ἡρωικοῖσι καὶ ἑξαμέτροις ἐπέ εσσιν.
Vt quae ipſe obiter et curſim Petoſiris
Dixit, ea omnia certe clareque memorarem
Rythmis heroicis et Hexametris cantibus.

Vid. inſuper Excell. Gronovius Not. in Maneth. p. 266. Vt nil de Apide Serapideque primis Aegypti regibus, Medicinae omnis inſtauratoribus dicam, de quibus pluribus in Serapiade et Mythologia Serapidis Medica. Aegyptiorum haec regum in artem hominibus ſaluberrimam propenſio quod immenſum creverit; et reliquas nationes excitavit, ut Aegyptum adierint, Medicinae diſcendae gratia. Maxima in veneratione prae reliquis erant Alexandrini; ut ex Ammiani Marcellini elogio Hiſt. libr. XX. cap. XVI. p. 267. Edit. Gronov. *ſuffecerit medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.* Hinc Juliani Auguſti νόμος περὶ τῶν Ιατρῶν, *lex de Medicis*, qua immunitates medicis Alexandrinis datas confirmat, et a ſenatoriis muneribus liberos vivere juſſit, ut arti σωτηριώδη eo melius vacare poſſint. Libanius in libr. IV. epiſt. 95. ad Marium de Chryſogono Phoenice diſcipulo ſuo loquens, ait, eum relicta ſchola ſua navigaſſe in Aegyptum, ut medicinam ibi cito diſce-

ret ſub profeſſore magno. Idem teſtatur etiam Theodoritus inEpiſt.224.Et Galenus ipſe pronior in gloriam Graecorum quam Barbarorum , ingenue confitetur peritiam Anatomicam Aegyptiorum et praeſertim Alexandrinorum.De Adminiſtr. Anatom. L. I. *Hoc autem ſit opus tuum*, ſcribit, *hoc ſtudium, ut non librorum modo lectura, verum ſedula etiam inſpectione, fideque oculata, cujusque oſſis humani ſpeciem accurate perdiſcas. Quod quidem Alexandriae multo facilius facies, ubi Medici oſſium diſciplinam auditoribus ante oculos exponunt.* Imo πολυτρύλλητον dogma, hominem microcoſmum eſſe, et macrocoſmo analogum, Aegyptiis originem debere, luculento ſermone expoſuit Julius Firmicus Maternus Matheſ. libr. 3. E quibus locis clare patet, anatomen Aegyptiorum non inſtitutam fuiſſe in uſum tantum condiendorum cadaverum , quod celeberrimo cuidam viro placuit, quod diſertiſſimis verbis confutatum a Plinio ſeniore et juniore pariter, quorum loca adduximus pro ulteriori confirmatione cordis phthiraſeos.

Quo ipſo recitandi finem faciens , cum ilico ad me, Non eſt, quod nos amplius morbo hoc Pliniano vexes: eſt enim res ſatis expoſita, et dilucide explicata. Quippe cum veſpera appeteret, et campanae in urbe noſtra ſonus zephyro flante finem diei adeſſe indicaret, valedicentes lentis in urbem redeunt paſſibus, relinquentes me otio meo literario et receſſui optatiſſimo.


Tab VII p. 385


ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ
ΑΙΤΩΛΩΝ
Quadruſſis
Quadra
Sinenſis

SCHEDIASMA
DE
LAPIDE QVADRA SINENSI,
AD
VIRVM ILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM,
DN. ANDREAM FACKHIVM,
CAESAR. ARCHIATRORVM COMITEM,
ET RELIQVA,
MAECENATEM SVMMVM,
MISSVM
A
MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO,
ARCHIATRO CAESAREO ET ACADEMIAE
CAROLINAE N. C. EPHEMERIDVM DIRECTORE.

[1715]

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY



CUm ingenuum ſit profiteri, per quem profeceris, ingenui expers eſſem pudoris, niſi huic diſſertatiunculae, levidenſi equidem, Tuum, VIR ILLVSTR. et EXCELLENTISSIME, MAXIMI IMPERATORIS, INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS, Archiatrorum Comes ſplendidiſſime, praefigerem Nomen, qui primam hujus, quem deſcribere conatus ſum, lapidis notitiam dediſti. In illa enim expeditione Hiſpanica, qua

Comes additus ibas,
Corporis AVGVSTI ſervator, et axe ſub illa
Vtilis haud raro monitor cuſtosque ſalutis,

TIBI a calculi diris doloribus excruciato, irritis omnibus aliis remediis, incantamenti inſtar *quadrae* infuſum levamen attuliſſe, gratioſe mihi retuliſti. A laudatiſſimo Archiatro laudatum mihi remedium firmiter animo inhaeſit, nec deſtiti, quae a tempore illo, quo primam in *Parreira brava* mea ὡς ἐν παρόδῳ mentionem injeceram, lecta collectaque ſunt, has in plagulas conjicere eum in finem, ut ex illuſtri Nomine tuo opellae tenuitati praeſidium, mihi ipſi autem ulterioris porro favoris et benevolentiae expeterem perennitatem.

LApidem a figura in dicto Schediaſmate pronuntiavi quadratum, quem exacte, mole excepta, refert, quale lapi-

dum genus in ſacris literis et quidem in Threnis Jerem. per vocem *Abne Gazith* exprimitur. Graeci nominant σύνομον λίθον. Heſychius: σύννομα, σύνδρομα, ἰσόδρομα. *Quadrataria* dicitur lapidicina, equa lapides quadrati eruuntur. *Quadratarii* autem ſunt, quos Graeci λιθοθήκτας nominant, ut eſt *Leg.* 1. *Codic. de excuſ. opific.* Lapidicidae. Quadratariorum mentio fit apud Sidon. L. 3. c. 12. apud Caſſiodor. in Pſalm. 125. Saxorum quadratarii. Gloſſae veteres: ψάκτης, *quadratarius*.

Melius tamen Hiſpanicum nomen *quadrae* retinetur: nec enim ulla linguarum illarum, quas peperit latina mater, uberiore gaudet largiorique haereditate, quam Hiſpanica, inprimis dialectus Caſtellana, qua quicquid aeternitatem mereetur, quicquid memoria dignum, hodie conſcribitur. Ea enim proxime ad latinam accedit, et doctiſſimus Merula in Hiſpan. deſcript. cap. VIII. viros ſe noviſſe refert eruditos, qui ut quam prope abeſſet a matre ſua haec propago, qualisque ante foediorem fuerit depravationem, monſtrarent, dexteritate quadam ſcriptis epiſtolis et Latine et Hiſpanice loquerentur, eademque animi ſenſa explicarent, ita ut Latinis Latini, Hiſpanis Hiſpani eſſent, ſervata paſſim utriusque linguae vi, natura et proprietate; quale exemplum longiori recenſione propoſuit modo laudatus Paulus G. F. P. N. Merula. Hiſpanica itaque vox *quadra*, qua lapis noſter inſignitur, optimae quoque in Latio notae, diverſae licet ſignificationis. *Quadra* enim, e doctiſſimi Voſſii mente, a *quatuor* converſo tenui T in D. derivatur. Itaque nunc, quod eſt quadratum, ſignificat. In Philoxeni Gloſſis Quadra, τόπος, recte τόμος emendavit Scaliger: inque iisdem, ubi eſt quadra, βρόμος, recte corrigunt ϐλωμός. Non aegre feres, VIR SVMME, ſi aliquantulum extra limites lapidis noſtri exſpatiando, ex elegantiori literatura, quae Medicinam noſtram politiorem reddit, ad illuſtrandum, quomodo quadrae huic noſtrae conveniat denominatio, producam. Nolo altius inquirere in Architectonicorum de *quadra* ſenſum, de his enim fuſe Vitruvii Commentatores,, Baldus, Philander et Barbarus conſulendi, quorum ſententias in Lexico de ſignificatione vocabu-

lorum

lorum Vitruvianorum congeſſit ſolertiſſimus Joh. de Laët, Antwerpiae ſuae literatae haud exiguum decus. Nec inſueta Virgilio vocula, dum AEneid. Libr. VII. v. 115. canit:

Patulis nec parcere quadris.

Clar. Emmeneſſius ad hunc commentatur locum: *Quadram proprie ad inſtrumentum menſarum pertinere, cui cibus inciſus ac ſciſſus imponitur*, ut ejusdem Poëtae Libr. V. v. 125.

Acciſis cogit dapibus conſumere menſas.

Menſas autem factas fuiſſe, ſecundum Didymum, ἐκ τοῦ σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων, *e durioribus panibus compactum fruſtum.* Hinc iterum Virgilius l. c.

Heu etiam menſas conſumſimus, inquit Julus.

Pertinet huc Juvenalis locus Satyr. V.

Vt bona ſumma putes, aliena vivere quadra.

Lubinus explicat de pane in quadram ſciſſo, ſupra quem carnes et alia obſonia incidebant, quales panes in Saxonia inferiori **die Allmoſen** nominare ſolent, eo quod pauperibus Eleemoſynae loco dari conſueverint. Et quadram pro fruſto quadrato ſumi, e Marciali diſcimus Lib. VI. Epigr. 75.

Quum mittis turdumque mihi, quadramve placentae,
Buccellas miſiſſe tuas te, Pontice, dicit.

Et Libr. III. Epigr. 77.

Nec te liba juvant, nec ſectae quadra placentae.

Add. Libr. IX. Epigr. 92.

Quadra igitur fruſtum placentae quadratum; panes praeterea quadrati Romanorum apud Athenaeum L. XIII. Horatius probat unicuique datam quadram Libr. I. Epiſt. XIII.

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Senec. de Benefic. *Quis beneficium dixit*, quadram panis *aut ſtipem aeris abjecti, aut ignis accendendi factam poteſtatem.* Et caſeos in quadram diviſos exhibet Bilbilitanus Vates Libr. XII. ad Vacerram Epigr. 32. *Nec quadra deerat caſei Tholoſatis.*

Apud Scriptores Eccleſiae Romanae de quadra panis ſumitur, Joh. Laudenſ. in Vit. Petr. Damiani: *Sola panis quadra cum*

crudis oleribus coenanti apponitur. Hinc per quadras panes partiri apud Gregor. M. Libr. I. Dial. c. 11.

Panes pariter Graecorum euchariſtici, quas ἁγίας μερίδας nominant, Δίσκῳ ἁγίῳ impoſiti. In ritu ſacro ἀρτοκλασίας Graecorum, exiſtunt quadrae e majori quadrata hoſtia deciſae, de quibus paſſim in Graecorum liturgiis. In lingua hodierna Graecorum aliquibus in locis portiuncula talis κόδρα. Gloſſae Graeco-Latinae: Κόδρα, *Codra, quadra.* Item: τετράγωνος, *quadra, quadrus, quadratus.* Suidas: κοδρίτης ἄρτος, ſive ἄρτος τετράγωνος, panis quadratus.

Baldus tamen in Lexico Vitruviano jam citatus quadras interpretatur non panis vel caſei fruſta quadrata, ſed quod ſimiles ſint quadris, quibus vel ſtanneis vel argenteis aut etiam ligneis in menſis ad carnes ſcindendas uti conſuevimus; quadra enim forma antiquis fiebant, hodie vero ut plurimum rotunda, unde *taglieri* Italis; cui conſonum Germanicum Teller. Plurimi tamen quadram non inſtrumentum menſae, ſed menſam ipſam dictam voluere, quae olim quadratae, et quatuor pedibus, hinc τετραπόδια nominatae, poſtea rotundae factae; id quod ex Feſto et Varrone probat Ciaconius de Triclinio paſſim. Nec tamen abſonum erit ſtatuere, appellari pariter menſas appoſitas. Pollux: Ἔξεστι δὲ τὴν τράπεζαν, ἐφ᾽ ᾗ τὰ ἐκπώματα κατάκεινται, τετράπουν τε τράπεζαν εἰπεῖν καὶ μονόπουν, *licet autem menſam, cui pocula impoſita ſunt, quadrupedem menſam appellare et unipedem.* Et Virgil. Aeneid. Libr. I. cecinit:

Poſtquam prima quies epulis menſaeque remotae.

Quippe menſae ipſae non remotae fuerant, ſed epulae illis appoſitae. Verum quadrae hae omnes nil quadrant ad quadram, de qua nobis ſermo; veluti et *quadra veſtis*, τετράγωνα ἱμάτια a rotundis diverſa. Quadrae hae veſtes a ſummo ad imum apertae, unde quatuor angulos habuiſſe neceſſe eſt, in imo duos, totidemque in ſummo, quadrangulae appellatae. Tale Graecorum pallium, et pallia fere omnia muliebria. Feſtus: *Ricinium, pallium muliebre quadratum.* Pallam quoque pallium Graecorum interpretantur Grammatici. Saga item militaria et ſaga Gallica

Gallica et paludamenta imperatorum. Sic Ammonius chlaenam pariter quadrangulam veſtem pronuntiavit; de quibus uberior ſcribendi occaſio in Telesphoro noſtro. A veſte quadra, quadrapola veſtis paſſim apud Anaſtaſium in vitis Pontif. quarum anguli, teſte Clar. Bulengero, auro texti aut ſerico, vel tubulis auro clavatis. Sed de his veſtibus in omnis eruditionis abyſſo Salmaſio Not. in Tertullian. de Pallio. Quadra ſive pileus quadratus Deorum pariter eſt ornamentum. Sic in Aetolorum Nummo *Apollo* ex mente Cl. Begeri in Obſerv. et conjectur. ad Numiſm. quaedam antiqu. p. 1. vel ſecundum Nonnium Not. in Golzium, *Mercurius*, quadra in capite ornatus; qui pariter hoc capitis tegmine conſpicitur in vaſe ingenti marmoreo Cajetae urbe regni Neapolitani maritima ejusque aede maxima reperiundo; quod poſt Hondium in Deſcript. Italiae, curioſorum oculis expoſuit diligentiſſimus Sponius in miſcell. erudit. Antiquit. Sect. II. Art. I. p. m. 25. Exhibuit hoc in vaſe Athenienſis ſculptor Salpion, uti nomen inſculptum indicat, natalitia Bacchi, ubi Bacchus tanquam infans a Mercurio quadra in capite Leucotheae materterae educandus offertur. Vt merito ob hanc quoque tegminis rationem τετράγωνος Ἑρμῆς vocetur; quamvis probe norim, hunc diſciplinarum coeleſtium, atque etiam eloquentiae et veritatis praeſidem, ſecundum Manil. Aſtron. L. 1. cubicum et quadratum effingi.

Apud Medos olim, Perſas et Armenos, quadra capitis praecipuum ornamentum. De Sinenſium pileorum quadris ἀθανάσιος Kircherus in China. Quadram viris pariter dignitate conſpicuis et virtute eminentibus olim fuiſſe impoſitam, ex antiquitate eccleſiaſtica palam eſt. Methodius de Virginit. actione vitae et conſilio τετραγώνες, quadratos dixit, viros perfectae virtutis. Nec aliter Chriſtianum perfectum quadratum eſſe oportere, S. Gregorius tradit Homil. 21. in Ezech. quippe quadram, ut ſymbolum immobilitatis et ſtabilitatis, conſiderat Hipponenſium devotiſſimus Antiſtes. Hic dicendi locus eſſet, quid proprie per ξύλα τετράγωνα denotetur, ligna nempe *Gopher,*

pher, ex quibus arcam fabricare juſſus fuit Noah, quae ξύλα τετράγωνα e verſione LXX. Interpretum a Cl. Bocharto pro cupreſſinis, a doctiſſimo Voſſio pro reſiniferis lignis habentur. In ſenſum myſticum has quadras ligneas trahit et in ſapientes Chriſtianos accommodat Origen. Homil. in Geneſ. et qui eum expreſſit S. Ambroſius Libr. de Noa et Arca c. 6. nec non S. Gregorius, cui Nyſſa cognomen tribuit, Libr. de Vit. Moyſ. In pictura certe Lateranenſi Conſtantini Magni IV. virtutum diſtincte exhibitarum tetractys, capiti ejus imminens expreſſa eſt quadra juſſu Leonis III. Vid. Ciampinus de Monument. vet. muſiv. T. II. c. XXI. p. 128. Tab. XL. Hinc clericorum quadrae ſive pilei ad crucis expreſſionem formati, de quibus paſſim Solerius de Pileo. De Doctorum quadris Pancirollus, erudititiſſimus Legum interpres, Var. Lect. Jur. libr. I. cap. 23.

Quadra pariter monetae genus. Haytho Armenus in Cathaja tale eſſe ſcripſit, teſte Pl. Rev. Müllero Griffenhagienſi, Berolinenſi Praepoſito, Diſſ. de Cathay. Nec inſolitae hodie quadrae Hiſpanorum aureae; ſeptentrionalium aereae; nec deſunt apud nos Germanos quadrae, Klippen dictae, quarum eruditam Coburgi molitur collectionem Cl. Winheimius.

Revocant hae quadrae in memoriam, nummum angularem Suetonii in Neron. certe tetragonum fuiſſe, et quadram credit modo laudatus Panciroll. l. c. p. 137. et 201. Ab eo autem, itemque a quadrante aſſis ſextantalis et a numis quadrigatis, differt *quadruſſis*, quatuor aſſium pondus, cui ex utraque parte bos impreſſus. Vnde, ſecundum Plinium, pecuniae nomen eſt. Quadruſſem exhibet R. P. Molinetus dans le Cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve, P. I. p. 47. Ceterum et inter miſſilia, quae conſulibus ſpargere permiſit Juſtinianus Nov. 105. c. 2. §. 3. erant *monetae Caucii, et quadratae*; de quibus disquirit erudititiſſimus du Freſne in diſſert. de Imperatorum Conſt. Numismatibus no. 98. Sed haec omnia remota ſunt noſtra a quadra, quam tractamus.

Propius ad quadram lapidem, quando in Gloſſariis *quadra* per teſſeram exponitur, ſed non adjungitur qualis; plurima enim

enim teſſerarum genera, quorum decem pene recenſet Reverendiſſ. Thomaſinus de Teſſer. Hoſpital. *Frumentaria* nempe, *nummaria*, *militaris*, *hoſpitalis*, *comitialis*, *theatralis*, *convivalis*, *paganica*, et tandem *luſoria*, quibus eruditiſſimus Danorum Ol. Wormius in Monum. Danic. p. 22. accenſet *amatoriam*.

Ex his *luſoriae* erant, in quibus numeri deſcribebantur, *tali* pariter dicti, teſte Pl. Rev. del Rio Comment. in Senec. Herc. furent. cui tamen Excell. Gronovius parens repugnat, et ex antiquitate demonſtrat, teſſeras a talis fuiſſe diverſas, quippe talorum major numerus; in teſtimonii partem adducit illud Martialis Libr. IV. Epigr. XV.

Non ſum talorum numero par teſſera.

Talis enim quatuor ludebatur, teſſeris communiter duabus ad ſummum tribus. Producimus iterum Martialem Libr. XIV Epigr. 15.

Hic mibi bis ſeno *numeratur teſſera puncto*,
calculis bic gemini diſcolor boſte perit.

Teſſerae nempe binae habebant duodecim puncta, ſi exiſtant duo ſeniones, in quibus per teſſeras numeratur usque ad XII puncta. Videtur tamen ſenio junctus fuiſſe, dictus alias *Baſilius*, item *Venus*; cui opponebatur *canicula*. Lucem his dat obſcuritate alias celeberrimus vates Perſius Sat. III.

Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in votis, dammnoſa canicula quantum
Cederet.

Eundem ſenionem *Midam* vocari Suidas teſtis eſt: Μίδας, ὁ ἐν κυβοῖσιν εὐβουλότατος: *Midas in teſſeris conſultor optimus.*

Nec materia teſſerae a quadra lapide differunt; quamvis enim ſecundum Plinium Hiſt. Nat. lib. 16. c. 18. *liguſtrum materia teſſerarum*, ſive *ebur*, de quibus Ovidius:

Seu ludet numeroſque manu jactabit eburnos:
Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Vel *cryſtallus*, quarum mentio ſit apud Petronium Satyr. cap. 33. p. 129.

p. 129. edit. Burmann. *Sequebatur puer cum tabula terebinthina et cryſtallinis teſſeris.* Vt plurimum tamen e lapide ſecto noſtro lapidi perſimiles. Redeunt hac occaſione in mentem teſſerae illae Badenſes luſoriae Helveticae, a quadra lapide non multum magnitudine aliisque circumſtantiis diſtantes, differentes tamen numeris ſive punctis impreſſis. Meminit jam eorum Betulius noſter a Birken vulgo dictus, Florigerae ad Pegneſum Societatis digniſſimus Praeſes, in Vlyſſe Brandenburgico c. 2. p. 43. immortalis pariter nominis Theologus Hotting. ſpec. Tigur. p. 548. imprimis in Helvet. curioſ. natural. Hiſtor. Sect. VI. Artic. III. n. 5. p. 329. Tigurinorum Bibliothecarius et Poliater Wagnerus; cui ſunt *lapilli cubici parvi, numeris ſuis exacte diſtincti, circa Baden oppidum in pratis, (inde* Würffelwieſen dicti*) ac foſſis maeniorum reperti, nonnunquam a talpis e terra extruſi. Mirum ſane naturae, hae quadrae luſoriae Badenſes exiſterent miraculum, ſi artem auxiliatricem non habuiſſent, ſoliusque naturae ſuboles fuerint, quamvis et haec polydaedalus artifex, ubique mirabilis, ubique excipienda in magnis et vilibus. Oedipus is mihi erit, qui harum protulerit cauſas.* Haec Cl. Wagnerus. Excell. Dn. Scheuchzer, Geſnerus certe Helvetiae ſuae redivivus, amicorum certiſſimus, in novis Helveticis vernacula ſcriptis, et inſcriptis Natur-Geſchicht des Schweitzerlands zweyter Theil n. 39. et 40. invictis argumentis non naturae, ſed artis opus eſſe probat, quod Illuſtr. Rajo pariter ſuboluit, qui Badenam Helvetiorum tranſiens, monſtrantibus illi has luſorias quadras reſpondit: non diffiteri quidem e terra erutas fuiſſe; ſed et hoc certiſſime credere, in terram illic prius depoſitas fuiſſe. Vid. ejus Topographic. Obſerv. p. 101.

Sed quid haec omnia de Teſſeris ad lapidem Quadram, inquies? utique. Quadra enim in veteri Gloſſario κύβος. Κύβος autem, nos hoc docente et explanante Aulo Gellio Noct. Attic. L. I. c. 20. *figura ex omni latere quadrata, quales ſunt, inquit M. Varro, teſſerae, quibus in alveolo luditur, ex quo ipſae quoque appellatae* κύβος. *In numeris etiam ſimiliter* κύβος *dicitur, quum omne latus*

latus ejusdem numeri aequaliter in ſeſe ſolvitur. Haec Agellius, qui teſſeras ſive cubos a cubo denominari ſcribit. Alii teſſerarum figuram, qui cubi appellantur, cubo nomen dediſſe exiſtimant. Reverendiſſ. Thomaſinus tamen in eo eſt, ut demonſtret, κύβον non teſſeram luſoriam, ſed militarem denotare ex omnibus partibus confectam, et praeceptum notare ducis, quo exercitus vel ad aliquod opus, vel ad bellum movebatur. Vnde Vegetio auctore *Teſſerarii*, qui has teſſeras per contubernia militum nunciabant. Ita Servius ad VII. Aen. *it bello teſſera ſignum*; ſymbolum bellicum, quod ad pugnas exeuntibus datur confuſionis evitandae cauſa. Eamque Vegetius duplicem facit, *vocalem* et *mutam*. Vocalis ea eſt, quam hodie circitores flagitant; Gallis *la parole*, nobis das Wort. Magis tamen arridet κύβον notare teſſeram luſoriam. Quadra igitur lapis pariter Sinenſis, ut poſt longiuſculam aberrationem in viam redeamus, ad cubum ſive κύβον pertinet, convenit enim illi definitio cubi Vitruviani, quam nobis ſuppeditat in praefat. Libr. V. de Architect. p. 78. Edition. de Laët. *Cubus eſt corpus ex ſex lateribus aequali latitudine planitierum quadratum. Is cum eſt jactus, quam in partem incubuit, dum eſt intactus, immotam babet ſtabilitatem.* Eadem de cubo ſententia *Timaei Locrenſis* Libr. de *Anim. Mundi*, ἐκ δὲ τῶ τετραγώνω γεννᾶσθαι τὸν κύβον ἑδραιότατον, καὶ ςαδαῖον πάντῃ σῶμα. ἕξ μὲν πλευρὰς, ὀκτὼ δὲ γωνίας ἔχον. *Ex tetragono naſci cubum, ſolidiſſimum et ſtabile omnino corpus, ſex quidem latera, octo vero angulos habens.* Dantur tamen praeter quadram Sinenſem et alii cubici metallici lapides. Sic pyritem Hirslandenſem ſive quadras aureas, würflichten Goldkieß von Hirßlanden/ marmori nigro elegantiſſimo inſperſas annotavit jam laudatus Excell. Scheuchzerus nov. natural. Helvet. T. II. n. 10. p. 39. Similes his Hirslandenſibus primo milliari a Pienza agro Senenſi reperit maximus rerum naturalium promus condus Aldrovandus Muſ. metall. Libr. IV. p. 574. dum ſcribit: Multi pyrites ſunt figurae teſſerae ſive cubi, ſex planis ſuperficiebus aequalibus et inaequalibus ſplendore argenti et magnitudine varia. Verum

rum figurae quadratae hujus lapidis ſunt vel majores vel minores, ita eleganter a natura factae et formatae, ut ex orichalco fabricatae eſſe videantur. Quapropter quando Feſtus Pompejus ſcripſit: *Aurichalcum in montibus naſci*, procul dubio non eſt locutus de aurichalco arte parato, quod ex aere et cadmia conficitur, ſed fortaſſis hunc pyritem intellexit, qui aurichalcum perbelle aemulatur.

Licet autem figura, et moles, et ſtructura externa harum teſſerarum ſive cuborum, quos Aldrovandus delineatos dedit, optime noſtrae quadrae Sinenſi conveniant, colore tamen, natali ſolo, imprimis autem virtutibus maxime differt, de quibus nunc, his praemiſſis, pluribus agendum et hoc ipſo, ut in proverbio eſt: ἐῤῥίφθω κύβος, jacta quadra eſt.

Patria ipſi attribuitur Sina vel China, vaſtiſſimum illud regnorum regnum, toti propemodum Europae par, ut R. P. Martino Martinio placuit, e quo primam hanc de quadra obtinuimus notitiam a laudatiſſima ſocietate Patrum a nomine Jeſu denominatorum, quorum indefeſſo ſtudio plurima in hiſtoria naturali ignorantiae peplo involuta, nobis innotuere. Quae autem vaſti hujus imperii provincia illam proprie proferat, ignotum adhuc; an ex monte Gueryu ſub Taichen in Chekiang, in quo omnes lapides tam parvi quam magni figurae ſunt quadratae, determinare non licet. Quos quadratos Sinenſis haec provincia ſubminiſtrat lapides, hos Inſula Anholtina in Sinu Codano multorum naufragiis infamis, mittit nigros, albos, varios, omnes triquetros ac ſi manu artificis fuiſſent acuminati, et lateribus plerumque in illam aciem excitati, ut Joſuae ſervire potuerint cultris ſaxeis filiorum Iſrael circumciſionem imperanti, ceu ſcribit Cl. Borrichius Actor. Hafn. Volum. IV. Obſ. 73. Nobiliſſimus Dn. Faber e Cochinchina in Chinam deferri retulit. Vocatur autem Chinenſi lingua *Candar*, a Tartaris albis *Calu*.

E mineris erui referunt illi, qui in Europam noſtram detulerunt, ſed quod dolendum, non deſignant, quibus e mineris. Commune hoc habet Sinenſis quadra ſmaragdo occidentali, ut quadrangula

forma

forma ſe prodat; imo dantur quoque granati immaturi quadrae ſimillimi, qui Oberndorffii prope Hartenſtein in Saxonicis fodinis argentiferis eruuntur, quorum copiam mihi fecit amiciſſimus Dietericus. Auri feraces hos eſſe granatos quadratos ferunt, nec tamen inde certum adhuc capere licuit experimentum.

Licet autem quadrata, non tamen pelluciditatem et pulchritudinem ſmaragdorum granatorumque adaequat, quippe

Ferreus, obſcurus, vilis, non ille repexa
Caeſariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per cingula morſu.

Si tamen virtutes qualitatesque ipſi attributas ponderes, gemmarum ſplendorem, coruſcantemque pompam longiſſime ſuperat quadra.

Ad colorem quod attinet, ferrea martis forma nitet ſubrufo colore, mixta armatura aeris chalybisque, nec non ſtriis zialibus nonnunquam interdiſtinctis, quod haematiti, quadrae affini quodammodo lapidi, non inſvetum. Anguli undique acutiſſimi κύβον exactiſſime delineant. Structura ejus firma arcte conſolidata, ut vix limam admittat, inferior tamen Sinenſi lapide in vicinia urbis Nanhiung reperiundo, tantae duritiei, ut ex eo ſecures cultelloſque ſaxeos conficiant, teſte M. Martinio. Quale vinculum aut gluten ſit illud internum, interveniente quo particulae duriores quadrae cohaereant, excogitari adhuc non poteſt aliud, niſi duo potiſſimum ad conciliandam firmitatem et duritiem concipiamus, externam nimirum ambientis materiae aethereae preſſionem, et illarum particularum integrantium planarum politarumque figuram, quae ad mutuam coaptationem et ſuperficierum ſuperficiebus applicationem, ſit accommodata, ideoque eo duriora ea corpora, quo pluribus in punctis ipſorum particulae ſeſe contingunt, id quod pluribus, experimento duorum planorum valide cohaerentium demonſtravit Mathematicorum Germanorum ſeculi noſtri princeps Beat. Sturmius noſter in Colleg. Curioſi Experimental. Auctar. p. 49. Dubium ab amico motum, annon quadra ex hactenus alla-

tis qualitatibus metallorum potius quam lapidum inſerenda claſſi? aſt cum liquabilitas videatur proprietas neceſſaria, requiſita (e mente acutiſſimi Fr. Lanae Magiſt. Natur. et Art. T. III. Libr. XXIII. cap. V. p. 352. b.) ad conſtitutionem naturae metallicae, quadra nullo modo fuſionem in igne admittit, nec ſubſtantia ulla ex eo elicitur, quae metallorum more igne liquari poteſt. Et pondus quoque quadram a metallo diſcriminat et diſcernit.

Nec ſi cum aliis lapidibus eadem quantitate et mole ad lancem examinetur, quod in aliis metallicis fieri conſuevit, pondere excedit, ſed licet durior compactiorque aliis, levior tamen; quod ipſi pariter cum ferro commune; hoc duriſſimum licet, minime tamen graviſſimum eſt, cujus elegantiſſimam rationem ſuppeditat Excell. Zanichelli in Tr. de Ferro ejusque nivis praeparatione. Verba ejus ipſa produco, cum non in omnium manibus ſit eruditiſſima diſſertatio, et plurimum inde lucis quadrae noſtrae ſtructurae accedat. *Cum ferri,* ſcribit, *duritiem in partium juxta poſitione ſitam eſſe ſtatuerim, hinc procul dubio colligendum eſſe videtur, duriora corpora reliquis quoque denſiora eſſe debere, quod tamen eorum gravitas ad lancem revocata falſum eſſe omnino oſtendit.* „Celeberrimus etenim Montanarius, ne a ferro, quod prae manibus habeo, diſcedam, multiplici experimento ſibi compertum fuiſſe teſtatur, ignitum chalybem, dum frigida extinguitur, rareſcere, et ſpecie, ut ajunt, leviorem evadere, licet hinc maximam ſibi duritiem comparet. Quamobrem ut enodetur difficultas, curioſius inſpicienda eſt intima particularum diſpoſitio.

„Id itaque pro rato habendum, denſiora eſſe mixta, quo plurimis in punctis eorum inſenſiles moleculae ſeſe contingunt; ad quod apprime facere videtur particularum earundem aequalitas, laevitas et figurarum ſimilitudo. Verum haec eadem particularum homogeneitas et laevitas efficere poteſt, ut una ſuper alteram haud aegre excurrere poſſit, quoties ab externa vi validius comprimantur; unde auri aliorumque metallorum ferro graviorum adeoque denſiorum ductilitatem oriri nullatenus ambigendum. „Quod

„Quod ſi heterogeneae fuerint intregantes moleculae, cu-
„jusmodi partibus ferrum ſcatere facile ex dictis patet, quan-
„quam earum inaequalitas plura admittit inania ſpatiola et
„contactuum numerum imminuit, prohibendo tamen a-
„liarum ſuper alias excurſum, majorem corpori conciliat ad-
„verſus externos ictus reſiſtentiam, atque hoc nomine ferrum
„duritie, minime denſitate, praeſtare crediderim, quod pariter in
„chalybe ignito locum habere facile unusquisque intelliget.
Haec Cl. Zanichellus.

Ferreas tamen quadrae ineſſe particulas ex hoc probatur, quod pulvisculus ſumma vi deraſus, ferreo, ſi humectetur, colore tingat, cognationem hoc ipſo cum metallo indicans. Magnes huic admotus pulviſculo, illum ducit, ut huic quadrae pulveri illud Claudiani de ſcobe ferri applicari poſſit:

Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Veſcitur, has dulces epulas, haec pabula novit.

Hinc Indis *Siderolithos Magneticus*, Germanice Magnetiſcher Eiſen-Stein dicitur.

Hae recenſitae hactenus recenſendaeque qualitates quadram e mineris vel ferri vel magnetis erui arguunt: e Gilberti enim, qui magnetis naturam inter primos, erroribus putidis rejectis, ſcrutatus eſt, nulla ferri fodina absque magnete, et vice verſa nulla magneti fodina ſine ferro. Harum autem in Sina plurimae. Vt e pluribus pauculas enumeremus: In provincia Honan ſub Changte urbe circa Çu civitate mons eſt reliquis, licet non magnis, major, Magnes a magnete, qui ibi effoditur, dictus: Atlant. Sinic. Provinc. V. p. 61. a. Per totam provinciam Suchven magnes praeclarus repertu datur. In eadem provincia circa Kienchang mons Tiexe eſt, e cujus lapidibus igne liquatis deſtillat ferrum, quod ad acinaces gladiosque conficiendos aptiſſimum, Atlante Sinic. Mart. Martin. p. 73. b.

E talibus fodinis minerisque quadram erui haud abſonum, ſicuti et credibile, aliquid lapidem noſtrum participare ab iisdem. Nec quem deterreat, quod modo recenſuimus, pulverem qua-

 drae

drae ad magnetem accedere; non enim hoc inſolitum et Aethiopici magnetis proprium eſſe veteres tradidere, magnetem pariter trahi a magnete. Nec ratio deeſt, ſi magnes, quippe qui multum adhuc in ſe ferrum habeat, facile duci poteſt ab alio. Verum ſic non magnetis, ſed ferri attrahitur ratione. Magnetem autem teneri illecebris magnetis, ſequenti probare nituntur argumento: Magnetis in mortario contuſi pulvis ad magnetem admotus, accedit, manifeſto documento, veriſſimum eſſe illud Poëtae:

Et lapides ſuus ardor agit, magnesque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammae.

Sed quod adhuc magis mireris, magnetis minor particula, ſi bonae fuerit notae, a magnete majori itidem bonae notae convenientibus polis conjunctis allicitur, quo ipſo evincitur, magnetem a magnete trahi. Adde Revend. P. Lanae experimentum: Si loco ferrae ſcobis adhibeatur pulvis magnetis contriti in duabus extremitatibus,in polis videlicet,inſtar limaturae martis adhaerebit magneti proprius pulvis. Nullam igitur involvit contradictionem, in quadra ferri magnetisque mixturam exiſtere, nec magneticas in illa particulas inde deſtrui , quod pulvis ejus magneti obviam eat. Haec magnetica quadrae proſapia ad Amphitanen Plinii et Pantarben nos ducit. Prioris natura eadem, quae magnetis,figurae aeque ac noſtrae quadrae quadratae, cujus in India pariter natales conſtituuntur. Apte haec omnia in Sinenſem, de qua agimus; quae tamen proxime ſequuntur, fidem adeo ſuperant, ut pro fictitio ſemper habitus ſit. Nempe his in Indiae oris illum repertu dari, ubi formicae aurum eruunt, et non ferro, ſed auro ad ſe acceſſum parare, unde aurei magnetis ipſi nomen. Quamvis quod ad ultimum attinet, doctiſſimus Juvenis *Joh. Jacobus Spener*, in ipſo aetatis flore, non exiguo hiſtoriae naturalis, quam obnixe indefeſſoque ſtudio amaverat, detrimento defunctus, *in diſſ. de Error. varior. circa Magnet. ſect.* 2. *n.* 12. modum proponat rationemque ſubjungat, quomodo id, quod impoſſibile reſpectu acceſſus auri ad magnetem crederetur, peragi poſſit: Magnes, inquit, attrahere poteſt alia metalla, ſi nempe includatur ferrum.

rum. Hac ratione fieri poteſt, ut acus aurea, quae in meditullio ferrum continet, a magnete attrahatur, atque ipſa ad polos mundi ſe convertat; ſiquidem hoc modo ferreas laminas ſtanno obductas attrahit magnes, poſſuntque multa ludicra hac ratione produci, imperitoque fallaciae ſpectatori perſuaderi, dari fictitiam illam auri Amphitanen nempe et Pantarben, vel aliorum metallorum magnetem. De Pantarbe lapide magnitudine unguis digiti, in concavis terrae prognati, alios lapides ad ſe allicientis, et a Brachmanis in India arte τελεςικῇ eruti, vid. Philoſtrat. de Vit. Apollon. libr. III. cap. 46. p. 133. Edit. Olear. Heliodor. Aethiopic. libr. IV. et VIII. et ex eo Phötius Cod. LXXIII. p. 162. ſed haec occaſione coloris quadrae.

Odorem lapidis quod concernit, is, quem Dn. Dietericus mihi miſerat, exhalabat fragrantiam quandam, quam vero adſcititiam credidi, ex ſuaveolentibus rebus, in quarum vicinia depoſitus erat, contractam. Nec tamen inſolitum, in lapidibus quoque odores quaerere. Stagirita equidem cap. V. de ſenſib. et ſenſil. exinde, quod lapides inſipidi, infert, illos quoque inodoros eſſe, aſt contrariam fovet ſententiam Ereſius ille Philoſophus Theophraſtus de Lapid. dum tradit, differre multum lapides καὶ τῇ ῥοπῇ, καὶ τῇ ὀσμῇ, *et pondere et odore.* Quomodo autem odore grato vel ingrato differant, Boetius a Boot in Gemmar. et lapid. hiſtor. libr. VI. recenſet. Gratum odorem *Iridis Florentinae* vel violae habet *Geodes Miſenus,* ſeu lapis *Aldenbergicus*; moſchi odorem lapis *Mariaebergicus*, qui in vena D. Fabiani et Sebaſtiani invenitur; ſerpilli odorem *Thuringicus*, qui prope arcem Beuchlingam invenitur; muſti odorem *Zeblicius ophites.* Vinum olet *Echites* apud Solinum; lac *galactites et cornu monocerotis foſſile*; myrrham *lapides* apud Parthos et in Caramannia. Ingratum odorem cornu uſti *Enoſtius Hildesheimenſis. Smaragdi genus* foetidum exhalat odorem, dum interpolatur, teſte Nard. Anton. Reccho Hiſtor. Mexic. libr. X. cap. X. p. 339. Confer quae de odore gemmarum in mortario comminutarum, in toto muſeo per triduum ſe diffundente, violarum martiarum odorem referente, habet Borrichius Act. Hafn. Vol. V. obſ. 37. Qui inſuper refert in Muſeo Septaliano

Me-

Mediolanenſi *lapidem* exiſtere *ſtellarem*, qui ſolo frictu calefactus redderet odorem humani ſtercoris, et apud Cardinalem Vrſinum Romae conſpecta fuiſſe vaſa terrea Luſitanica ſponte odorata.

Cum in lapidibus ſapores vix deprehendantur, guſtus tamen haud expers noſter exiſtit: ſi enim longiuſcule in ore detineatur, lingua alio ſapore non depravata, vitriolici quid ſapere videtur, quod et ex pulvere abraſo papillis linguae nerveis communicato conſpicuum. Nec mireris, ſaporem in illo deprehendi, cum jam apud antiquos de *othonia* lapide Dioſcorides tradiderit, eſſe lapidem Aegyptium in Thebaide naſcentem, aureo colore et exigua, uti quadra, magnitudine praeditum, qui in guſtu fervorem haberet cum adſtrictione mordaci. De lapide *Thenſi*, quem e Sina deferri (aeque ac noſter lapis) teſtis eſt Excell. Blumentroſtius, Ruſſorum Autocratoris quondam Archiater, Eph. Dec. II. Ann. VIII. ſatis acriter linguam, ſi ei imponatur, mordicat, et ſimul arſenicalem exhalat odorem; ſed pro factitio, non naturali habent lapidem hunc Thenſi, plurimi. Hoc quoque notatu dignum, reperiri aliquoties quadras ſibi ſuperimpoſitas, tanquam triplices cubos in extremitate conjunctos, quales mihi amiciſſimoque Dieterico ex India redux monſtravit laudatiſſimus Dn. Faber. *Callainae* exiſtunt hae quadrae, quo nomine lapides, qui conjuncti inveniuntur, exprimit Plinius libr. 37. c. 10. pro quo in optimo Codice MSt. Rigaltiano legebatur, *Galliana*. Quem autem lapidem *Callaina* proprie denotet, de his pluribus agit maximus Salmaſius in Solin. et Joh. de Laët de Gemmis et lapidibus libr. I. c. 26. et libr. II. c. 30.

Mole variat quadra, a qua virtutis major vis minorue fluit efficacia. Haec quam Dn. Dietericus poſſidet, drachmam non attingit. Tranſiit nuper urbem noſtram D. D. Gelnhuyſen, ob ſtudiorum elegantiam, et humanitatem omnibus commendandus; hic me adiens Quadram monſtravit ſex drachmarum pondere, et majores adhuc ſe vidiſſe confeſſus eſt; id quod Patres ſocietatis Jeſu, hoc, quo ſcribo temporis articulo itineri Sinico periculoſiſſimo, miſſionique taedioſiſſimae per Belgium ſe accingentes, viamque per hanc urbem eligentes, pariter confirmarunt.

Re-

Recenſui hactenus ſenſiles illas quadrae qualitates, ſive in ſenſus incurrentes: nunc quas in gremio gerit, et longior experientia, toties que repetitus uſus edocuit virtutes, pariter enarrandae. Poſſet ulterioris veritatis probatio, a congrua partium lapidem conſtituentium natura deſumi, et per Chemicam Analyſin extorqueri, ſi copia lapidis ſupereſſet; cum autem illa deſtituamur, poſt ſenſiles qualitates ab effectibus virtutibusque, quas quotidiana propalare vult nobis experientia, ſive uti in ſcholis loquimur, per bonam conſequentiam a poſteriori facultas hujus medicamenti colligenda. Si Peripateticos conſulamus, quadra haec Sinenſis agat quo foedere, reſpondebunt utique:

Sagacitate vix poteſt noſtra erui,
Occulta vis eſt.

Sed cum qualitates illae occultae habeantur pro ignorantiae aſylis, ſuppeditabimus pro tenuitate noſtra aliqualem, magis firmam certioremque ab aliis expectaturi: Quemadmodum Mars totam Methodicorum medicinam abſolvit, quoad laxum et ſtrictum, dum fibrae corporis noſtri, ex quibus id compaginatur, nunc nimis laxae, nunc nimis ſtrictae ſunt, maſſaque ſanguinis nunc in motu eſt concitatior, nunc languidior; ita martialem hanc efficaciam ſublimiorem, magis purgatam, magis activam, quadrae ineſſe, (modo virtutes illi adſcriptae omnes competant, quod in exoticis noviter allatis vacillare plerumque aſſolet,) neceſſe eſt; quam ſale ad exitum ſtimulante, rodentisque humoris manifeſta imbibitione, et conſequenter hinc ductuum excretoriorum deterſione, maxime prodit. Praepollet autem aperitiva vis lapidis adſtrictoriae, quae utraeque, contrariae licet, e quadra tamen noſtra, ſed non ab iisdem profluunt partibus. Maximam virtutem inſuper per radiativam, uti loquuntur, operationem a ſulphure puriſſimo exoriri, illis placebit, cui ingenioſiſſimi Marci Marci a Kronland conatus curae cordique ſunt. Inſtituimus cum ejus infuſo examen, mediante hydroſtathmico inſtrumento, Gallis *Peſeliqueur*, Rev. P. Kirchero in Mund. ſubterr. lib. V. ſect. II. c. V. Hydrometro dicto, quod elegantiſſime deſcripſit ὁ πάνυ in Mathematicis Sturmius

mius Colleg. Curioſ. Experim. part. II. p. 60. ſeqq. Sed infuſum poſt XXIV. et amplius horarum moras, vix ac ne vix quidem ab ▽. Alkakengi, cui quadra immiſſa, differebat, ut ad effluvia vix ſenſibus perceptibilia, vel ſi mavis irradiativam vim, refugium quaerere nonnullis viſum ſit. Non diffiteor, me lapidem aliquoties exhibuiſſe, cum levamine interdum, non tamen illo, ſucceſſuque, quem aegris mihique exinde promiſeram, interdum plane ſpem deſtituit eventus; cui aſſignaram illas, quas Illuſtr. Boyleus de infelici experimentorum ſucceſſu, ſubſtituit cauſas. Abſit enim, ut mea in exhibendo minus aequa fors in praejudicium cedat, aliorum repetitae toties in caſibus, uti ferunt, deſperatiſſimis experientiae. Nusquam magis, quam in arte noſtra regnant fallaciae non cauſae ut cauſae, nec unicuique et omni tempore lucet feliciſſima illa hora, qua natura impetu morbi fracto, reſurgere, manusque auxiliares exhibito medicamento jungere, incipit. Propria igitur adhuc et ſatis luculenta deſtitutus experientia, illa communicabo, quae aliena ſuggeſſit.

Cum in difficili partu foetuque mortuo expellendo praecipue admiranda ejus extollatur virtus, Italiae haud exiguum in arte Medica decus, Excell. Hectorem a Valle produco, qui in Ephemeridibus Venetis, *Galleria di Minerva* inſcriptis, Tom. V. part. X. p. 271. mentionem quadrae injiciens, ſequentia refert: Exhibui in infuſo aquae Artemiſiae et Meliſſae lapidem dictum comminutum, (de pedra quadra illi ſermo) foeminae cuidam nobili, partus doloribus agonizanti, quae feliciter in dias luminis auras foetum protulit. Aliis duabus in aqua liliorum alborum et dictamni Cretici dedi felici cum ſucceſſu. Confirmandae huic in expellendo foetu experientiae jungo, quae ex literis Rev. Pat. Soc. Jeſu Collegii Ingolſtadienſis, Fiſcher nomine, ad Bibliopolam urbis noſtrae primarium, Dn. Wolfg. Mauritium Endterum datis, excerpſi. Sic ille verbis ipſiſſimis et ne veritati quid decedat, nusquam immutatis: „ Habet haec ex „ India orientali allata Petra quadrata, ſingularem virtutem ad „ facilitandos partus; ad quem effectum applicari ſolet tribus „ modis: primo alligatur femori ſeu coxendici, e parte interiore „ foe-

„ foeminae parituræ, cum ea tamen cautela, ut immediate
„ poſt partus effuſionem amoveatur quamprimum ipſa petra,
„ ne forte etiam extrahat viſcera parturientis. Item non debet
„ applicari prius, quam inſtat tempus pariendi proximum,
„ partum immature extrahat. Secundo infunditur in aquam fon-
„ tanam, quantum capere poteſt dimidia teſta ovi, et petra fri-
„ catur digitis in eadem aqua per ſpatium V. Pater N. et Ave;
„ hauſtaque ea in lucem dabitur cum ſecundinis foetus, etiamſi
„ jam mortuus ſit,aut in utero transverſus. Tertio,ſi foemina non
„ poſſit facile parturire, ob virium debilitatem, immittitur dicta
„ petra in oleum olivarum, quantum capere poteſt dimidia teſta
„ ovi, et fricetur digitis, tamdiu quo recitari poteſt bis Symbo-
„ lum Apoſtolorum, deinde bibitum ipſum oleum, et eodem
„ inungitur venter, et ſtatim effunditur foetus. Recenſui hanc R. Patris relationem eo libentius, cum Societas iſta, cujus membrum ille eſt, in hiſtoria naturali promovenda omnem jam promeruerit laudem, nec alia via, quam per hanc lapidis hujus e Sina nanciſcendi, quantum ſcio, copia ſuppetat. Hoc inſuper in catalogo typis impreſſo de lapidis hujus virtutibus memoratur, in cochleari vini vel ſucci citri lapidem immiſſum exhiberi poſſe parturientibus. Non minor emmenagoga quadrae virtus commendatur,quippe a granis tribus ad 6. usque in cochleari ▽ Meliſſae vel Pulegii feliciſſimo certe eventu exhibetur, hac tamen addita cautela, ut foeminis malae famae meretricibusque, hujus lapidis copia minime committatur, ne illo ad procurandos abortus, vel impediendam omnem graviditatem abutantur. In hyſterica paſſione cochleari aquae meliſſae quadra per ſpatium 2. horarum immiſſa et aegrae exhibita, mira, uti ferunt, praeſtat. Oleo olivarum injecta, poſteaque hoc oleo imbutum abdomen, malum abigit, menſtruaque, paſſionis hyſtericae cauſas, promovet; quibus poſtea rite fluentibus, oleum abdomini illitum abſtergendum. Trucem quod ſi pellere nequeat, poſſit lenire dolorem. Quantum in diro illo calculi dolore, per cauſae morbificae remotionem valeat, teſtem habemus omni exceptione majorem TE, SVMME FACKHI, cui calculi

doloribus excruciato, aliis nihil proficientibus, ex infuſo quadrae dolores ſedati, calculusque eliminatus, ut mihi ſancte teſtatus es. Igitur quadra noſtra ejus eſt virtutis et efficaciae, cujus lapis ille, quem illuſtriſſimus Angliae Cancellarius Baro de Verulamio Sylv. ſylv. Cent. I. Exper. 91. meminerat: lapidem nempe ex India orientali advectum peculiarem vim habere pellendi calculum, adeo ut carpo admotus, tam vehementer calculos depulerit per inferius, ut ob violentiam removendus eſſet. Quaevis in lapide nephritico ſub nomine *Chalsvee* deſcripto, equidem minime quaerenda, ſed experientia firmum ferente teſtimonium, ad quadram lapidem citius referendum. Nec in infuſo tantum exhibetur, ſed et in ſubſtantia ad grana ſex in vehiculo, affectui Nephritico convenienti. Vim laxantem diureticae pariter ſociatam eſſe, perhibent P. P. Societatis. Aquae enim frigidae immiſſa quadra per horae quadrantis dimidium, aqua haec, ejus impraegnata effluviis, jejuno epota ventriculo, peccantes per alvum educere humores, hydropique medicorum ſcandalo mederi. Quae felicitas autem aliquoties in deſperato eo morbo hoc infuſum exhibenti minime contigit; quod forte quadrae parvitati adſcribendum. Virtutem pariter carminativam ineſſe volunt, et prodeſſe iis,

queis ventoſa crepant hypochondria, creber et intus
Proh! dolor inſanos ſtimulis agit Aeolus Euros.

Vti nec in pluribus aliis affectibus, quos ſcheda typis commiſſa luculentius exhibet, ad tollendas capitis vertigines, in odontalgia, lateris dolore punctorio, in melancholia, in aſthmate, in febribus aliisque morbis contumacioribus. Denique optimum exiſtere ferunt travmaticum, ſi pulvis a lapide quadra deraſus vulneri inſpergatur; heterogenea enim vulneri inhaerentia expellit, vulneraque conſolidat. Sed quas non laudes ferrent Societati, his recenſitis afflicti morbis aegri, ſi decantatis lapidis virtutibus reſponderet eventus, quem confirmabit ulterius experientia, certiſſima rerum magiſtra. Interim quadra hucusque lapis,

non retegit cauſas indolis ille ſuae.
Cauſa rei liquido nulli detecta patebit,
cui nondum arcanas Muſa retexit opes.